SACRA LITURGIA

Cum duo præcipue in sacerdote et animarum pastore requirantur, probitas videlicet et doctrina, earum utraque in Seminario est comparanda.

S. CAROLUS BORROMÆUS, Instit. Seminarii, Part. 3. Cap. 1.

SACRA LITURGIA

—

TOMUS IV

—

TRACTATUS

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ET DE SACRAMENTALIBUS

AD USUM ALUMNORUM
SEMINARII ARCHIEPISCOPALIS MECHLINIENSIS

WITHDRAWN

OPERA

J. F. VAN DER STAPPEN

Episc. titul. Joppen., auxil. Emi ac Rmi Dni Petri Lamberti
Card. Goossens Archiep. Mechlin.
Sacræ Liturgiæ Academiæ Romanæ Censoris.

MECHLINIÆ
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREGATIONUM RITUUM ET DE PROPAGANDA FIDE NECNON ARCHIEP. MECHLIN. TYPOGRAPHUS.

PETRUS LAMBERTUS

TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS GOOSSENS,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS PRIMAS BELGII,

Omnibus has visuris salutem in Domino.

Cum hic Tractatus *de administratione Sacramentorum et de Sacramentalibus*, ad usum alumnorum Seminarii nostri de novo editus, et ad normam recentiorum Decretorum reformamatus, claritate et utilitate multum commendetur, libenter eum approbamus, adhortamurque nostrum Clerum ut, hoc opus diligenter perlegendo et perscrutando, quotidie magis in necessariis hujusmodi scientiis proficiat.

Datum Mechliniæ, 16 Decembris 1900.

† P. L., Card. GOOSSENS, Arch. Mechl.

Venerabili Fratri JOSEPHO *Episcopo Titulari Joppeno eidemque Auxiliari Archiepiscopi Mechliniensis*

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. Exhibuit tuo nomine Nobis dilectus filius ab epistolis Nostris ad Principes libros de re lithurgica quinque, quos ipse haud ita pridem edidisti ut eam publice doctrinam efferres quam in sacro seminario Mechliniensi tradidisti. Nos quidem valde delectat quod ipso in exordio Pontificatus Nostri praeclarum opus de divino peragendo cultu, pluribus auctum, iterum emiseris ; in id enim navitatem tuam egregie contulisti in quo Nostrae quoque curae magnam partem evigilant. Porro erudite atque accurate condita esse volumina magnopere gaudemus, minimeque dubitamus quin magisterii tui fructus non modo Mechliniae, verum etiam apud cetera seminaria uberes ac laeti parentur. Votis idcirco atque optatis tuum opus prosequimur, illudque ut manibus clericorum versetur, omnique per-

volutetur studio exoptamus. Quam profecto sollicitudinem si penes eos, quos instituendos acceperint, Episcopi ceterique Ecclesiae antistites alendam curaverint, multum inde et sacrorum doctrina rituum, et augustissimarum reverentia rerum, et templi sacerdotiique decus sine dubitatione proficient. Haec autem quia plurimi interest in Ecclesia Christi foveri, amplificari, expedita atque explicata reddi, debitam propterea laudem alacritati tuae ac diligentiae tribuimus, simulque enixe te hortamur ut ad Religionem sacrasque disciplinas provehendas maiorem in dies industriam, novosque studiorum fructus conferre ne desinas. Auspicem coelestium gratiarum Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem amantissime tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV. Martii Anno MDCCCCIV. Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. X.

SACRA LITURGIA

TRACTATUS

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ET DE SACRAMENTALIBUS

INTRODUCTIO

§ 1. Cæremoniæ Sacramentorum, earumque pius et salutaris usus

Q. 1. *Indica Argumentum hujus Tractatus.*

R. Præter doctrinam de Sacramentis **dogmaticam**, qua inquiritur, an sit, et quid sit Sacramentum, quas causas, proprietates, effectus, etc., habeat ; — et **moralem**, qua consideratur, quid fieri debeat, ut Sacramenta hominibus revera sint media vitæ spiritualis, et quæ sint præcepta quæ ad Sacramenta pertinent, et modi quibus contra ea peccare contingat ; — restat, quæ hujus Tractatus Argumentum est, doctrina de Sacramentis **liturgica**, complectens notionem et praxim rituum, quibus Sacramenta administrantur ac perficiuntur, et cæremoniarum, quæ in eorum confectione, ut decentius, solemnius ac fructuosius fiat, adhibentur.

Q. 2. *In quibus consistunt cæremoniæ Sacramentorum ?*

R. Harum cæremoniarum aliæ consistunt in **verbis**, ut sunt exorcismi in Baptismo ; — aliæ in **actionibus** et corporis motibus, quales sunt signa Crucis, genuflexiones, elevatio oculorum et manuum extensio ; — aliæ in **rebus**, seu in usu externarum quarumdam rerum, quæ ad cultum externum adhiberi possunt, ut aquæ benedictæ, olei, salivæ, salis, luminum, vestium, etc.

Q. 3. *Expone, juxta Catechismum Concilii Tridentini, utilitates cæremoniarum Sacramentorum.*

R. « Merito quidem, ait Catechismus (Pars II, Cap.

I, Tit. XVI), a primis usque Ecclesiæ temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam cæremoniis ministrarentur.

« Primum enim maxime decuit, sacris mysteriis eum religionis cultum tribuere, ut sancta sancte tractare videremur. » (Aliis verbis, Sacramentorum **dignitas** cæremoniis commendatur, et **reverentia** eis conciliatur.)

« Præterea, quæ Sacramento efficiuntur, cæremoniæ ipsæ magis declarant ac veluti ante oculos ponunt, et earum rerum sanctitatem in animos Fidelium altius imprimunt. » (**Virtus, efficacia, mysterium** Sacramentorum cæremoniis magis innotescunt.)

« Deinde vero mentes illorum, qui eas intuentur, et diligenter observant, ad sublimium rerum cogitationem erigunt, fidemque in eis et charitatem excitant : quo major cura et diligentia adhibenda erit, ut Fideles vim cæremoniarum, quibus singula Sacramenta conficiuntur, cognitam et perspectam habeant. » (Per cæremonias nutritur **fides et pietas** Fidelium.)

Q. 4. *Quam monitionem ex illa cæremoniarum Sacramentorum utilitate pro parochis inferunt Statuta diœcesana?*

R. Providissime de sacrorum mysteriorum intelligentia monent Statuta diœcesana, n. 213 : « Ut fidelis Christi populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia atque animi devotione accedat, illorum vim et usum, ut præcipit Concilium Tridentinum (Sess. XXIV, de Reform. Cap. VII), quin etiam cæremoniarum significationes Parochi frequenter et pro audientium captu explicent, tum in ipsa Sacramentorum administratione, si commode fieri possit, tum in variis ad populum sermonibus. »

Præclare item de eadem cæremoniarum intelligentia sequentia tradit Catechismus Concilii Tridentini (Pars II, Cap. II, Tit. XL) : « Quod Apostolus de linguarum dono admonuit, cum inquit (I Cor., XIV, 2) : Sine fructu esse, si, quæ aliquis loquitur, a Fidelibus non intelligantur ; idem fere ad ritus et cæremonias transferri potest : imaginem enim et significationem earum rerum præ se ferunt, quæ in Sacramento geruntur. Quod si

illorum signorum vim et potestatem fidelis populus ignoret, non magna admodum cæremoniarum utilitas futura esse videbitur. Danda est igitur Pastoribus opera, ut eas Fideles intelligant, certoque sibi persuadeant, si minus necessariæ sint, plurimi tamen faciendas, magnoque in honore esse oportere. »

§ 2. Libri Rituales pro administratione Sacramentorum

Q. 5. *Undenam originem seu institutionem habent sacræ cæremoniæ ?*

R. 1. **Aliquæ istarum cæremoniarum Christum ipsum habent auctorem,** qui aliquando non est dedignatus, et verbis et rebus uti in suis miraculis edendis ; e. g. cum sua voce mortuos ad vitam revocavit ; cum lutum fecit ex sputo ad illuminandum cæcum ; cum saliva tetigit linguam muti, cum manum extendit ad mundandum leprosum.

2. **Aliæ fuerunt post Christi Ascensionem ab Apostolis institutæ ;** atque has, propter auctoritatem unde manarunt, ubique retinet ac diligenter custodit Ecclesia ; sic e. g. signum crucis in omnium Sacramentorum administratione ubique præscribitur, et ubique etiam Sacramentorum materiæ mysticis benedictionibus consecrantur.

3. **Quasdam etiam cæremonias consequenti ætate adjunxit Ecclesia,** potestate sibi a Christo facta, ad augendam Sacramentorum majestatem ; et hæ quidem non eædem ubique sunt, nec quovis tempore fuerunt : nam suos peculiares habent ritus Latini, Græci, Orientales : quin et in Occidente non una omnium Ecclesiarum ea in re consensio fuit. Romana Ecclesia, reliquarum Mater et Magistra, permittit aut tolerat hanc cæremoniarum diversitatem : hæc non officit unitati fidei, quæ omnibus una est, licet dissimiles sint populorum mores et consuetudines.

Q. 6. *Quinam antiquitus erant Ecclesiæ Latinæ Libri, in quibus præscribebantur ritus in Sacramentorum administratione servandi ?*

R. Ecclesia Latina olim non in uno eodemque libro comprehensum habuit quidquid ad Liturgicum mini-

sterium attinebat ; et quidem singulæ functiones pro Sacramentis et Sacramentalibus administrandis referebantur tum in **Sacramentario**, tum in peculiaribus libris : hinc **Baptisterium**, in quo ritus et unctiones describebantur ad Baptismum solemniter conferendum ; **Pœnitentialis Liber**, qui preces et formulas continebat, ad rite Pœnitentiæ Sacramentum administrandum ; **Processionale**, pro publicis supplicationibus et processionibus instituendis ; et **Rituales Libri** permulti, ad varias exsequendas sacras functiones, quos non unc semper et eodem titulo inscriptos confecerunt variæ Ecclesiæ. Vix aliqua enim reperiebatur ante sæculum XVII Diœcesis, quæ peculiari ac proprio non frueretur Rituali libro pro Sacramentis administrandis.

Primus qui inter Romanæ Ecclesiæ Libros Rituales occurrit, complectens illorum Sacramentorum ritus et cæremonias, quorum administratio ad Parochos pertinet, nempe Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, et Matrimonii, Romæ anno 1537 prodiit inscriptus : **Sacerdotale**, seu **Liber Sacerdotalis collectus** (ad distinctionem **Libri Pontificalis**, in quo referebantur ritus Sacramentorum, quæ ab Episcopis administrantur, Confirmationis scilicet, et Ordinis) ; qui Liber emendatus postea et auctus juxta Concili Tridentini sanctiones, pluries a variis editus fuit.

Q. 7. *Quid deinde præstitum fuit ad unitatem in Sacramentorum administratione obtinendam ?*

R. In tanta liturgicorum librorum pro Sacramentis administrandis multitudine, ut uno ac fideli ductu, ad publicam et obsignatam normam, sua ministeria peragerent ii qui curam animarum gerunt, Summus Pontifex Paulus V, per Apostolicas Litteras, datas 17 Junii 1614, edendum jussit **Rituale Romanum**, quo nomine vocatur **Liber ille qui continet receptos et approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus, servandos in Sacramentorum administratione, aliisque ecclesiasticis functionibus, ab iis qui curam animarum gerunt.**

Hoc Rituale Romanum, auctum et castigatum iterum edidit Summus Pontifex Benedictus XIV, per Apostolicas Litteras datas anno 1752. Editio nova diligenter

recognita et fidelissime exacta excusa fuit Ratisbonæ anno 1884, cui tamquam typicæ ut novæ omnes sint conformes, præsertim quoad cantum, statuit S. Rituum Congregatio, per Decretum approbationis diei 24 Martii 1884.

Q. 8. *Ex quibus titulis patet præstantia Ritualis Romani supra reliquos omnes Rituales libros particulares ?*

R. Quemadmodum Ecclesia Romana cæteras omnes ordine, nobilitate, dignitate, loco ac plenitudine potestatis antecellit, ita et Rituale Romanum principem locum inter cætera aliarum omnium Ecclesiarum Ritualia obtinet. — Insuper continet receptos et approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus ; — jussu supremæ in Ecclesia auctoritatis, Summi Pontificis est editum ; — et ad ejus elucubrationem quamplures Cardinales pietate, doctrina et prudentia præstantes, multos quoque viros in disciplina ecclesiastica versatos, ac de rerum liturgicarum peritia peritissimos Summus Pontifex accivit, necnon antiquos omnes Rituales codices consuluit.

Q. 9. *Quid dicendum est de obligatione Ritualis Romani ?*

R. Ex eo quod Paulus V in Litteris Apostolicis præfatis anni 1614 dicit : « **Hortamur** in Domino omnes... ut in posterum... constituto Rituali in sacris functionibus utantur, » acris exorta fuit inter doctos disputatio, an ex voce **hortamur** sit colligendum strictum præceptum recipiendi ubique locorum Rituale Romanum. Negant pauci ; plurimi recte affirmant. Horum opinio stabilitur responso Sacrorum Rituum Congregationis, in litteris, die 7 Septembris 1850 ad Episcopum Trecensem in Gallia, datis : « *Rituale Romanum, cujus leges universalem afficiunt Ecclesiam, integre servetur.* » — Pro praxi sequentia sunt indubia :

1. Ubi Rituale Romanum numquam fuit receptum, propriaque diœcesana Ritualia legitima usu constanti adhibentur, Apostolica Sedes eorumdem usum saltem indulget seu tolerat.

2. Valde optat Apostolica Sedes, ut Rituale Romanum aliis Ritualibus, nempe diœcesanis, substituatur : permittit tamen, ut tunc Rituali Romano, ad servandas

consuetudines quæ sine populi offensione abrogari nequeunt, fiant additiones, cum approbatione S. Rituum Congregationis. — Imo, quoad Matrimonium, Concilium Tridentinum expresse probat *receptum uniuscujusque provinciæ ritum*, et præterea, *si quæ provinciæ aliis laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri vehementer optat.* (Concil. Trident. Sess. XXIV, Cap. I, de Reform. Matrim.)

3. Ubi Rituale Romanum est receptum, ibi datur strictum præceptum illud inviolatum observandi; et in aliud a nemine, nequidem ab ullo Episcopo, mutari potest, ut decrevit Conc. Trident. Sess. VII, Can. XIII. Et cum hoc præceptum sit de re gravi, obligatio Rituale Romanum ibidem adhibendi per se est gravis.

(Cfr. Fornici, *Institutiones liturgicæ*; Catalanus, *Rituale Romanum;* Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechliniensis, anni 1873, ex Liturgia Q. V.)

Q. 10. *Quid de ritu administrationis Sacramentorum in Diœcesi Mechliniensi historice notatu dignum occurrit?*

R. Sublatis diversis, quæ per Diœcesim Mechliniensem in usu erant, manualibus, **Joannes Hauchinus**, II Archiepiscopus Mechliniensis, anno 1588 in lucem emiserat **Pastorale Mechliniense**, a Professoribus Sacræ Theologicæ Facultatis Lovaniensis ex selectioribus aliarum diœcesium manualibus collectum, ipsorumque Professorum, et aliorum præterea doctorum virorum judicio diligenter recognitum atque probatum. Hujus Pastoralis libri non levem esse auctoritatem scribit Benedictus XIV, in opere: *De synodo diœcesana* (Libr. VIII, C. III), ubi notat eumdem quidem fuisse a Nuntio Apostolico ad diœcesis Coloniensis usum protractum. Ejus usus præscriptus erat in provincia Mechliniensi per Concilium provinciale Mechliniense tertium anni 1607, confirmatum a Summo Pontifice Paulo V.

Edito jam a Paulo V, anno 1614, Rituali Romano, **Jacobus Boonen**, IV Archiepiscopus Mechliniensis, anno 1624 Pastorale Mechliniense recognoverat, novis regulis illustraverat, et, quoad fieri potuit, Rituali Romano accommodaverat.

In Synodo diœcesana, quam anno 1872 habuit **Victor**

Augustus Dechamps, Archiepiscopus Mechliniensis, promulgata fuerunt Statuta diœcesana, in quibus de administratione Sacramentorum præscriptum fuit (n. 212) : « *Ut Ecclesiæ unitas, quæ in eadem Fide ac sub uno visibili capite, Beati Petri successore, Romano Pontifice, coalescit, in sacris etiam Religionis nostræ cæremoniis magis magisque eluceat, statuimus, ut in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus, omnes totius diœceseos sacerdotes utantur Rituali Romano, jussu Pauli V edito, quod receptos et approbatos catholicæ Ecclesiæ ritus complectitur.* »

« *Attamen, quum sacra Tridentina Synodus vehementer optet, si quæ provinciæ laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis in re matrimoniali utuntur, eas omnino retineri, præcipimus, ut in omnibus parochiis, in quibus diversus a Rituali Romano usus hucusque obtinuit, Matrimonium celebretur juxta ritum ac formam in Appendice* (*Statutorum XIV, B*) *descripta.* »

De hac Ritualis Romani inductione, scripsit ad Archiepiscopum Pius IX : « *Didicimus felicem exitum Diœcesanæ Synodi tuæ, ubi, recepto Romano Ritu, confirmari ac arctius obstringi visi sunt nexus unitatis et caritatis qui Mechliniensem Ecclesiam Nobis devinciunt.* »

Itaque per Litteras pastorales 6 Octobris 1872, decrevit idem Archiepiscopus : « *Ut Rituale Romanum per totam Diœcesim in usu sit a Kalendis Januarii anni 1873, remotis aliis libris ritualibus quibuscumque.* »

§ 3. Conspectus rerum quæ in Tractatu exponuntur

Q. 11. *Da brevem conspectum materiæ pertractandæ.*

R. Tractatus duabus partibus constat : in priori dicitur de *Sacramentis*, in altera de *Sacramentalibus*. Hæc materia in typica editione Ritualis dividitur, commoditatis et utilitatis causa, in distinctos Titulos cum suis Paragraphis et Numeris juxta materiæ qualitatem, quæ divisio hucusque desiderabatur.

Prior pars, de **Sacramentis**, septem complectitur Titulos :

In Titulo I, qui quasi proœmium ad Rituale habe-

tur, dicitur de iis quæ in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt.

In Titulo II, de **Baptismi** Sacramento, et de ejus administratione tum **parvulis** tum **adultis.**

In Titulo III, de Sacramento **Pœnitentiæ.**

In Titulo IV, de **SS. Eucharistiæ** Sacramento, et de ejus administratione, tum **fidelibus in ecclesia,** tum **infirmis.**

In Titulo V, de Sacramento **Extremæ Unctionis,** necnon de **Visitatione et cura Infirmorum,** et de **Modo juvandi morientes.**

In Titulo VI, qui est quasi appendix ad præcedentem, agitur de **Exsequiis.**

In Titulo VII, de Sacramento **Matrimonii.**

Hæc de variis Sacramentis tractantur in Rituali Romano. Huic priori parti Tractatus adscribetur Appendix de iis quæ utiliter a Sacerdotibus noscuntur pro administratione Sacramenti Confirmationis.

Pars altera, de Sacramentalibus, tres Titulos habet:

In Titulo VIII, dicitur de **Benedictionibus, non reservatis,** id est, quæ pertinent ad ordinem Sacerdotalem, et de **reservatis,** quæ faciendæ sunt ab Episcopis vel ab aliis facultatem habentibus.

In Titulo IX, de **Processionibus** ordinariis et extraordinariis.

In Titulo X, de **Exorcizandis** obsessis a dæmonio.

Rituali Romano apponitur **Appendix,** sive Collectio Benedictionum et Instructionum a Rituali Romano exsulantium, Sanctæ Sedis auctoritate approbatarum seu permissarum, in usum et commoditatem Missionariorum Apostolicorum aliorumque sacerdotum digesta. Continet præter varias instructiones de Sacramentis Baptismi, Confirmationis et Eucharistiæ, plurimas formulas Benedictionum, quarum aliæ sunt non reservatæ, aliæ reservatæ ab Episcopo vel a Sacerdotibus facultatem habentibus faciendæ, aliæ propriæ nonnullorum Ordinum Regularium, aliæ tandem novissime concessæ.

PARS PRIOR

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM

TITULUS I

PROŒMIUM

De iis quæ in administratione Sacramentorum generaliter servanda sunt

Ritualis Romani Proœmium de quatuor diversis agit :

1° de auctoritate Rituum præscriptorum ; 2° de Ministro Sacramentorum ejusque requisitis dispositionibus ; 3° de Sacramenta suscipientium dispositionibus ; 4° de Libris memorialibus administrationis Sacramentorum, et Parochialium functionum.

1° De auctoritate Rituum in Rituali præscriptorum

Q. 12. *Quibus verbis exhibet et confirmat Rituale obligationem servandi præscripta in eodem contenta de Sacramentorum ritibus ac cæremoniis ?*

R. Rituale illam obligationem sequentibus proponit verbis : « Ut ea, quæ ex antiquis catholicæ Ecclesiæ institutis, et sanctorum Canonum, Summorumque Pontificum Decretis, de Sacramentorum Ritibus ac Cæremoniis hoc libro præscribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur, et ubique fideliter observentur ; illud ante omnia scire, et observare convenit, quod Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess. VII. Can. XIII.* de iis Ritibus decrevit in hæc verba :

Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse : anathema sit. »

Q. 13. *Quanta est obligatio rubricas Ritualis Romani servandi ?*

R. 1° Ex supracitato canone Concilii Tridentini de-

ducitur quod in **Sacramentorum administratione** obligatio rubricas Ritualis Romani servandi gravis per se est. Paucitas materiæ tamen aliquando levem tantum defectum, levemque culpam faciet ; sicut vero in Missa et in Officio divino, etiam hic plures leves defectus coalescere et materiam gravem efficere possunt. Notandum est, quod lex Concilii tunc observanda est, quando Sacramenta **publice** seu **solemniter** administrantur ; nam in privata eorumdem administratione, aliquæ particulares cæremoniæ omitti possunt sine peccato, et de facto omittuntur in casu necessitatis. (Baruffaldus, *ad Rituale Romanum Commentaria*. Tit. II, nn. 12, 13.)

2° **Extra Sacramentorum administrationem** obligatio rubricarum Ritualis Romani non ab omnibus auctoribus admittitur. Alii negant, quia canon Concilii Tridentini de his non loquitur. Alii affirmant, quia Paulus V in Rituali Romano proponit sacros et sinceros catholicæ Ecclesiæ ritus qui non tantum in Sacramentorum administratione, sed etiam in **aliis ecclesiasticis functionibus servari debent** ; dein quia S. Rituum Congregatio per plura Decreta injunxit ut **servetur Rituale Romanum**, ut agatur **juxta Ritualis Romani rubricam**, in aliis functionibus quam in Sacramentorum administratione. Patroni sententiæ negantis tamen admittunt has rubricas aliunde posse obligare, scilicet : 1° quia plura continent, quæ a jure communi præcipiuntur, vel ex consuetudine ut obligatoria observantur ; 2° quia earum omissio ratione contemptus et scandali transire potest in peccatum etiam mortale ; et 3° quia communiter non deest culpa venialis ratione pravi finis vel motivi inducentis ad earum transgressionem, prout plurimum esse solet torpor animi, negligentia, vel nimia ad alias occupationes, præcipue vanas et sæculares, propensio. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechliniensis anni 1873 ; ex Liturgia Q. V.)

2° De Ministro Sacramentorum ejusque requisitis dispositionibus

Q. 14. *Enumera et verbis Ritualis explica dispositiones*

in Ministro requisitas ante Sacramentorum administrationem.

R. « Cum igitur, ait Rituale, in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta, Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare, atque omni fere temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere. »

Dispositiones sequentes specialiter in Ministro requirit : 1° probitatem vitæ, seu statum gratiæ ; 2° promptitudinem ; 3° orationem, et prævisionem agendorum ; quas sequentibus explicat :

1. « Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat ; nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis Ministris eorum effectus impediri : impure tamen et indigne ea ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat ; sed si habeat copiam Confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri. »

2. « Quacumque diei ac noctis hora ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo præstando (præsertim si necessitas urgeat) moram interponat, ac propterea populum sæpe, prout sese offeret occasio, præmonebit, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum advocet, nulla temporis, aut cujuscumque incommodi habita ratione. »

3. « Ipse vero, antequam ad hujusmodi administrationem accedat, paullulum, si opportunitas dabitur orationi, et sacræ rei, quam acturus est, meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi, et cæremonias pro temporis spatio prævidebit et perleget. »

Oratio specialis nulla præscribitur : commendat S. Carolus Borromæus orationem : **Veni sancte Spiritus, etc.** ; ante confessiones excipiendas vero opportune dicitur oratio specialis suo loco assignanda.

Q. 15. *Quænam a Ministro adhibenda sunt pro Sacramentorum administratione ? Quid de singulis præscribit Rituale ?*

R. 1° Vestes sacræ ; 2° Clericus superpelliceo indutus ; 3° suppellex munda. De eis sequentia præscribit Rituale :

1. « In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stola ejus coloris, quem Sacramenti Ritus exposcit ; nisi in Sacramento Pœnitentiæ ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat. » Sæpius S. Rituum Congregatio reprobavit usum rochetti a Sacerdotibus, etiam Canonicis, in Sacramentorum administratione ; ita, ex. gr. rescripsit : rochettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione Sacramentorum, ac proinde ad ea administranda necessario superpelliceo utendum. (Decret. 10 Januarii 1852, n. 2993, antiq. 5065, ad 5.)

2. « Adhibebit quoque unum saltem, si habeat, vel plures Clericos, prout loci et Sacramenti ratio postulabit, decenti habitu, et superpelliceo pariter indutos. »

3. « Curabit etiam, ut sacra suppellex, vestes, ornamenta, linteamina, et vasa ministerii integra, nitidaque sint et munda. »

Q. 16. *Quænam a Rituali præscribuntur a Ministro servanda in ipsa administratione Sacramentorum ?*

1. « In Sacramentorum administratione eorum virtutem, usum, ac utilitatem, et cæremoniarum significationes, ut Concilium Tridentinum præcipit, ex SS. Patrum et Catechismi Romani doctrina, ubi commode fieri potest, diligenter explicabit. »

2. « Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quæ ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte, et pie, atque clara voce pronuntiabit. Similiter et alias orationes, et preces devote ac religiose dicet ; nec memoriæ, quæ plerumque labitur, facile confidet, sed omnia recitabit ex libro. Reliquas præterea cæremonias ac ritus ita decenter, gravique actione peraget, ut adstantes ad cœlestium rerum cogitationem erigat, et attentos reddat. »

3. « Ad ministrandum procedens, rei quam tractatu-

rus est, intentus sit, nec de iis, quæ ad ipsum non pertinent, quidquam cum alio colloquatur ; in ipsaque administratione actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualem, cum intentione faciendi, quod in eo facit Ecclesia. »

4. « Illud porro diligenter caveat, ne in Sacramentorum administratione aliquid quavis de causa vel occasione, directe vel indirecte exigat, aut petat ; sed ea gratis ministret, et ab omni simoniæ, atque avaritiæ suspicione, nedum crimine, longissime absit. Si quid vero nomine eleemosynæ, aut devotionis studio, peracto jam Sacramento, sponte a fidelibus offeratur, id licite pro consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur. »

Q. 17. *Quis legitimus est Minister Sacramentorum ?*

R. Generatim Parochus, intra limites suæ parochiæ, et fidelibus tantum suæ parochiæ ; vel alius sacerdos, cum consensu Parochi aut Ordinarii. (Dicitur : generatim ; specialia hac de re exponuntur longius in Theologia et Jure canonico.) « Parochus Sacramentorum dispensationem in parochia, sibi ordinario jure competentem, haud facile nec sine causa sufficiente committat aliis. Saltem sibi retineat administrationem eorum, quæ pro salute parochianorum fructuosius a seipso, quam ab aliis conferri posse judicaverit. » (Stat. diœc. n. 215.)

3° De dispositiônibus suscipientium Sacramenta

Q. 18. *Quas dispositiones requirit Rituale in iis qui Sacramenta suscipiunt ?*

R. « Omnes autem, qui Sacramenta suscipiunt, loco et tempore opportuno monebit (Minister), ut remoto inani colloquio, et habitu actuque indecenti, pie ac devote Sacramentis intersint, et ea, qua par est, reverentia suscipiant. »

4° De Libris memorialibus administrationis Sacramentorum et Parochialium functionum

Q. 19. *Quinam Libri præscribuntur a Rituali ad memoriam administrationis Sacramentorum et Parochialium functionum ? Quid pro eorum usu est advertendum ?*

R. 1. Libri sequentes præscribuntur : 1° Liber Baptizatorum; 2° Liber Confirmatorum; 3° Liber Matrimoniorum; 4° Liber status animarum; 5° Liber Defunctorum.

II. Pro eorum usu advertendum est, summam a Sacerdotibus adhibendam esse diligentiam, ut in his Libris omnia accurate et distincte notentur, ne minimus error irrepat ; et ut conficiantur ex optima charta, ac solide cum corio religentur.

Q. 20. *Paucis describe Libros Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, status animarum, et Defunctorum.*

R. 1. Liber **Baptizatorum.** In eo pro quocumque Baptismo collato inscribi debent :

« 1. Dies, mensis et annus collati Baptismi, et tempus nativitatis infantis ; 2. Nomen et prænomen illius; 3. Nomina et prænomina patris et matris, locus nativitatis eorum, et nomen parochiæ in qua matrimonio juncti sunt; 4. Nomina et prænomina susceptorum, etiam qui procuratorio nomine suscipiunt ; 5. Chirographus baptizantis.»

« Codex baptismalis sub sera custodiri debet, nec cuiquam permittendum, ut foras efferatur, aut meræ curiositatis gratia pervolvatur. » (Stat. diœc. n. 229.)

Formam sequentem describendi Baptizatos dat Rituale :

Anno Domini... die... mensis... ego N. Parochus hujus Ecclesiæ S. N., civitatis vel *loci N., baptizavi infantem natum* vel *natam die... ex N. et N. conjugibus hujus Parochiæ,* vel *Parochiæ S. N., et ex tali patria et familia, cui impositum est nomen N. Patrini fuerunt N., filius N., ex Parochia* seu *loco N., et N. conjux N., filia N., ex Parochia* seu *loco N.*

Si infans non fuerit ex legitimo matrimonio natus, nomen saltem alterius parentis, de quo constat, scribatur (omnis tamen infamiæ vitetur occasio) : si vero de neutro constat, ita scribatur : *Baptizavi infantem, cujus parentes ignorantur, natum die, etc.*, ut supra.

Si expositus sit infans, exprimatur quo die, ubi, et a quo repertus, et quot dierum verisimiliter sit ; et baptizetur sub conditione, si ignoratur fuisse baptizatum.

Si infans domi ob imminens mortis periculum baptizatus sit, tunc ita scribatur :

Anno... die...,mensis..., natus est N., filius N. et N. conjugum, etc., ut supra : *quem ob imminens mortis periculum, in domo rite baptizavit N. obstetrix probata*, vel *N., filius N., ut mihi retulit N.*

Si supervixerit infans, et ei adhibitæ sint in Ecclesia sacræ cæremoniæ, ita addatur :

Die ejusdem mensis ad Ecclesiam portatus est infans prædictus, ipsique ego Parochus sacras cæremonias et preces adhibui, et N. nomen imposui.

Si forte non Parochus, sed alius baptizaverit, id exprimatur.

Si fuerit baptizatus sub conditione : *Si non es baptizatus, etc.*, id pariter exprimatur.

2. Liber **Confirmatorum.** Formam describendi Confirmatos sequentem dat Rituale :

Anno... die... mensis... qui fuit dies..., N., filius N. et N. conjugum, vel *N., filia N.* (et si fuerit nupta, addatur uxor N.), *Sacramentum Confirmationis accepit a Reverendissimo D. N., Episcopo N., in Ecclesia S. N., civitatis N.* vel *loci N. Compater fuit N., filius N., Parochiæ S. N., civitatis* vel *loci N.*

Marium descriptio in una pagina, seu prima facie folii ; feminarum vero in altera sejunctim notetur.

Si Confirmatus non constet, an ex legitimo Matrimonio genitus sit, vel parentes ignorentur, servetur quod in libro Baptizatorum præscriptum est.

3. Liber **Matrimoniorum.** Juxta legem Tridentinam, « habeat parochus librum, in quo conjugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. » (Stat. diœc. n. 309.)

Formam describendi conjugatos in dicto libro sequentem dat Rituale :

Anno... die... mensis..., Denuntiationibus præmissis tribus continuis diebus festivis, quarum prima die..., secunda die..., tertia die..., inter Missæ parochialis solemnia habita est, nulloque legitimo impedimento detecto, ego N., Rector hujus Ecclesiæ parochialis N., civitatis vel *loci N., filium N., parochiæ S. N.; et N., filiam N.* seu *relictam quondam N.* (si fuerit vidua), *hujus* seu *parochiæ S. N., in Ecclesia N. interrogavi, eorumque mutuo consensu habito, solemniter*

per verba de præsenti Matrimonio conjunxi ; præsentibus testibus notis N., filio N. qui habitat in parochia S. N., et N. filio N. etc., et N. filio N. etc. Postea eis ex ritu S. Matris Ecclesiæ (si tamen nuptias benedixerit), *in Missæ celebratione benedixi.*

Denuntiationum formæ pro diversis casibus extraordinariis videantur in fine Ritualis.

4. Liber **status animarum.** De eo notat Rituale :

Familia quæque distincte in libro notetur, intervallo relicto ab unaquaque ad alteram subsequentem, in quo singillatim scribantur nomen, cognomen, ætas singulorum, qui ex familia sunt, vel tamquam advenæ in ea vivunt.

Qui vero ad sacram Communionem admissi sunt, hoc signum in margine e contra habeant : **C.**

Qui Sacramento Confirmationis sunt muniti, hoc signum habeant : **Chr.**

Qui ad alium locum habitandum accesserint, eorum nomina subducta linea notentur.

Hac igitur ratione fiat, videlicet :

Anno... die... mensis... in via, seu *platea,* vel *pago, in propriis ædibus Pauli N.,* vel *in ædibus N. a Paulo conductis, habitant :*

Chr. *Paulus N., Petri filius, annorum, etc.*

Chr. *Apollonia ejus uxor, filia Jacobi N., annorum, etc.*

C. *Dominicus eorum filius, annorum, etc.*

C. *Lucia eorum filia, annorum, etc.*

C. Chr. *Antonius, filius N., famulus, annorum, etc.*

C. *Catharina N., filia N., ancilla, annorum, etc.*

Martinus, filius N., annorum, etc.

5. Liber **Defunctorum.** In eo describitur a parocho, quis, et quæ, et cui Sacramenta ministraverit, quando quis mortuus fuerit, et ubi sepultus.

Formam sequentem describendi Defunctos dat Rituale :

Anno... die... mensis... N., filius, vel *filia N., ex loco N., ætatis N.* (si hæc sciri possunt), *in domo N., in communione S. Matris Ecclesiæ animam Deo reddidit ; cujus corpus die... sepultum est in Ecclesia S. N. ; mihi N.,* vel *N. Confessario probato, confessus die..., sanctissimoque Viatico refectus die..., et sacri Olei unctione roboratus per me, die... etc.*

TITULUS II

De Sacramento Baptismi

Conspectus materiæ. Præter Instructionem præliminarem de Sacramento Baptismi rite administrando, præcipue sequentia traduntur in hoc Titulo:

1° Ordo Baptismi parvulorum.
2° Instructio, et ordo Baptismi adultorum.
3° Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum.
4° Ordo supplendi omissa super baptizatum adultum.
5° Ritus servandus cum Episcopus baptizat.
6° Benedictio Fontis Baptismi extra Sabbatum Paschæ et Pentecostes.

CAPUT I

DE SACRAMENTO BAPTISMI RITE ADMINISTRANDO

In Instructione præliminari Ritualis varia pertractantur, quæ sequens schema exhibet:

ARTICULUS I. De necessitate Baptismi, et diligentia adhibenda in ejus ministerio.

ARTICULUS II. De necessariis ad Baptismum ministrandum.
- § 1. De materia remota.
- § 2. De forma.
- § 3. De materia proxima.
- § 4. De Ministro.

ARTICULUS III. Quæstiones practicæ de baptizandis parvulis.
- § 1. De opportuna ad ecclesiam delatione infantis pro Baptismo.
- § 2. De Baptismo infantis in utero.
- § 3. De Baptismo fœtus.
- § 4. De Baptismo pueri inventi.
- § 5. De Baptismo monstri.

ARTICULUS IV. De Solemnitatibus accessoriis in collatione Baptismi solemnis.
- § 1. De Patrinis.
- § 2. De tempore administrandi Baptismum.
- § 3. De loco administrandi Baptismum.
- § 4. De Sacrorum Oleorum qualitatibus et asservatione, et de Sale.
- § 5. De præparatione ad ministrandum.

ARTICULUS I

De necessitate Baptismi, et de diligentia adhibenda in ejus ministerio

Q. 21. *Quid dicit Rituale de necessitate Baptismi, et consequenter de diligentia adhibenda in Baptismi administratione ac susceptione ?*

R. « Sacrum Baptisma, christianæ religionis et æternæ vitæ janua, quod inter alia novæ Legis Sacramenta a Christo instituta primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse, ipsa Veritas testatur illis verbis : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* (*Joan. 3.*) Itaque summa ad illud opportune, riteque administrandum ac suscipiendum diligentia adhibenda est. »

« Cum autem ad hoc Sacramentum conferendum alia sint de jure divino absolute necessaria, ut materia, forma, minister ; alia ad illius solemnitatem pertineant, ut ritus, ac cæremoniæ, quas ex Apostolica et antiquissima traditione acceptas et approbatas, nisi necessitatis causa, omittere non licet ; de iis aliqua præmonenda sunt, ut sacrum hoc ministerium rite et sancte peragatur. »

ARTICULUS II

De necessariis ad Baptismum ministrandum

§ I. De materia remota Baptismi

Cfr. Theol. Tract. de Sacramento Baptismi n° 3 et 4.

Q. 22. *Quænam est materia valida Baptismi ?*

R. « Ac primum intelligat Parochus, cum hujus Sacramenti materia sit aqua vera ac naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi posse. »

Q. 23. *Quænam est materia licita Baptismi solemnis ?*

R. « Aqua vero solemnis Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbato sancto Paschatis, vel Sabbato Pente-

costes, quæ in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur. » Veterem hanc esse Ecclesiæ consuetudinem, ut aqua hujusmodi solemni ritu consecretur, huncque ritum inter traditiones Apostolicas esse recensendum, ex SS. Patrum testimoniis comprobant auctores.

Q. 24. *Quænam est materia licita Baptismi privatim in necessitate administrati ?*

R. Si Sacerdos vel Diaconus privatim baptizat, est aqua baptismalis e Fonte delata, nisi necessitas urgeat ; si clericus Diacono inferior vel laicus baptizat, est aqua simplex, seu communis ; vel melius, si haberi potest, aqua benedicta desumpta ex Fonte ante admixtionem SS. Oleorum, quam secum afferunt fideles occasione solemnis benedictionis Fontis Baptismalis ; aut saltem aqua benedicta pro aspersione fidelium.

Q. 25. *Quid faciendum est de aqua baptismali quæ in Fonte superest, quando nova benedicenda est ?*

R. « Hæc, quando nova benedicenda est, in Ecclesiæ, vel potius Baptisterii sacrarium effundatur. »

Q. 26. *Quid faciendum est, A) quando aqua baptismalis tam imminuta est, ut minus sufficere videatur ; B) quando corrupta est aut quovis modo deficit ?*

R. A) « Si aqua benedicta tam imminuta sit ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate. »

B) « Si vero corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ infra præscribitur. »

Ad dubium propositum de Baptismo collato cum aqua benedicta, quæ tamen ob climatis intemperiem fœtida evaserat, S. Congregatio Inquisitionis, die 17 Aprilis 1839, respondit : « Baptismos collatos cum aqua corrupta fuisse validos quamvis illicitos extra casum necessitatis ; et in casu necessitatis præferendam aquam naturalem : sed providendum renovationi aquæ fontis baptismalis juxta Rituale Romanum. »

Q. 27. *Quid fieri potest, si aqua congelata, aut nimium frigida est ?*

R. « Si aqua conglaciata sit, curetur, ut liquefiat : sin autem ex parte congelata sit, aut nimium frigida, poterit parum aquæ naturalis non benedictæ calefacere, et admiscere aquæ baptismali in vasculo ad id parato, et ea tepefacta ad baptizandum uti, ne noceat infantulo. »

Q. 28. *Quænam est significatio materiæ Baptismi ?*

R. Aqua indicat naturam et significat effectum Baptismi. Nam 1° sicut « aqua sordes abluit ; ita etiam Baptismi vim atque efficientiam, quo peccatorum maculæ eluuntur, optime demonstrat. — 2° Quemadmodum aqua refrigerandis corporibus aptissima est ; sic Baptismo cupiditatum ardor magna ex parte restinguitur. » — « Quod si quis scire cupiat, quanam ratione tanta et tam divina virtus a Domino aquis tributa sit ; id quidem humanam intelligentiam superat. Hoc vero satis percipi a nobis potest, Baptismo a Domino suscepto, sanctissimi et purissimi ejus corporis tactu aquam ad Baptismi salutarem usum consecratam esse. » (*Catechismus Concilii Tridentini*, Pars II, Cap. II, Tit. X et XX.)

§ 2. De forma Baptismi

Cfr. Theol. Tract. n° 9, 10, 34 et 35.

Q. 29. *Quænam est forma Baptismi ; et quid de ea est notandum ?*

R. « Quoniam Baptismi forma his verbis expressa : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,* omnino necessaria est, ideo eam nullo modo licet mutare, sed eadem verba uno et eodem tempore, quo fit ablutio, pronuntianda sunt. »

Inferes magna utendum esse cautela, ut devote cum diligentia verba pronuntientur, debitum servetur tempus aquam effundendi verbaque proferendi, ne quid irreverenter agatur in Sacramentum, et ut omne periculum nullitatis vitetur.

« Latinus Presbyter latina forma semper utatur. »

Notandum, vocem *Amen* non esse addendam in fine formæ Baptismi ; S. Rituum Congregatio dubio hac de re proposito respondit,strictim in casu servandum esse Rituale Romanum. (Decret. 9 Junii 1853 ; n. 3014, antiq. 5188, ad 2.)

Q. 30. *Quænam est forma conditionalis in casu Baptismi dubie collati ?*

R. « Cum Baptismum iterare nullo modo liceat, si quis sub conditione (de quo infra) sit baptizandus, ea conditio explicanda est hoc modo : *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris etc.* »

Q. 31. *Quid notat Rituale de usu formæ conditionalis ?*

R. « Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet, sed prudenter ; et ubi, re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum. »

« Qua in re, ait Catechismus Concilii Tridentini (Pars II, Cap. II, Tit. LVII), diligenter a Pastoribus aliqua providenda sunt, in quibus non sine maxima Sacramenti injuria peccatur. Neque enim desunt, qui nullum scelus admitti posse arbitrentur, si quemvis sine delectu cum adjunctione illa baptizent : quod quidem sine sacrilegio facere non possunt ; et eam maculam suscipiunt, quam divinarum rerum Scriptores Irregularitatem vocant. Absque dubitatione enim numquam fas est etiam cum adjunctione Baptismum alicui iterum administrare. »

Q. 32. *Da regulas hac de re in Statutis Diœcesanis præscriptas.*

R. « Si infans, qui ad solemne Baptisma defertur, domi ob necessitatem a laico baptizatus fuerit, hac sola de causa minime licet sacram ablutionem etiam sub conditione repetere, cum certum sit, Baptismum a laico valide conferri posse ; sed casus cum circumstantiis diligenter considerandus est. Et quidem,(1°) si certo constet, omnia essentialia fuisse abhibita, cæremoniæ unice supplendæ sunt. (2°) Si e contra certo constet, aliquid essentiale fuisse omissum, Baptismus absolute conferendus est, non secus ac si nihil actum fuisset.

(3°) Si vero prudens dubitatio adsit, an omnia essentialia fuerint adhibita, ad Sacramenti administrationem sub solitis precibus et cæremoniis procedi debet, et formæ adjecta conditione : *Si non es baptizatus, ego te baptizo, etc.* » (Stat. diœc. n. 222.)

§ 3. De materia proxima Baptismi

Cfr. Theol. Tract. n° 5, 6 et 7.

Q. 33. *Quænam est materia proxima Baptismi ?*

R. Est materiæ remotæ, scilicet aquæ, applicatio, seu ipsa ablutio corporalis.

Q. 34. *Quibus modis fieri potest ablutio corporalis ?—Explica.*

R. Tribus modis : aut per **immersionem** ; — aut per **infusionem** ; — aut per **aspersionem** aquæ.

1° Baptismus per immersionem confertur mergendo caput vel totum corpus baptizandi in aquam ; ab hoc usu Baptismus nomen tenet : etenim vox græca Βαπτίζειν significat **intingere, immergere**, Βαπτισμὸς **intinctio, immersio**.

A prima usque Ecclesiæ ætate per tredecim priora sæcula Baptismum per immersionem regulariter collatum fuisse constat, huncque haberi sua adhuc ætate communiorem usum, testatur S. Thomas. (Pars III, Q. 66, art. 7.)

2° Tamen antiquitus conferebatur in extraordinariis casibus etiam **infusione**, scilicet effundendo aquam super caput baptizandi, quo tantum modo poterant baptizari e. g. in carceribus constituti, infirmi graviter decumbentes. Et revera legimus in Actis S. Laurentii martyris, quod aliquos aqua ex urceo super caput effusa baptizaverit.

3° Sed et non raro tanta adfuit baptizandorum multitudo, ut Baptismus eis fere non aliter, quam per **aspersionem**, seu defluentium guttarum aquæ projectionem, posset conferri.

« Ex his autem ritibus quicumque servetur, Baptismum vere perfici credendum est. Aqua enim in Baptismo adhibetur ad significandam animæ ablutionem, quam efficit. Ablutio autem non magis fit, cum aliquis

aqua mergitur, quod diu a primis temporibus in Ecclesia observatum animadvertimus ; quam vel aquæ effusione, quod nunc in frequenti usu positum videmus ; vel aspersione, quemadmodum a Petro factum esse colligitur, (*Actus Apostolorum*, II, 41) cum uno die tria millia hominum ad fidei veritatem traduxit, et baptizavit. » (*Catechismus Concilii Tridentini*, Pars II, Cap. II, Tit. XVII.)

Inde demum a sæculo decimo tertio ritus infusionis, multo commodior, sola consuetudine sensim ita invaluit, ut in Ecclesia Latina jampridem fere ille tantum vigeat.

Immersio et infusio magis ab Ecclesia approbantur, easque solas retinendas esse, pro Ecclesiarum consuetudine, dicit Rituale.

Notare juvat Decretum S. Rom. Univ. Inquisitionis, 14-16 Decembris 1898, circa validitatem Baptismi collati per modum unctionis in fronte : Expositum fuit aliquem Sacerdotem parochum a pluribus annis Baptismum pueris contulisse non per ablutionem, sed per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto ; impossibile dictu quot pueri, et a quonam tempore sic fuerint baptizati : multi jam adulti : multi ad alias regiones profecti : multi jam mortui. Responsum a S. Congregatione fuit : Curandum ut iterum baptizentur privatim, sub conditione, adhibita sola materia cum forma, absque cæremoniis ; et ad mentem. — Mens est ut excitetur speciatim attentio Episcopi circa modo exposito Baptizatos, qui postea fuerint ad Ordines Sacros promoti.

Q. 35. *Indica quinque conditiones a Rituali requisitas pro debita aquæ infusione.*

R. « (1°) Trina ablutione (2°) caput baptizandi perfundatur, vel immergatur (3°) in modum crucis, (4°) uno et eodem tempore, quo verba proferuntur, et (5°) idem sit aquam adhibens et verba pronuntians. »

Q. 36. *In qua capitis parte debet fieri aquæ infusio ?*

R. Abluitur caput, in quo omnes tum interiores tum externi sensus vigent. Infusio vero, secundum

Ecclesiæ praxim, fit in vertice capitis, ita ut aqua tractu quodam successivo e vertice per frontem defluat.

Q. 37. *Quid faciendum si infans multum crinitus baptizandus est ?*

R. Si infans jam densos et ab obstetrice non sollicite purgatos sed quadam quasi pinguedine perfusos capillos habeat, per quos aqua baptismalis ad cutem verticis penetrare nequeat, Sacerdos digitis sinistræ manus cæsariem aliquantulum discriminabit, dum dextera infundit aquam magis versus et super frontem.

Q. 38. *Quomodo Sacerdos distribuet tres ablutiones sub forma ?*

R. Effundens aquam, ad primæ crucis lineam rectam dicit : **N. Ego te baptizo**, ad lineam transversam : **in nomine Patris** ; — ad secundæ crucis lineam rectam dicit : **et**, ad lineam transversam : **Filii** ; — ad tertiæ crucis lineam rectam dicit : **et Spiritus**, ad lineam transversam : **sancti.**

Q. 39. *Ubinam effundi debet aqua quæ in Baptismi collatione ex capite infantis defluit ?*

R. « Ubi vero Baptismus fit per infusionem aquæ, cavendum est, ne aqua ex infantis capite in fontem, sed vel in sacrarium Baptisterii prope ipsum fontem exstructum defluat, aut in aliquo vase ad hunc usum parato recepta, in ipsius Baptisterii, vel in Ecclesiæ sacrarium effundatur. » Non enim decet, quod aqua qua unus baptizatus sit, alter baptizetur, quia hoc pacto aqua potest fieri immunda per contactum : ideoque infusio facienda est, non supra fontem consecratum, sed super vas ad id paratum, quod a ministro tenetur, vel super piscinam juxta vel prope ipsum fontem constructam.

Q. 40. *Quænam est significatio hujusmodi ablutionis ?*

R. Ista trina mersione et subsequenti mox eductione significatur Sepultura Christi et post triduum Resurrectio ; sicut et vicissim per Mortem ac Resurrectionem Christi mors nostra spiritualis et in Baptismo resurrectio pulcherrime adumbratur, dicente Apostolo

(*Epistola ad Romanos*, VI, 4) : « Consepulti enim sumus cum Illo per baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. »

§ 4. De ministro Baptismi

Cfr. Theol. Tract. nº 12 et 13.

Q. 41. *Quinam olim erant* solemnis *Baptismi ministri ?*

R. Episcopis et Presbyteris datum est, ut jure suo, non extraordinaria aliqua potestate munus baptizandi exerceant. Primis Ecclesiæ sæculis soli Episcopi certis anni diebus solemni cæremonia Baptismum administrabant, quibus diebus Presbyteri non poterant sine venia Episcopi baptizare. Cujus disciplinæ exstant varia testimonia octo primorum sæculorum. Ex quo tamen lapsu temporis, aucto Christianorum numero, Presbyteri tamquam Rectores ecclesiarum seu Parochi constituti fuerunt, isti jus suum baptizandi indefinite exercuerunt.

Diaconi etiam fuerunt inde ab initio Ecclesiæ Baptismi solemnis ministri, sed extraordinarii tantum, quibus id licebat ex Episcopi aut Presbyteri delegatione seu commissione in necessitate tantum tribuenda.

Q. 42. *Quinam indicatur a Rituali legitimus Baptismi solemnis minister ?*

R. « Legitimus quidem Baptismi minister est Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus. »

Q. 43. *Quinam possunt in necessitate baptizare ; et quis ordo servandus est inter ministros necessitatis ?*

R. « Quoties infans, aut adultus versatur in vitæ periculo, potest sine solemnitate a quocumque baptizari, in qualibet lingua, sive clerico, sive laico etiam excommunicato, sive fideli, sive infideli, sive catholico, sive hæretico, sive viro, sive femina, servata tamen forma et intentione Ecclesiæ. »

« Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, et vir feminæ, nisi pudoris gratia deceat feminam potius, quam virum

baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi. Quapropter curare debet Parochus, ut fideles, præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servent. »

« Pater aut mater propriam prolem baptizare non debent, præterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur, qui baptizet ; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quæ matrimonii usum impediat. »

In his, ait Catechismus Concilii Tridentini (Pars II, Cap. II, Tit. XXIII), « profecto summam Domini nostri bonitatem et sapientiam licet admirari. Nam cum hoc Sacramentum necessario ab omnibus percipiendum sit : quemadmodum aquam ejus materiam instituit, qua nihil magis commune esse potest ; sic etiam neminem ab ejus administratione excludi voluit.»

ARTICULUS III

Quæstiones practicæ de baptizandis parvulis

§ 1. De opportuna delatione infantis ad ecclesiam pro Baptismo

Cfr. Theol. Tract. n° 28.

Q. 44. *Quid statuit Rituale de tempore et modo deferendi natos infantes ad ecclesiam pro suscipiendo Baptismo ?*

R. « Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes, sive baptizandos, sive baptizatos, quamprimum fieri poterit, et qua decet Christiana modestia sine pompæ vanitate deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur, cum periculo salutis, et ut iis, qui ex necessitate privatim baptizati sunt, consuetæ cæremoniæ, ritusque suppleantur, omissa forma et ablutione.»

§ 2. De Baptismo infantis in utero

Cfr. Theol. Tract. n° 23.

Q. 45. *Quænam cura, juxta Statuta Diœcesana, incum-*

bit Parochis circa Baptismum qui ob necessitatem infantibus confertur ?

R. « Parochi omnem solertiam curamque impendere debent, ut personæ quæ artem obstetriciam exercent, et aliæ quæ Baptismi Sacramentum sæpe conferunt, iis omnibus satis imbutæ sint, ut ait Benedictus XIV (*Institutiones ecclesiasticæ*, VIII, n. 2), quæ ad rem bene gerendam necessario requiruntur. Eas etiam præmuniant contra gravem abusum semper *assecurandi*, ut dicitur, infantes. » (Stat. diœc. n° 224.)

Q. 46. *Quænam est forma si Baptismus confertur infanti*: — *A*) *qui in utero materno baptizatur ;* — *B*) *qui caput emisit ;* — *C*) *qui aliud membrum emisit, quod vitalem indicat motum ?*

R. *A*) **Si es capax**, ego te baptizo etc. ; — *B*) Ego te baptizo etc. ; — *C*) **Si es capax**, ego te baptizo etc.

Q. 47. *An infans ita baptizatus, si natus vixerit, erit iterum sub conditione baptizandus ?*

R. In primo casu, cum baptismus collatus fuit infanti in utero materno, infans post ortum erit iterum sub conditione baptizandus, etiamsi in utero supra verticem fuisset baptizatus, ut declaravit S. Congregatio Concilii Tridentini, 12 Julii 1794. Idque observabitur, etiamsi in aliquo casu particulari medicus vere peritus et probus testetur, per methodum longe perfectiorem, quæ nunc adhibetur, aquam sine dubio caput infantis in utero attigisse. (Eadem S. Congregatio, 16 Martii 1897. Cfr. *Nouvelle Revue théologique*, XXIX, 1897, pag. 311.)

In secundo casu, cum infans caput emisit et, imminente mortis periculo, in capite baptizatus fuit, si postea vivus evaserit, non erit iterum baptizandus.

In tertio casu, cum baptizatus fuit in alio membro quod vitalem indicet motum, si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus.

Tenor hujus conditionis est : **Si non es baptizatus**, ego te baptizo in nomine Patris etc.

Q. 48. *Quænam est forma, cum baptizatur infans, de cujus vita dubitatur ?*

R. **Si vivis**, ego te baptizo etc.

§ 3. De Baptismo fœtus

Cfr. Theol. Tract. n° 25.

Q. 49. *Quænam est forma pro baptizando fœtu abortivo ?*

R. 1° Fœtus, qui habet formam humanam et dat signum vitæ, baptizandus est absolute.

2° Fœtus secundinis circumcinctus, prius in superficie secundinarum baptizandus est sub conditione : **Si es capax** ; deinde remotis secundinis iterum baptizetur sub conditione : **Si non es baptizatus.**

3° Fœtus abortivus qui humanus embryo esse videtur, baptizetur sub conditione : **Si es capax** ; et si sensibili motu caret, sub conditione : **Si es capax et vivis.**

In hujusmodi fœtus baptismo curandum est, ut non immotus teneatur in aqua immota, sed ut ablutio fiat, dum forma pronuntiatur, vel cum aquæ motu circa fœtum, vel immersione fœtus in aquam.

§ 4. De Baptismo pueri inventi

Cfr. Theol. Tract. n° 36.

Q. 50. *Quid præscribitur in Statutis de baptizandis pueris expositis et inventis ?*

R. « Pueri expositi et inventi sub conditione baptizandi sunt, etiamsi sal sit appositum, aut schedula apud puerum reperta testetur, Baptismum ei administratum fuisse ; nisi persona a qua schedula conscripta est, noscatur et fidem mereatur, aut constet aliunde, Baptisma valide fuisse collatum. » (Stat. diœc. n. 223.)

§ 5. De Baptismo monstri

Cfr. Theol. Tract. n° 26.

Q. 51. *Quomodo Baptismus conferendus est monstro : — A) in quo certum est duas esse personas ? Ex quibusnam id discerni potest ? — B) de quo dubium est, una ne, aut plures sint personæ ?*

R. *A*) Monstrum « de quo dubium est, una ne, aut plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur ; discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, unum vel plura pectora ; tunc enim totidem

erunt corda et animæ, hominesque distincti, et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi, unicuique dicendo : *Ego te baptizo etc.* Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo : *Ego vos baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quam tamen formam in iis solum, et in aliis similibus mortis periculis, ad plures simul baptizandos, et ubi tempus non patitur, ut singuli separatim baptizentur, alias numquam, licet adhibere. »

B) « Quando vero non est certum in monstro esse duas personas, ut quia duo capita et duo pectora non habet distincta ; tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo : *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* »

ARTICULUS IV

De solemnitatibus accessoriis in collatione Baptismi solemnis

§ 1. De Patrinis

Cfr Theol. Tract. n° 41 et 42.

Q. 52. *Quid decrevit Concilium Tridentinum de Patrinorum numero ?*

R. « Patrinus unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una adhibeantur, ex decreto Concilii Tridentini ; sed simul non admittantur duo viri, aut duæ mulieres, neque baptizandi pater, aut mater.»

Q. 53. *Quasnam qualitates Patrinos habere maxime convenit ? Quæ sunt eorum officia ?*

R. « Hos autem Patrinos saltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit. »

Patrinus quasi pater est, et spiritali generationi inservit quæ per Baptisma recipitur. Hæc enim generationi carnali quodammodo assimilatur, et sicut parvu-

lus nuper natus indiget nutrice et pædagogo, ita in regeneratione Baptismi requiritur qui fungatur vice nutricis et pædagogi. Ejus proinde, qui *susceptor* appellatur, *fidejussor*, *sponsor*, *compater*, *etc.*, officia sunt : infantem in templo præsentare baptizandum, in sacro Fonte suscipere, pro ipso respondere, vel si adultus est baptizandus, responsa suggerere, ejus curam habere, si opus est atque eum in fide et moribus instruere. (F. Stella, *Institutiones liturgicæ ;* Cfr. Ephemerides liturgicæ, VI, 1892, pag. 182.)

Q. 54. *Quinam non sunt ad munus Patrini adhibendi ?*

R. « Sciant præterea Parochi, ad hoc munus non esse admittendos infideles, aut hæreticos, non publice excommunicatos, aut interdictos, non publice criminosos, aut infames, nec præterea qui sana mente non sunt, neque qui ignorant rudimenta fidei. Hæc enim Patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur. »

« Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis Ordinis Regulares a sæculo segregati. »

Q.55. *Quinam juxta Statuta Diœcesana censeri etiam debent inter publice criminosos ?*

R. « Inter publice criminosos, quos Rituale Romanum a patrini munere repellit, censeri debent qui impletis dumtaxat formis civilibus maritaliter vivunt. » (Stat. diœc. n. 225.)

Q. 56. *Quid faciendum est si inopinato indignus aliquis se ad patrini munus præsentet ?*

R. « Si indignus se inopinato ad patrini munus præsentet, Sacerdos ipsi urbanis et suavibus verbis significabit, leges Ecclesiæ non permittere, ut admittatur. Facile tamen sinet, ut ceu testis assistat, tuncque infantem cum uno vel cum una baptizabit. » (Stat. diœc. n. 226.)

§ 2. De tempore administrandi Baptismum

Q. 57. *Quænam erat antiqua disciplina de tempore administrandi Baptismum ? Quid de ea hodiedum superest ?*

R. I. « Quamvis Baptismus quovis tempore, etiam interdicti, et cessationis a Divinis, præsertim si urgeat necessitas, conferri possit ; » Ecclesia non consueverat Sacramentum Baptismi adultis, qui ab infidelibus oriebantur, statim tribuere, sed ad certum tempus differendum esse constituerat. « Duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiæ ritu sacri sunt dies, in quibus solemni cæremonia hoc Sacramentum administrari maxime convenit : nempe Sabbatum sanctum Paschæ, et Sabbatum Pentecostes ; » Vigilia Paschatis, qua fit commemoratio Sepulturæ et Resurrectionis Domini, quia per Baptismum sepelimur cum Christo, et resurgimus in novitatem vitæ ; — Vigilia Pentecostes, qua incipit celebrari solemnitas Spiritus sancti, quia lex Baptismi hoc festo solemniter promulgata est, et Apostoli ipsi tria millia hominum baptizarunt.

Hæc disciplina eousque duravit, dum non jam amplius, vel certe pauci tantum aderant adulti baptizandi ; cessavit generatim sæculo nono.

II. Ejus vestigium remanet, quod Fons baptismalis hodiedum Sabbato sancto et in Vigilia Pentecostes solemniter benedicitur ; quod infra hebdomadam Paschatis et Pentecostes pro renatis Fonte Baptismatis preces speciales funduntur in Canone Missæ, et Baptismi celebratio sæpius innuitur in propriis Missis. — Imo Rituale docet, quod hunc « ritum, quatenus fieri commode potest, in adultis baptizandis, nisi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certe non omnino prætermitti, præcipue in Metropolitanis aut Cathedralibus Ecclesiis ; » — et Cæremoniale Episcoporum vetat ne « per octo dies ante, in ipsa Ecclesia, nisi periculum immineat, ullus infans baptizetur. » (Lib. II, Cap. 27, n° 18.)

Infantibus autem, et etiam adultis, si infirmitas, aut gravis urgeret necessitas, aut ferventius erga Baptismum studium adesset, administrabatur quovis momento, sine ullo respectu ad tempora vel dies.

Q. 58. *Quænam est hodierna disciplina Ecclesiæ de tempore administrandi Baptismum* ?

R. 1° Adulti obligantur ad suscipiendum hoc Sacra-

mentum quamprimum commode possunt, dummodo antea in fide sint instructi et probati ; ne diutius quam oportet, gratia Baptismi tantopere necessaria careant, et a cæterorum Sacramentorum usu excludantur. Attamen, quatenus fieri potest, decet, ait Rituale, eorum « Baptismum, ex Apostolico instituto, in Sabbato sancto Paschatis, vel Pentecostes solemniter celebrari. »

2° Quoad infantes, opportune hortetur Parochus parentes, ut natos infantes quamprimum fieri poterit, deferri curent ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis, aut, ut iis, qui ex necessitate privatim baptizati sunt, consuetæ cæremoniæ ritusque suppleantur, « Moneantur parentes, ob moram susceptorum, vel sub alio prætextu, Baptismum infantium ultra triduum differri non posse. » (Decretum in Congreg. Decanor. Archidiœc. Mechlinien., anni 1847). Invalescit tamen prava consuetudo dilationis, seu procrastinationis per plures aliquando dies.

§ 3. De loco administrandi Baptismum

Cfr. Theol. Tract. n° 38, et Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechlinien., anni 1884, ex Liturgia Q. V.

Q. 59. *Expone veterem Ecclesiæ disciplinam circa locum administrando Baptismati destinatum.*

R. Prima Ecclesiæ ætate, et deinde fervente persecutionum æstu, Baptismus ubique administrabatur ; ita legitur in Actibus Apostolorum collatus a Philippo « ad quamdam aquam, per viam » (Act. VIII, 36) ; et Tertullianus refert S. Petrum multos baptizasse Romæ in Tiberi, quemadmodum fiebat in Jordane.

Pace Ecclesiæ data, juxta Ecclesias Episcoporum cœperunt ædificari **Baptisteria**, dedicata Sancto Joanni Baptistæ, in quibus Episcopi statis diebus solemniter Baptismum conferebant per immersionem. Plerumque valde spatiosa, in medio habebant Fontem, et circum regulariter octo distinctos loculos, in quibus ante et post Baptismum catechumeni se disponebant ; nonnumquam etiam adjuncta erat capella cum Altari Sancti Joannis Baptistæ.

Q. 60. *Quænam est hodierna disciplina circa locum administrandi Baptismi ?*

R. « Licet, urgente necessitate, ubique baptizare nihil impediat ; tamen proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit Fons Baptismalis, vel certe Baptisterium prope Ecclesiam. »

« Itaque, necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum Capellis seu Oratoriis, et in aqua Baptismali de more benedicta. »

Potest tamen Episcopus in casibus particularibus, data sufficienti ratione, dispensare ; igitur ad Ordinarium semper recurrendum est, ut possit, præter casum necessitatis, extra Ecclesiam conferri Baptismus. (Cfr. Collationes Brugenses, IV, 1899, pag. 86-90.)

In ipsa autem Ecclesia non convenit quiscumque locus ; sed aliquod proprium sacellum, aut certe aliquis commodior Ecclesiæ locus determinari debet, ubi convenienter Fons baptismalis construatur, ad quem Baptismus conferri possit. Non admittitur ad hunc usum sacristia : declaravit enim S. Rituum Congregatio non licere, etiam ubi vigeret consuetudo, Baptismum solemniter administrare in sacristia, nisi adsit rationabilis causa ab Ordinario approbanda. (Decr. 16 Martii 1861, n. 3104, antiq. 5310, ad 9.)

Q. 61. *Quænam præscribunt Statuta Diœcesana de loco administrandi Baptismum ?*

R. « Ad normam Ritualis Romani, sub gravi prohibemus, ne Baptisma administretur extra ecclesiam, in qua sit fons baptismalis, vel certe extra baptisterium prope ecclesiam, nisi necessitas adsit, vel justa causa ab Episcopo recognoscenda. Volumus præterea, ut ad fontem baptismalem, et non in alio ecclesiæ loco, seposita iterum gravissima causa, conferatur. » (Stat. diœc. n. 219.)

Q. 62. *Quænam liturgicæ præscriptiones de Baptisterio notandæ veniunt ?*

R. (Cfr. S. Carolus Borromæus, in Libro, I, Cap. XIX, *Instructionum Fabricæ ecclesiasticæ.*)

1° Baptisterium construi potest ab Ecclesia separatum, formæ octangulæ vel rotundæ. — Si intra Ecclesiam, ut fere semper fit, ejus locus deligatur, designetur sacellum, Sancti Joannis Baptistæ nomine, a parte Aquilonis, seu Evangelii, prope ostium majus Ecclesiæ ; et ubi amplitudo sacelli tantum spatii fert, construatur Altare, super quo in pariete expressa sit sacra historia Joannis Baptistæ Christum baptizantis ; aut saltem, deficiente Altare, hujusmodi pictura sacra ad parietem apponatur.

2° **Fons** medio in Baptisterio disponatur, ut sufficiens spatium adsit, in quo circum Fontem commode adstare possint baptizandus, Sacerdos, patrini et minister.

Benedictus XIII vult, ut Sacerdos baptizans, cum aquam baptismalem fundit super caput baptizandi, stet versa facie ad Altare majus : igitur circa Fontem omnia disponantur eo modo ut hic situs possit servari.

3° **Sacrarium**, seu cisterna effodienda est, in qua projicitur aqua quæ ex capite baptizandi defluit. (Statut. diœc. n. 228.) Cisterna hæc ab intus undique, excepto fundo, muro lateritio vestiatur, et lapide secto quadrato, qui annulo sit munitus, cooperiatur. — S. Carolus adnotat supra sacrarium construendum esse vas super columellam positum, minoris formæ quam ipse Fons, in quo recipiatur aqua ex capite defluens, quæ mediante foramine et canali, per fundum et columellam, derivet in sacrarium : hæc structura convenientius disponitur prope Fontem baptismalem. Hanc supponit etiam Rituale (cfr. Q. 39), et ejus defectu tantum, in hunc finem parari præcipit vas, quod minister sustineat in Baptismi collatione.

4° **Armarium** quoque in pariete Baptisterii construatur, in quo sancti Chrismatis et Olei Catechumenorum vascula, et reliqua ad Baptismi ministerium necessaria reponantur. (Cfr. § 5 hujus Articuli.) Sera bene occludatur, et exterius decenter ornetur pictura sculpturave pia ; interius vero, partitum pro ratione et usu rerum quæ asservandæ sunt, panno serico albi, vel violacei coloris undique sit circumvestitum. In armarii parte superiore separatim convenientius ponentur vascula sacri Olei Catechumenorum et Chrismatis ; in parte

inferiori vero reliqua necessaria : vasculum cum sale, vasculum ad aquam Baptismi fundendam, etc. Prope armarium potest apponi candelabrum in quo accendetur cereus baptizato tradendus.

Ubi vero sacellum distinctum pro Baptisterio exstrui præ angustia,aut Ecclesiæ structura non potest, eadem tamen servata forma, angustius fiat Baptisterium a reliqua Ecclesiæ parte sejunctum, et cancellis ferreis vel æneis circumseptum.

Q. 63. *Indica et explica conditiones a Rituale requisitas pro ipso Fonte baptismali.*

R. « Baptisterium (Fons) sit decenti loco et forma, materiaque solida, et quæ aquam bene contineat, decenter ornatum , et cancellis circumseptum , sera et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis, vel aliæ sordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur imago sancti Joannis Christum baptizantis. »

1° Debet Fons esse decenti forma : scilicet vas formæ octangulæ vel rotundæ, impositum columellæ cum basi , polito et ornato opere decenter elaboratum, magnumque satis pro frequentia et numero baptizandorum per annum.

2° Sit e materia solida, et quæ aquam bene contineat: conficietur ex uno, si potest, lapide solido, marmoreo vel lapideo non poroso ; qui si haberi nequeat, sit ex quovis lapide, sed ab intus tunc stanneo vase vestiatur usque ad oram, qui vestitus debet manubriis muniri, ut possit auferri et debito tempore diligenter mundari. Potest etiam confici ex cupro ; propter æruginem tamen intus stanno vestiatur.

3° Sit sera et clave munitus, atque ita obseratus, ut pulvis, vel aliæ sordes intro non penetrent : quare operculum, convenientius ligneum, quod omnem Fontis oram apte contegat, imponitur, cardinibus et feramentis et sera munitum, cujus sint duæ claves bene custoditæ (cfr. Statut. diœc., Append. VIII, Formula visitat. decan. Tit. I, 8°) a Parocho aut ab alio Sacerdote.

Jam vero summa cura adhibeatur, ut aqua sit quam fieri potest mundissima et limpida ; et si quid mucoris,

vel quarumvis sordium contrahat, a Sacerdote tantum, et nullo alio, propter sacrum Chrisma et Oleum tempore benedictionis immissum, accurate mundetur ; et quæ inde extracta fuerint, vel comburantur vel in Baptisterii sacrarium projiciantur.

4° Sit decenter ornatus : ideo super operculum ligneum, de quo supra, erigatur aliud cooperculum per modum pyramidis aut turris, ex ligno pulchre elaborato aut cupro, cum cælaturis aut imaginibus, aut certe decenter picto, superimposita in medio imagine, S. Joannem Christum baptizantem vel aliud mysterium exhibente. Et ubi Ecclesiæ sumptus suppetunt, conopæo seu tentorio serico albi coloris veletur ; vel, si cooperculum pulchris cælaturis aut sacris imaginibus exornatum existit, loco conopæi bene poterit papilio sericus albi coloris adhiberi supra cooperculum dependens, ita ut pulchra ornamenta videri queant.

Nota. 1° S. Carolus adnotat situm Fontis in medio Baptisterii ita profundum, ut e capellæ pavimento descendatur tribus saltem gradibus, ut hoc descensu et aliquantula profunditate aliquam sepulchri similitudinem exhibeat. (Cfr. Q. 40.)

2° Fons potest etiam ita construi, ut duas partes habeat juxtapositas, unam quæ aquam baptismalem continet, alteram in qua recipitur aqua ex capite defluens , et quæ mediante canali communicat cum sacrario. (Cfr. Q. 62, ad 3.)

§ 4. De sacris Oleis et de Sale

A. DE QUALITATIBUS OLEORUM

Q. 64. *Quænam sacra Olea adhibentur in collatione Baptismi ?*

R. 1° **Sacrum Oleum, quod et Catechumenorum dicitur,** quo baptizandus inungitur in pectore et inter scapulas aut humeros.

2° **Sacrum Chrisma,** confectum ex oleo olivarum et balsamo, quo baptizatus inungitur in vertice seu summitate capitis.

Q. 65. *Quid præscribitur de usu et renovatione sacrorum Oleorum ?*

R. 1° Sacerdos debet in administratione Baptismi uti sacris Oleis, quæ « eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta Feria V in Cœna Domini. »

« Veteribus Oleis, nisi neccessitas cogat, ultra annum non utatur ; » qui, Oleo recenti posthabito, veteri uteretur, graviter peccaret.

2° Curare debet igitur Parochus, ut noviter consecrata Olea quamprimum habeat, saltem ante Sabbatum sanctum, cum tunc in benedictione Fontis baptismalis de eis infundi in Fontem debet.

Si autem aliquis Parochus, ex rationabili causa (qualis censetur locorum distantia, viarum difficultas et asperitas, aeris temporumque vicissitudo et intemperies, non vero inducta consuetudo, quæ potius appellari debet abusus, damnandaque corruptela), nequit in promptu habere Sabbato sancto in benedictione Fontis baptismalis sacra Olea præcedenti Feria V in Cœna Domini consecrata, benedictionem Fontis celebrabit cum infusione sacrorum Oleorum anni præcedentis (S. Rituum Congregatio, 23 Septembris 1837, n. 2773, antiq. 4820, ad 1) ; in tali autem casu, accepta nova Olea non debent infundi in hanc aquam, quæ cum infusione veterum Oleorum fuit benedicta, sed potius ad infundenda nova Olea exspectandum est usque ad aliam benedictionem, quæ fiet in Vigilia Pentecostes. (S. Rituum Congregatio, 12 Augusti 1854, in *Lucionen.* ad 80.) Attamen, si nova Olea in benedictione Fontis nondum habita, eodem die vel saltem brevi, et ante casum administrandi Baptismi haberi possent, Parochus Fontem in Sabbato sancto benedicet, omittendo sacrorum Oleorum infusionem, et subinde recepta nova Olea privatim ac separatim, opportuno tempore in aquam infundet. (S. Rituum Congregatio, 12 Aprilis 1755, n. 2773, antiq. 4252, ad 3.)

Item licet, in ipso Baptismo, uti Oleis anni præcedentis, cum recentia haberi nequeunt : nec differendæ sunt cæremoniæ a Rituali Romano præscriptæ usque dum nova Olea recipiantur. (S. Rituum Congregatio, 23 Septembris 1837, n. 2773, antiq. 4820, ad 4.)

Cfr. Conferentiæ eccles. diœc. Mechlinien. anni 1873, ex Liturgia Q. VI.

Q. 66. *Quid faciendum est de sacris Oleis quæ post annum supersunt ?*

R. « Quidquid ex veteribus superfuerit, si liquidum, infundatur lampadi quæ coram Sanctissimo lucet ; quod autem in bombacio aut in simili re servatum fuerit, comburatur, et cineres in sacrarium mittantur. » (Stat. diœc. n. 380.) Hæc Oleorum combustio, sicut et vasorum politura, nonnisi a Sacerdote, vel a Clerico in Sacris peragenda est.

Q. 67. *Quid faciendum si sacra Olea deficere videntur ?*

R. Si intra annum deficere videatur Chrisma aut Oleum benedictum, subsidium peti poterit a Capellano Episcopi ; si autem « haberi non possit, aliud Oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate. » Hujusmodi autem additio in casu tantum necessitatis fieri potest ; minime vero licet statim post accepta sacra Olea Feria V in Cœna Domini, sacris Oleis benedictis aliam olei non benedicti quantitatem addere. (S. Rituum Congregatio, 7 Decembris 1844, n. 2883, ad 3, antiq. 5000, ad 4.)

B. REGULÆ DE SS. OLEORUM ASSERVATIONE

Q. 68. *Indica præscriptiones ecclesiasticas circa asservationem sacrorum Oleorum.*

R. Sacra Olea asservantur in vasculis majoribus, quæ etiam ampullæ dicuntur, vel, pro usu quotidiano, in vasculis minoribus. De utrisque tria præscribit Rituale :

1° Quoad materiam, debent esse argentea, aut saltem stannea. Non sint ex cupro, vel aurichalco, etsi deargentato, ob æruginem quæ gigneretur. Perpolita semper serventur, atque omnino munda.

2° Debent esse distincta, ne quis error committatur ; quare unumquodque habeat inscriptionem incisam majusculis litteris, scilicet : **Oleum Catechumenorum, Sacrum Chrisma** ; vel saltem initiales litteras **O. C.** et **S. C.** — Ita distincta vascula possunt tamen conjungi

in una capsula, ex ligno, aut stanno, aut argento, pulchre et decore elaborata.

3° Debent esse bene obturata et cooperta ; majora quidem operculo quod opere tornatili in os et collum vasculi inseritur ; — minora operimento quod fibula argentea stanneave annectitur, et a vasculo non disjungitur, sed eo aperto totum a tergo pendeat.

Ampullæ ordinarie, et optime, deponuntur in aliqua capsula, e nuce, aliove ligno, in tres partes distincta (tertia pars servit pro ampulla Olei Infirmorum, de quo postea dicetur), ita ut in singula ex partibus una ex ampullis apte collocetur ; hujusmodi capsula corio decenti undique pro tegumento muniatur, ornatuque sericeo vestiatur intrinsecus ; clave et sera claudatur.

Optime etiam vascula minora collocantur in aliqua lignea capsula.

Addi his potest 4°, quoad formam minorum vasculorum, quod ejus debent esse amplitudinis, ut Sacerdos pollicem inferre et referre commode possit. Quidam etiam notant parvam crucem posse apponi in summitate cooperculi.

Q. 69. *Quomodo potest caveri periculum effusionis sacrorum Oleorum e vasculis ?*

R. In vascula minora « ex majoribus vasculis Chrismatis et Olei, quod sufficiat, infundatur, atque ut effusionis periculum caveatur, commodum erit, in his vasculis bombacium, seu quid simile habere, Oleo sacro, et Chrismate separatim perfusum, in quo pollex, cum opus est, ad inungendum immittatur. »

Q. 70. *Ubi asservari debent vascula sacrorum Oleorum ?*

R. Rituale præscribit ut decenter asserventur : 1° « in loco proprio, honesto, ac mundo » ; 2° « sub clave, ac tuta custodia, ne ab aliquo, nisi a Sacerdote, temere tangantur, aut eis sacrilege quisquam abuti possit. »

Ex hoc contextu aliisque Rubricæ locis declaratum videtur Ecclesiam esse proprium locum, ubi sacra Olea asserventur ; at varius esse potest in Ecclesia locus pro iisdem custodiendis : etenim esse potest vel repositorium in sacristia, quod asservationi rerum sacrarum aut benedictarum tantum inserviat ; — vel armarium

Baptisterii (cfr. Q. 62 ad 4) ; — vel armarium seu fenestella in pariete muri ad cornu Epistolæ vel Evangelii, prope Altare majus, sed seorsim ab illo ; vel prope Altare in quo Tabernaculum SS. Sacramenti collocatur. Et quoniam longe decentius esset, adhibitis luminibus assidue ardentibus eadem asservari, propterea, ut plures monent hac de re scriptores, præstat prope Altare, in quo reconditur SS. Sacramentum, custodiam SS. Oleorum collocare ; illæ quippe, quæ ratione SS. Sacramenti ardent lampades, custodiendis etiam reverenter sacris Oleis possunt inservire. (Nota Gardellini ad Decretum S. Rituum Congregationis, 16 Decembris 1826, n. 2630, antiq. 4623, ad III.) Hoc certe deceret pro custodiendis majoribus vasculis, quorum usus quotidianus non est, dum pro commoditate, minora reposita manerent in armario Baptisterii. — In hoc tamen non insistendum ait eadem Nota, quia, licet deceat lampadem ardere, ubi sacra Olea asservantur, decentia tamen minime secum fert obligationem, et præceptum.

Prohibetur depositio in Tabernaculo SS. Sacramenti, etiam in loculo separato Tabernaculi. (Cfr. Conferentiæ eccles. diœc. Mechliniensis, anni 1870, ex Liturgia Q. 1.)

Armarium sit constructum tali a terra altitudine, ut commode aperiri possit sine ope scalæ. Intrinsecus panno sericeo violaceo undequaque vestiatur : extra vero opere lapideo vel ligneo, pulchre elaborato aut depicto exornetur. Ostiolum habeat ligneum, quod optime et absque rimulis claudatur, cum sera, et clavi, quæ a Parocho custodiri debet. In vertice armarii, aut in ostiolo exsculpantur vel pinguntur hæc verba : **Olea Sacra,** aut saltem litteræ **O. S.**

Q. 71. *Quid notat Rituale de illis qui hæc sacra Olea possunt deferre ?*

R. « Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se, vel alium Sacerdotem, vel saltem per alium Ecclesiæ ministrum hæc Olea deferantur : caveat item, ne de iis quicquam ulli umquam tribuat cujusvis rei prætextu. »

Per ministrum a Rituali designatum, aliqui auctores

intelligunt Diaconum aut Subdiaconum ; alii tamen admittunt quoque Clericum. Laicis vero personis non nisi in periculo et necessitate permittitur tactus sacrorum vasorum, dum sacra Olea continent.

C. DE SALE, CUJUS USUS EST IN BAPTISMO

Q. 72. *Quid notandum venit de benedictione salis, cujus usus est in Baptismo ?*

R. Sal sit benedictus sua peculiari benedictione, quæ in Ordine Baptismi præscribitur. Non tamen pro singulo Baptismo sal benedici debet, sed semel benedictus, alias ad eumdem usum deservire potest, ejusque, in casu, benedictio in Ordine Baptismi omittitur. Non potest adhiberi sal exorcizatus ad benedicendum aquam.

Q. 73. *Quas qualitates oportet ut habeat sal ? Quomodo asservatur ?*

R. I. Sit 1° naturalis, candidus, bene confractus et attritus ad instar pulveris ; 2° siccus ; 3° mundus ; ideo aliquoties per annum renovetur.

Non licet adhibere in collatione Baptismi parvum instrumentum ex sale confectum, quo interiora oris infantis tangerentur, sed servandum est Rituale, quod salem ad hoc requirit bene confractum et attritum.

II. Asservatur in aliquo vase, vel argenteo, vel vitreo, vel ligneo, quod cooperculo ob munditiem salis muniatur. Vas illud deponitur, vel in repositorio sacristiæ, vel potius in armario Baptisterii.

Q. 74. *An sal benedictus pro Baptismo potest alicui tradi ?*

R. Cum benedictio sali impertita sit ad hoc, ut ad nihil aliud inserviat quam functionem baptismalem, non debet exponi periculo ut alius hujus salis usus fiat, aut etiam ad faciendam aquam benedictam adhibeatur ; ideo præcipit Rituale ut « nemini tradatur, neque etiam iis, qui benedicendum attulerint, reddatur, sed ad alios baptizandos servetur, aut in sacrarium abjiciatur. »

§ 5. De præparatione ad administrationem Baptismi

A. DE REBUS PRÆPARANDIS

Q. 75. *Enumera ea quæ juxta Rituale, cum Baptismus administrandus est, in promptu esse debent.*

R. « Cum igitur Baptismi Sacramentum jam administrandum est, hæc in promptu esse debent : »

1° **Pro Sacerdote :**

« Stolæ duæ, ubi commode haberi possunt, una violacea, et altera alba, ut infra notatur, mutanda, sin minus, una saltem adhibeatur. »

« Ritualis liber sit paratus ; et item liber Baptismalis, in quo baptizati describuntur. »

2° **Pro sacris Oleis :**

« Vascula sacri Olei Catechumenorum, et Chrismatis. »

« Gossipium, alio nomine bombacium, seu quid simile, ad abstergenda loca sacris Oleis inuncta. »

« Medulla panis, qua inuncti Sacerdotis digiti, cum manus lavat, abstergantur ; et vas pro manuum lotione post Baptismum, quod huic tantum usui deservire decet. »

3° **Pro ministerio ipso :**

« Vasculum cum sale benedicendo, vel jam, ut dictum est, benedicto. »

« Vasculum, seu cochleare ex argento, vel alio metallo nitidum, ad aquam Baptismi fundendam super caput baptizandi, quod nulli præterea alii usui deserviat. »

« Pelvis, seu bacile ad excipiendam aquam ex capite defluentem, nisi statim in sacrarium defluat. »

« Alba vestis in modum pallioli, seu linteolum candidum, infantis capiti imponendum. »

« Cereus, seu candela cerea, baptizato ardens tradenda. »

His a Rituali requisitis addi potest linteolum mundum ad abstergendum caput baptizati, vel manus baptizantis.

Q. 76. *Inter præparanda enumeratur vasculum ad aquam Baptismi fundendam super caput baptizandi ; quid notari debet circa modum fundendi aquam super caput ?*

R. Pastorale Mechliniense præscribebat tantum Baptismum conferri debere « fundendo aquam, » non indicans modum ; et infusio generatim fiebat manu. Rituale Romanum vero, et omnes auctores, præscribunt, adhibendum esse ad aquam fundendam super caput baptizandi vasculum, seu cochleare, seu urceolum ex argento vel alio metallo, quo mediante Sacerdos semel accipit quantitatem aquæ sufficientem pro trina infusione. — Hujus vasculi facilior usus erit, si ita conficitur, ut ab una parte manubrio possit teneri, et a parte opposita ab illius ore labrum paulo contractius instar parvuli canalis existat, unde in infantis caput aqua tenuiter in modum crucis effundatur. (S. Carolus Borromæus, *Instructiones Fabricæ ecclesiasticæ*, Lib. 1, Cap. 19.)

Q. 77. *Quid indulsit S. Rituum Congregatio circa usum duarum stolarum, quæ inter præparanda ad Baptismum enumerantur ?*

R. Ad dubium : « Utrum in administrando Sacramento Baptismi licite Sacerdos uti possit stola bicolori, ex una parte violacea, et ex altera alba, juxta opportunitatem ex ea parte invertenda quæ colorem præferat a Rituali præscriptum ; » - post accuratum dubii examen S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : Affirmative. (Decr. 26 Martii 1859, n. 3086, antiq. 5285, ad 7.)

B. DE SERVANDIS IN ACCESSU AD BAPTISMUM

Q. 78. *Quo præmisso, quo modo indutus, et ad quem locum accedit Sacerdos ad ministrandum Baptismum ?*

R. « Omnibus igitur opportune præparatis, Sacerdos ad tanti Sacramenti administrationem, lotis manibus, superpelliceo, et stola violacea indutus, accedat : Clericum unum, seu plures, si potest secum adhibeat superpelliceo pariter indutos, qui sibi ministrent. »

« Ita paratus accedat ad limen Ecclesiæ, ubi foris exspectant qui infantem detulerunt. »

Q. 79. *De quibus interrogabit et admonebit eos qui infantem detulerunt ?*

R. A) Interrogat : 1° an sit infans suæ parochiæ,

masculus an femina, qui sint parentes, quando sit natus, et quod nomen imponendum ; — 2° an sit domi baptizatus, et a quo, et quam rite ; — 3° qui sint susceptores, qui infantem teneant, pro eoque respondeant. — Hæc omnia notat diligenter,ut inscribantur in Libro Baptismorum, juxta dicta ad Q. 20.

B) Admonet : 1° omnes præsentes, ut pie ac decenter assistant, propositis præsertim utilitate, vi ac usu rituum ac cæremoniarum Baptismi ; — 2° susceptores, ut prout opus fuerit, pro baptizando ad interrogationes respondeant ; — 3° eosdem susceptores, de spirituali cognatione, quam contracturi sunt cum baptizato, baptizatique patre et matre, quæ cognatio impedit matrimonium, ac dirimit.

Q. 80. *Quænam in Statutis Diœcesanis præscribuntur de nominibus baptizando imponendis ? Quare nomina Sanctorum imponuntur ?*

R. 1° « Sacerdos qui baptizat, numquam admittat nomina obscœna, fabulosa aut ridicula, vel inanium deorum et ethnicorum aut impiorum hominum, quod sacri canones vetant. Econtra assumi et in dubio adjici curet nomina Sanctorum aut Sanctarum, cum Christo regnantium , eaque in administratione Sacramenti pronuntiet integra, itemque integra et omnia registro baptismali perspicue inscribat. »

« Quod si baptizandus infans sub profano aliquo nomine in registris status civilis inscriptus jam fuerit, nomen alicujus ex Cœlitibus ei imponatur. Nomen tamen profanum simul cum alio vel aliis in libro baptismali notetur, ne ex nominum diversitate postea dubium oriatur de infantis identitate. » (Stat. diœc. N. 221.)

2° Nomen vero Sancti imponitur, « ut quivis nominis similitudine , ad virtutis et sanctitatis imitationem excitetur : ac præterea, quem imitari studeat, eum quoque precetur, et speret sibi advocatum ad salutem tum animi, tum corporis defendendam, venturum esse. » (Catechismus Concilii Tridentini, Pars II, Cap. II, N. 61.)

Nota : Curet Parochus, quoad fieri potest, ut infanti eligatur ac constituatur non tantum nomen quod-

cumque, sed certus Patronus, quem baptizatus deinceps colere, invocare et imitari valeat : ideo in Patronum eligatur Sanctus notus, cujus dies festivus et vita noscantur, præcipue ex Calendario Breviarii, vel saltem ex Martyrologio Romano. (Ita Piller, *Manuale Rituum*, pag. 358, in Nota.) Ideo optandum foret ut ad Baptisterium in promptu haberetur Martyrologium Romanum. Non raro tamen hodiedum adhibentur nomina, quæ neque in Calendariis ecclesiasticis, neque in Martyrologio occurrunt, ex gr. *Arthur, Coraly, Edgar, Elviris, Irma, Olga, Waldemar, etc.* ; aliquando etiam dantur nomina, quæ sunt versiones alicujus nominis ; ita *Betsy* est versio anglica *Elisabeth* ; *Didier* versio gallica *Desiderii* ; *Fritz* versio germana *Frederici* ; *Gaston* versio gallica *Vedasti* ; *Gilles* versio gallica *Ægidii* ; *Gottlieb* versio germana *Theophili* ; *Gretchen* versio germana *Margaritæ* ; *Gustave*, versio gallica *Augustini* ; *Harry* versio anglica *Henrici* ; *Herman* versio germanica *Germani* ; *Ivan* versio russica *Joannis* ; *Jenny* versio anglica *Joannæ* ; *Neddy* versio anglica *Eduardi* ; *Nelly* versio anglica *Helenæ*, vel *Eleonoræ* ; *Oscar* versio sueca *Anscharii* ; etc. (Cfr. Corblet, *Histoire du Sacrement de Baptême*, Tome II, Livre XIII ; — Beleze, *Dictionnaire des noms de Baptême* ; — Wyckmans, *Gouden Kalender der Belgische Heiligen en Gelukzaligen*.)

In casu versionis verum nomen latinum adhibere posset Sacerdos in administratione Baptismi ; pro cæteris judicat Baruffaldus (*Ad Rituale Romanum Commentaria*, Tit. X, n. 67), nulla esse rejicienda nomina a baptizante, nisi vere ea quæ in contemptum fidei Christianæ sunt, et odiosa Ecclesiæ. In dubio vero an nomen impositum sit alicujus Sancti, certus Patronus proponatur, et addatur dubio.

CAPUT II

ORDO BAPTISMI PARVULORUM

ARTICULUS I

Ordo consuetus Baptismi solemnis

Q. 81. *Ad quot capita redigendæ sunt cæremoniæ et precationes Baptismi ?*

R. « Omnes cæremoniæ et precationes, quibus in Baptismi administratione Ecclesia utitur, ad tria capita redigendæ sunt, ut in eis explicandis certus ordo a Pastoribus servari possit, et quæ tradita ab illis fuerint, auditorum memoria facilius retineantur. »

« Ac primum quidem illarum genus est, quæ antequam accedatur ad Baptismi fontem, servantur (cæremoniæ antecedentes) ; alterum earum, quæ cum ad ipsum fontem ventum est, adhibentur (cæremoniæ comitantes) ; tertium earum, quæ peracto jam Baptismo, addi solent (cæremoniæ subsequentes). » Catechismus Concilii Tridentini, Pars II, Cap. II, n. 61.)

§ 1. De cæremoniis antecedentibus

Q. 82. *Quis est finis cæremoniarum quæ antecedunt accessum ad Fontem baptismalem ?*

R. Finis earum est, ut repræsentetur præparatio ad justificationem per Baptismum, quo liberamur a servitute peccati et elevamur ad statum adoptionis filiorum Dei.

Q. 83. *Ubinam peragitur prima pars cæremoniarum ? Quare ?*

R. Juxta Rituale foris, ad limen Ecclesiæ, per quod intelligi posse dicunt auctores atrium, vestibulum, ingressum Ecclesiæ. Coram Sacerdote stante in limine a parte interiori Ecclesiæ, stant, infans positus super brachium dextrum illius qui eum defert, et ad hujus dexteram patrinus, ad sinistram vero matrina.

Non vane autem jubetur stare ad fores Ecclesiæ, et

ab ejus introitu prohibetur baptizandus, quia est extra Dei Ecclesiam, et indignus qui domum Dei ingrediatur, cui regnum cœlorum adhuc est clausum. Baptismus vero ipsi aperiet januas Ecclesiæ juxta triplicem significationem sumptæ: januam visibilis regni Dei in terris, januam materialis domus Dei, et januam regni cœlestis.

Q. 84. *Enumera successivas cæremonias quæ fiunt in hac statione.*

R. 1° Catechismus ; 2° exsufflatio ; 3° signa Crucis ; 4° impositio manus ; 5° impositio salis in ore ; 6° exorcismus ; 7° impositio manus.

Quædam ex his antecedentibus cæremoniis referuntur ad primævam disciplinam Catechumenatus, de quo dicetur longius Q. 117.

Q. 85. *Quæ est Catechismi ratio ?*

R. Baptizando exponuntur summa religionis capita, nempe fides, spes et charitas. Fides enim quæ justificationis est fundamentum, ut spem vitæ æternæ præstare possit, debet operari per dilectionem Dei et proximi.

Q. 86. *An in administratione Baptismi interrogationes, quibus respondere debet patrinus infantis, fieri possunt vernacula lingua, quandocumque dictus patrinus latinam ignorat ? An saltem interrogatio sermone latino facta, ut fert Rituale, illico in vulgarem transferri potest ?*

R. Quoad interrogationes et responsa, quæ Ordinem Baptismi præcedunt, ac pro quibus Rituale nullam exhibet formulam (de quibus agitur Q. 79), nullum dubium est quod fieri possint lingua vernacula ; sed hic agitur de iis solemnibus interrogationibus ac responsionibus, quarum tenor describitur peculiari formula in ipso Ordine Baptismi, scilicet : N° 1 : *N. Quid petis ab Ecclesia Dei ?* R. *Fidem.* Q. *Fides, quid tibi præstat ?* R. *Vitam æternam.* N° 14 : *N. Abrenuntias satanæ ?* R. *Abrenuntio.* Q. *Et omnibus operibus ejus ?* R. *Abrenuntio.* Q. *Et omnibus pompis ejus ?* R. *Abrenuntio.* — N° 17 : *N. Credis in Deum, etc. ?* R. *Credo.* Q. *Credis in Jesum Christum, etc. ?* R. *Credo.* Q. *Credis et in Spiritum sanctum, etc. ?* R. *Credo.* — N° 18 : *N. Vis baptizari ?* R. *Volo.*

Hucusque, quoad has interrogationes et hæc responsa, an nempe possint lingua vernacula fieri, ut proponitur in Quæstione, disciplina severior fuit ; nam S. Rituum Congregatio non semel negativum responsum ad utramque petitionem dandum censuit.

Nemini mira videatur severitas S. Congregationis, cujus ratio est, quia Rituale æque inviolate servandum est in administrandis Sacramentis, ac Missale in celebranda Missa ; et quia ad conservandam in tota Ecclesia uniformitatem, et ad præcavenda schismata, in functionibus liturgicis non nisi lingua liturgica adhibenda est. Sicut ergo in Missa ministrans latine et non vernacule respondere tenetur, sic etiam in Baptismo patrini. (Piller, *Manuale Rituum*, pag. 356, in Nota.)

Fatendum tamen est hoc jus in praxi valde difficile posse servari. Plurimi ideo jam Ordinarii expetierunt, et obtinuerunt Indultum a Sancta Sede, quo Summus Pontifex libenter indulget, ut in Collatione Baptismatis, propositis antea latine solemnibus interrogationibus et responsionibus, eædem deinde in faciliorem simplicium intellectum, et commodum vernacula lingua proferantur.

Notare quoque juvat, quod dubia hac de re S. Rituum Congregationi proposita, et S. Congregationis responsa, in nova editione Decretorum ejusdem S. Congregationis, anni 1898, expuncta fuerunt. (Cfr. Decreta 12 Septembris 1857, n. antiq. 5251, ad 17, nunc n. 3059 ; et 31 Augusti 1867, n. antiq. 5382, ad 1, nunc n. 3158 ; in utroque n. 17 et n. 1 non amplius referuntur.)

Ex concessis Indultis, de quibus supra, animadvertendum et concludendum sedulo est, numquam posse omitti interrogationes et responsiones latino sermone, eisque substitui tantum versionem vernaculam ; sed casu quo latine fieri non possunt responsiones, Sacerdos debet antea latine proponere interrogationes, et ipse dare responsiones, deinde interrogationes proponat lingua vernacula, quibus respondebit patrinus eadem vernacula lingua.

Q. 87. *Indica modum exsufflandi in faciem baptizandi, hujusque ritus motivum.*

R. Exsufflare debet Sacerdos ore angusto, seu compressis labiis, per modum expellentis, quod signum est expulsionis spiritus immundi, qui dare debet locum Spiritui sancto. (Hanc exsufflationem excipit in Ordine Baptismi Adultorum insufflatio, per modum halantis, ore aperto, quæ significat communicationem Spiritus sancti, qui per Baptismum datur electo, sicut insufflando a Deo data fuit protoparentibus vita naturalis, et item insufflando communicatus fuit a Christo Apostolis Spiritus sanctus.)

Q. 88. *Quomodo facienda sunt signa Crucis super baptizandum ?*

R. Quando designantur speciatim partes Cruce signandæ, e. g. frons, pectus, super has fit signum Crucis, solius pollicis dextri interiore parte physice tangendo locum Cruce signandum, vel nudum, vel vestibus contectum ; extensis interim et junctis reliquis digitis, et palma manus ad locum signandum conversa. Cum vero partes signandæ non speciatim nominantur, fit signum Crucis manu extensa, junctis digitis, et parvo digito converso ad baptizandum, sine tactu physico.

Q. 89. *Quid significant signa Crucis quæ hic præscribuntur ?*

R. Signa Crucis in fronte et in pectore declarant Baptismi mysterio sensus baptizati aperiri ac roborari, ut Deum excipere, præceptaque ejus intelligere ac servare possit. Imprimitur fronti quidem, ut numquam erubescat Evangelium ac Crucem Christi ; cordi vero, ut amet semper tenerrimo amore Crucifixum eumque sequatur.

Q. 90. *Quomodo Sacerdos imponit manum super caput infantis ? Da rationem hujus cæremoniæ.*

R. I. Sacerdos dexteram totam extensam per momentum imponit capiti infantis ; deinde sustinens dexteram extensam supra et versus caput infantis, dicit Orationem congruam.

II. In Scriptura sacra manuum impositio legitur ad varios salutares effectus peracta, nempe ad expellendas

infirmitates (*super ægros manus imponent et bene habebunt*, Marci, XVI, 18); ad impertiendam benedictionem, sicut Jacob manus imposuit super duos filios Joseph, et Christus Dominus manus imposuit parvulis. — Baptizando autem necessarium est, ut perfectam obtineat medicinam, ut a jugo satanæ liberetur, et cœlestem assequatur benedictionem.

Q. 91. *Quæ liturgica notanda sunt pro cæremonia benedictionis et impositionis salis? Quænam est hujus cæremoniæ significatio?*

R. **Liturgica.** 1° Minister Sacerdoti præsentat vas cum sale. — 2° Sacerdos exorcizat et benedicit sal, Oratione quæ ponitur in Rituali. Attamen, sal semel benedictus in Baptismo conservari potest pro sequentibus Baptismis, et ita servatus non eget nova benedictione in sequenti Baptismo; in quo casu exorcismus et benedictio omittuntur. — 3° Sacerdos pollice et indice dexteræ accipit frustulum seu granum salis, illudque immittit in os infantis, ita ut sal tangat partem labiorum non externam sed internam. Interea dicit formulam præscriptam.

Significatio. Sal non tantum præservat a corruptione, sed et insuper saporem præbet. Inculcatur per hanc cæremoniam baptizando vera christiana sapientia, quia fidei doctrina et gratiæ dono consecutus est ut non tantum a putredine peccatorum liberetur, sed et saporem bonorum operum percipiat, et divinæ sapientiæ pabulo delectetur, ac gustet quam suavis sit Dominus. — Quidam auctores etiam notant, antiquitus salis comestionem accipi in servandæ fidelitatis signum.

§ 2. De cæremoniis comitantibus

Q. 92. *Enumera successivas cæremonias inde ab introductione in Ecclesiam, usque ad collationem Baptismi.*

R. Cæremoniæ Baptismum comitantes sunt: 1° Introductio in Ecclesiam usque ad ingressum Baptisterii; 2° exorcismus; 3° salivæ tactus; 4° sponsio Baptismi prior per abrenuntiationem satanæ; 5° unctio sacro Oleo Catechumenorum; 6° accessus ad Fontem, et

mutatio stolæ ; 7° sponsio Baptismi altera per professionem fidei ; 8° desiderium Baptismi ; 9° collatio Baptismi.

Q. 93. *Quomodo introducitur baptizandus in Ecclesiam ?*

R. 1° Sacerdos imponit stolæ extremam partem sinistram super pectus infantis, et dicit formulam : *N. Ingredere, etc.* (Stolam in pectore infantis manu retinet persona quæ infantem gestat.) — 2° Sacerdos incedens a dextris baptizandi, et quasi ducens eum in Ecclesiam, procedit ad Baptisterium, dicens clara voce et latine *Credo* et *Pater.* Ipsum sequuntur susceptores, qui eadem recitant clara voce, sed ipsis licet eadem recitare idiomate vernaculo, si nequeant latino. — 3° Omnes subsistunt ante cancellos Baptisterii sive Fontis, et Sacerdos retrahit ab infante stolam. Cum recitatum fuerit *Pater,* Sacerdos, renibus versis ostio seu cancellis, reliquis coram eo stantibus, dicit exorcismum.

Q. 94. *Quænam notanda sunt circa cæremoniam qua Sacerdos saliva tangit aures et nares infantis ?*

R. Sacerdos pollice dextro accipit ex ore suo paululum salivæ. Rubrica præcipit, ut Sacerdos digito accipiat de saliva oris sui : S. Rituum Congregatio, per Decretum 4 Septembris 1875 (n. antiq. 5627, ad 3) rescripsit, in casu potius adhibendum esse pollicem quam digitum indicem. Accepta igitur saliva, Sacerdos immediate tangit : 1° lobulum auris dextræ baptizandi, dicens : *Ephpheta ;* 2° lobulum auris sinistræ, cum dicit : *quod est, Adaperire ;* 3° nares, in summitate nasi, dicendo : *In odorem suavitatis.*

Summæ antiquitatis esse hanc formulam, sicut et cæremoniam, testantur Ritualia plurima, præsertim vero Sacramentarium quod nomen habet S. Gelasii Papæ († 496). — Prima verba : *Ephpheta, quod est, Adaperire,* desumpta sunt ex Evangelio S. Marci (VII, 34), ubi narratur Christum Dominum ea dixisse, cum sanavit surdum et mutum, mittens digitos suos in auriculas ejus.

« Denotatur autem hoc ritu : puerulum istum sine auditu et sine odoratu adhuc esse pro Doctrina Evangelica, pro hac Sanctorum scientia ; — ideo nunc in

Baptismo, et ita quidem **aperiendas esse aures ejus : ut** pro semper apertæ maneant ad verbum Dei audiendum ; quæ auditio utinam omni tempore tam grata illi sit, quam gratus est naribus **odor bonus** : quo sic vita sancta Deo semper placeat. Quod ut revera in eo adimpleatur, Sacerdos, tamquam potestatem habens, pro conclusione Exorcismi, cum severa judicii divini comminatione amandat ab eodem spiritum nequam, subjungens : *Tu autem effugare diabole ; appropinquabit enim judicium Dei.* » (Kozma de Papi, *Liturgica Sacra*, Pars II, Cap. I, § 66.)

Q. 95. *Quare, et quo modo inungitur baptizandus sancto Oleo Catechumenorum ?*

R. 1° Instante proxime momento gratiæ Baptismi, fit ex Apostolica traditione solemnis sponsio, scilicet abrenuntiatio satanæ, triplici proposita quæstione, triplicique data abrenuntiationis sponsione (cfr. Q. 86) ; qua indicto veluti dæmoni bello, baptizandus congrue, more athletarum, inungitur, quasi luctamen contra hostium impetus jamjam ingressurus, Oleo Catechumenorum; primum in pectore, quatenus per gratiam Baptismi roboratur ad fidem Christi in corde firmiter tenendam ; dein inter scapulas, quatenus corroboratur ad jugum legis Christi constanter ferendum.

2° Quoad modum quo fit hæc unctio, notanda sunt :

I. Sacerdos ipse, si minister est laicus, accipit ex armario vel credentia vasculum sacri Olei, illudque, facta unctione, reponit.

II. Unctio debet fieri in pectore, et in collo inter scapulas; quare opportune et congrue aperiuntur vestes infantis, ut hæc unctio fieri possit.

III. Unctio fit pollice, non autem virgula, nisi in casu necessitatis, e. g. morbi contagiosi ; de quo datur sequens Decretum S. Rituum Congregationis : Ad dubium : « Attenta praxi communi et perantiqua utendi pennicillo seu virgula argentea in administrando Baptismi Sacramento in Ecclesia, loco pollicis manus dexteræ, abolenda ne erit hujusmodi consuetudo, utpote contraria Rituali Romano ? » S. R. Congregatio audito

voto, re mature diligenterque perpensa, rescribere rata est : « Affirmative, remota necessitatis causa. » (Decret. 31 Augusti 1872, n. antiq. 5517, ad 1.)

Sacerdos pollicem intingit in Oleo sacro, ita ut pollicis summitas tantum sacro Oleo sit intincta ; eaque efficit signum Crucis in parte inungenda.

IV. Utraque unctio fit sub unica formula, ita ut ad primam Crucem in pectore dicatur : *Ego te lineo*, ad lineam rectam ; *oleo salutis*, ad lineam transversam ; — ad alteram vero inter scapulas : *In Christo Jesu Domino nostro*, ad lineam rectam ; *ut habeas vitam æternam*, ad lineam transversam. — Semel tantum intingitur pollex in Oleo sacro. Utraque unctione facta, Sacerdos bombacio abstergit prius suum pollicem, deinde loca inuncta in pectore et in collo.

Q. 96. *Quandonam Sacerdos deponit stolam violaceam, assumitque aliam albi coloris ? Quod hujus mutationis est motivum ?*

R. 1° Stolam violaceam deponit, et sumit aliam albi coloris, postquam pollicem et inuncta loca abstersit bombacio.

2° Significatur hac coloris luctus in lætitiæ mutatione, quod instante Baptismi collatione, baptizandus e peccatore fit justus, et intrat in statu innocentiæ, gaudii et sanctitatis.

Q. 97. *Quinam ritus immediate præcedunt Baptismi collationem ?*

R. 1° Omnes intrant in ambitum Baptisterii,et accedunt ad Fontem baptismalem ; si nihil obstat, Sacerdos se sistit facie conversa ad Orientem, seu ad Altare majus ; ad ejus sinistram sistitur baptizandus.

2° Fit professio fidei a baptizando, qui de Symboli articulis rogatus, fidem suam solemni religione profitetur, ter respondendo per patrinum : *Credo*. (Cfr. Q. 86.)

3° Sacerdos compellans baptizandum, quærit ejus voluntatem, an velit baptizari. Hujus interrogationis rationem dat Catechismus Concilii Tridentini (Pars II, Cap. II, n. 61) : « Quemadmodum enim homo sua voluntate serpenti obediens merito damnatus est, ita

Dominus neminem in suorum numerum, nisi voluntarium militem, abscribi voluit. (Cfr. Q. 86.)

Q. 98. *Ad quid in collatione Baptismi attendere debet Saeerdos ?*

R. De ipsa ablutione, et de modo quo fiat, sicut et de forma, dictum satis fuit in Articulis præcedentibus. (Pro forma, vide dicta QQ. 29 ad 32 ; pro ablutione QQ. 35 ad 40.) Addendum remanet, quod infans debet sustineri capite nudato, et versa facie ad terram, supra pelvim vel supra vas sacrarii, eoque modo ut caput ad dexteram Sacerdotis teneatur. Attendere autem inprimis Sacerdos debet, ut Patrinus, vel Matrina, vel uterque si ambo admittantur, infantem teneant, scilicet ut vel vere eumdem sustineant super brachia, vel saltem manum dextram apponentes aut supponentes eum physice tangant.

Teneri potest aliquod linteolum subtus frontem infantis, ne aqua e vertice in faciem defluat, et collato Baptismo statim leniter et diligenter caput extergitur eodem linteolo.

§ 3. De cæremoniis subsequentibus

Q. 99. *Enumera cæremonias quæ Baptismum sequuntur.*

R. Sunt : 1° Unctio baptizati sancto Chrismate ; 2° impositio vestis candidæ ; 3° traditio candelæ ardentis ; 4° dimissio baptizati.

Q. 100. *Expone ortum, motivum, et modum unctionis baptizati sancto Chrismate.*

R. 1° Dicunt quidam auctores, quod hæc unctio Chrismate videtur esse memoria antiquæ disciplinæ, pro qua primis sæculis, post Baptismum adultis mox conferebatur ab Episcopo Sacramentum Confirmationis ; quoniam vero tardius multi, in absentia Episcoporum a Presbyteris baptizati, non statim Sacramentum Confirmationis suscipere poterant, Presbyteris data fuit potestas, non quidem illud conferendi, sed, ad illud quodammodo compensandum, neo-baptizatos signandi Chrismate.

Sed hanc unctionem in vertice capitis accepisse

etiam a Sacerdote neobaptizatos, etiamsi immediate post ipsis administraret Episcopus Sacramentum Confirmationis, patet ex antiquis documentis. Liber Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, qui vocatur Sacramentarium Gelasianum, a S. Gelasio, Papa († 496), dicit : « Postea cum ascenderit a fonte infans, signatur a presbytero in cerebro de chrismate, his verbis : *Deus omnipotens etc.* Deinde ab Episcopo datur eis Spiritus septiformis. Ad consignandum imponit eis manum in his verbis : *Deus omnipotens, etc.* Postea signat eos in fronte de chrismate dicens : *Signum etc.* » (Cfr. *The Gelasian Sacramentary*, edited by H. A. Wilson Oxford, 1894, pag. 86, 87. Cfr. etiam Duchesne, *Origines du culte chrétien*. Paris. Chap. IX, § I, 5.)

Legimus in Breviario ad 31 Decembris, in lectione V Officii S. Silvestri († 337), quod et ipse decretum fecit « ut Presbyter Chrismate baptizati summum liniret verticem. » Presbyter autem Chrismate signat baptizati summum verticem, « non tamen frontem, » ut ait Innocentius I († 417), « quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum Paraclitum » in Confirmatione.

2° Chrisma conficitur ex oleo et balsamo. Oleum, quod pingue sit, et natura sua manet ac diffluat, gratiæ plenitudinem exprimit. Balsamum vero cujus odoratus jucundissimus est, significat Fideles eam virtutum omnium suavitatem effundere,ut illud Apostoli queant dicere : *Christi bonus odor sumus Deo.* (II Cor. II, 15.) Habet præterea balsamum eam vim, ut quidquid eo circumsitum fuerit, putrescere non sinat : ita fidelium animi Baptismi gratia præparati, facile a scelerum contagione defendi possunt. (Catechismus Concilii Tridentini, Pars II, Cap. III, n. 7.)

Baptizatus itaque ex hac unctione « intelligat se ab eo die Christo capiti tamquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, et ea re Christianum a Christo, Christum vero a chrismate appellari. » (Ibid. Cap. II, n. 60.)

3° Servatis quæ in Quæst. 95,ad I et III,præscribuntur,notandum insuper est, quod hæc unctio fit in vertice seu summitate capitis, et non in fronte ; et ita ut ad

lineam rectam Crucis efformandæ dicatur : *Ipse te lineat Chrismate salutis*, ad transversam : *in eodem Christo Jesu.* — Ipse Sacerdos pollicem et locum inunctum bombacio, quod minister offert, abstergit.

Q. 101. *Quare induitur baptizatus veste candida linea ?*

R. Vestis alba per modum pallioli, seu linteolum lineum a Sacerdote imponitur capiti baptizati, tum in signum futuræ resurrectionis, et gloriæ ad cujus spem baptizatus renascitur ; tum in symbolum innocentiæ, atque integritatis per Baptismum restitutæ, quam in omni vita baptizatus servare debet immaculatam usque ad mortem.

Memorat hic ritus antiquissimum institutum, ex quo baptizati sacro Chrismate inuncti statim albis vestibus induebantur, quas per octo dies gestabant, et dein deponebant ; unde nomen Dominicæ in Albis (depositis) datum Dominicæ I post Pascha.

Q. 102. *Quæ est ratio cerei accensi qui in Baptismo traditur ?*

R. Cereus ardens traditur a Sacerdote in manu baptizati, vel Patrini ; qui ostendit, fidem charitate inflammatam, quam in Baptismo accepit, bonorum operum studio alendam atque augendam esse ; atque in memoriam nobis revocat, ut imitemur quinque prudentes virgines, quæ acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus, et ideo, cum sponsus venit, ad nuptias cum eo intraverunt.

Q. 103. *Pluries occurrit exprimendum nomen infantis ; sæpius autem plura nomina uni imponuntur ; an Sacerdos semper plura nomina exprimere debet ?*

R. Solent communiter pronuntiari omnia nomina ter ; scilicet : 1° ad primam Catechismi interrogationem ; 2° in ipso Baptismatis momento ; et 3° cum in fine dimittitur in pace baptizatus. Reliquis vicibus pronuntiare sufficiet primum vel præcipuum nomen, vel præcipua nomina tantum.

Q. 104. *Quid notandum est circa variationem generis, pro diverso sexu infantis baptizandi ?*

R. Variatio generis (ab eo, vel ab ea, etc.) quæ a Rituali in initio tantum administrationis Baptismi, pro diverso sexu infantis baptizandi, insinuatur, dicenda est tamquam ad exemplum ibi descripta, ut Minister Baptismi similiter in casibus similibus se gerat, et verba sexui infantis accommodet in singulis respective locis; et proinde hæc variatio, ubicumque genus masculinum in administratione Baptismi occurrit, pro parvula baptizanda fieri debet, ut decrevit S. Rituum Congregatio, 13 Julii 1883 (n. antiq. 5880, ad 3); dicet consequenter Sacerdos in casu : *hanc electam tuam* pro *hunc electum tuum, signatam* pro *signatum, colligata* pro *colligatus, quam* pro *quem, læta* pro *lætus*, et ita in reliquis.

Q. 105. *Quid, collato Baptismo dimissoque baptizato, observandum ulterius venit ?*

R. 1° Sacerdos, deposita stola, medulla panis abstergit pollicem dextrum, et manus lavat. Aqua hujus lotionis in sacrarium effundi debet ; medulla panis vero, et bombacium quibus pollicem, aut loca sacris Oleis inuncta Sacerdos abstersit, comburi opportuno tempore debent, et cineres in sacrarium projici. — 2° Sera occluduntur armarium, et Fons, sive Baptisterium. — 3° Sacerdos accurate describit in registro baptismali, ad præscriptam formam, nomina et alia de administrato Baptismo.

ARTICULUS II

Baptismus Parvuli in periculo

Q. 106. *Quomodo proceditur ad Baptismum infantis, de quo periculum est ne moriatur, antequam Ordo Baptismi possit perfici ?*

R. A) Si datur vera necessitas, periculum nempe in mora, ne dilata ablutione, puer periclitans morte præveniatur, et tantæ necessitatis Sacramento fraudetur, in tali casu, si confertur Baptismus in Ecclesia : 1° Omissis quæ Baptismum præcedunt, Sacerdos, superpelliceo et stola albi coloris indutus, mox parvulum baptizat, ter, vel etiam, si necessitas urgeat, semel infundens aquam baptismalem super caput, in modum

Nota. Laicus, et quicumque solemniter baptizare non potest, in Baptismo necessitatis ab omnibus omnino cæremoniis Baptismum præcedentibus aut sequentibus abstinere debet ; et non cum aqua baptismali, sed tantum cum aqua benedicta, aut simplici Baptismum conferre potest.

ARTICULUS III

Baptismus pluribus simul collatus

Q. 107. *An licet pro libitu plures infantes simul baptizare ?*

R. Rituale Romanum solummodo tradit ritum servandum, quando plures simul baptizantur, non vero declarat in quibusnam casibus hic ritus licite adhibeatur. — Catalanus æstimat, ea quæ Rituale de pluribus parvulis simul baptizandis dicit, spectare ad antiquum Ecclesiæ ritum. — Varia antiqua Ritualia, inter quæ Pastorale Mechliniense, et varii auctores, dicunt plures infantes simul non esse baptizandos extra necessitatem ; quidam etiam peccati arguunt eum, qui hoc solummodo faceret ut citius se expediret. — Quamvis alii,ex Ritualis silentio, indulgentius opinentur de liceitate hunc ritum adhibendi, dicendum tamen videtur, hoc fieri licere, non pro libitu, sed tantum in necessitate.

Q. 108. *Quomodo administrandus est Baptismus pluribus simul ?*

R. « Si vero fuerint plures baptizandi, sive masculi, sive feminæ, in catechismo masculi statuantur ad dexteram, feminæ vero ad sinistram ; omnia pariter dicantur, ut supra, in proprio genere, et numero plurali. Verum prima nominis interrogatio, exsufflatio, Crucis impressio, seu signatio, tactus aurium et narium cum saliva, abrenuntiationis interrogatio, unctio Olei Catechumenorum, interrogatio de Fide, seu Symbolo, et ipse Baptismus, inunctio Chrismatis, candidæ vestis impositio, atque accensæ candelæ traditio, singulariter singulis, et primum masculis, deinde feminis fieri debent. » His adde impositionem salis, etiam singulis

faciendam, necnon manus impositiones binas, faciendas, per momentum imponendo manum singulorum capiti, dein per Orationes manum extendendo super seu versus omnes, ut clare patet ex Rubrica Pontificalis Romani. (Tit. De Baptismo parvulorum.)

Possunt itaque tantum quædam Orationes in numero plurali dici, et in eis quidem, ubi occurrit nomen baptizandi exprimendum, debent omnium nomina exprimi.

Nota. Ex dictis sequitur, quod octies occurrunt preces et cæremoniæ, quæ singulariter pro singulo baptizando fieri debent, sequenti ordine : 1° catechismus, exsufflatio, Crucis impressio, quæ fiunt unico tractu successive super singulum infantem ; 2° prior manus impositio ; 3° immissio salis in ore ; 4° Crucis impressio ; 5° altera manus impositio ; 6° tactus aurium et narium cum saliva ; 7° abrenuntiatio et unctio S. Oleo Catechumenorum, quæ fiunt unico tractu ; 8° interrogatio de fide, et reliqua omnia quæ sequuntur usque ad finem, quæ etiam fiunt unico tractu super singulum infantem.

Patet quod non magnum inde commodum referri potest, cum pleræque cæremoniæ ac formulæ omnino singulariter pro singulis repeti debeant, et maxima attentio requiratur ne confusio ibi aliqua oriatur, aut omissio fiat. (Cfr. Collationes Brugenses, IV, 1899, pag. 285).

CAPUT III

DE BAPTISMO ADULTORUM

Q. 109. *Quid de Baptismo adultorum præscribitur ab Archiepiscopo in Statutis Diœcesanis ?*

R. « Nullus adultus, extra casum necessitatis, Baptismi aquis abluatur, ne sub conditione quidem, nisi Nobis præmonitis et de nostro consensu. » (Stat. diœc. n. 227).

Q. 110. *Quinam hic intelligitur adultus, cui Baptismus conferri debet speciali ritu qui hic præscribitur ?*

R. Relate ad Baptismum adultus censetur quicumque usu rationis sufficiente pollet, ut agnoscere valeat obligationem Baptismi ; quod regulariter contingit completo septennio, sed quandoque citius contingere potest.

Q. III. *Quænam triplex præparatio requiritur, secundum Apostolicam regulam, pro adulto baptizando ?*

R. « Si quis adultus sit baptizandus, debet prius, secundum Apostolicam regulam, (1°) in christiana fide, ac sanctis moribus diligenter instrui, et (2°) per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, (3°) ejusque voluntas et propositum sæpius explorari, et nonnisi sciens et volens, probeque instructus baptizari. »

« At vero si quis, dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi, vel necessitatis, baptizetur. »

Q. II2. *Quænam dispositio corporalis convenit, tum in baptizante, tum in baptizando ?*

R. « Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem, qui adultos baptizabit, quam ipsos adultos, qui sani sunt, convenit esse jejunos. »

Hæc convenientia fundamentum habet in eo, quod antiquitus Baptismus conferebatur inter Officia in Vigiliis Paschatis et Pentecostes, et baptizati immediate SS. Eucharistia refovebantur, ideoque necesse erat ut essent jejuni tum ipsi, tum ministrans. Rituale etiam supponit neophytum, præsente Episcopo, post Baptismum Sacramento Confirmationis initiari, et dein, si hora congruens fuerit, Missæ interesse, et Sacram Eucharistiam devote suscipere. (Cfr. Q. II9.)

Q. II3. *Quanam diei parte celebrandum est adultorum Baptisma ?*

R. « Non post epulas, aut prandia, sed ante meridiem (nisi ex rationabili causa aliter faciendum esset) eorum Baptisma celebretur. »

Q. II4. *Quid docet Rituale de collatione Baptismi amentibus, et furiosis, ac iis qui lethargo aut phrenesi laborant ?*

R. « Amentes et furiosi non baptizentur, nisi tales a nativitate fuerint ; tunc enim de iis idem judicium

faciendum est, quod de infantibus, atque in fide Ecclesiæ baptizari possunt. »

« Sed si dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes sunt baptizentur, si velint. Si vero antequam insanirent, suscipiendi Baptismi desiderium ostenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamsi non sint compotes mentis, baptizentur. »

« Idemque dicendum est de eo, qui lethargo, aut phrenesi laborat, ut tantum vigilans et intelligens baptizetur ; nisi periculum mortis impendeat, si in eo prius apparuerit Baptismi desiderium. »

Q. 115. *Quomodo procedendum est cum hæreticis qui ad Catholicam Ecclesiam convertuntur ?*

R. Prænotatur, quod extra casum necessitatis nihil attentari potest inconsulto Episcopo, uti expresse præcipitur pro nostra Diœcesi per Statutum archiepiscopale 4 Maji 1847, quod sequentem agendi rationem in tali casu præscribit : « Si hæreticus in Ecclesiæ gremium admitti postulet, is inprimis benigne excipiendus et animandus est ; deinde sedulo inquirendum est, an nulla interveniat simulatio, an humano obsequio aut spe temporalis commodi non ducatur, ubi et a quo baptizatus fuerit, etc. Interim diligenter instruendus est circa fidei rudimenta, et annitendum, ut sectæ ad quam pertinet falsitatem agnoscat, et veram fidem sincero salutis intuitu amplectatur. Tandem casum ad Nos referre oportet, ut circa Baptismi iterationem, et reliqua statuamus, quod in Domino expedire censuerimus. »

De validitate Baptismi in hæresi suscepti inquirendum est, instituto in singulis casibus diligenti examine ; de quo examine præmittendo sequens dedit Decretum Congregatio S. Romanæ U. Inquisitionis, 20 Novembris 1878 : « Proposito dubio, utrum conferri debeat Baptismus sub conditione, hæreticis qui ad Catholicam fidem convertuntur, ex quocumque loco proveniant, et ad quamcumque sectam pertineant ; — Eminentissimi responderunt : Negative ; sed in conversione hæreticorum, a quocumque loco, vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate Baptismi, in hæresi

suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit, aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute : si autem pro temporum aut locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur ; demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem et professionem fidei. » (Acta S. Sedis, XVI, 1883, p. 415).

Itaque in hæreticis reconciliandis triplex distinguitur procedendi methodus, pro diversitate casuum :

1° **Hæretici « in quorum Baptismo debita forma, aut materia servata non est,** prius errorum suorum pravitatem agnoscant et detestentur, et in fide Catholica diligenter instruantur : » deinde baptizandi sunt absolute ; nec ulla sequitur abjuratio, nec absolutio, eo quod omnia abluit Sacramentum regenerationis.

2° **Hæretici in quorum Baptismo debita forma et materia servata est,** recipiendi erunt tantummodo ad abjurationem seu fidei professionem, quam sequitur absolutio a censuris, prout ab Episcopo commissa fuerit. (Cfr. Titulus III, de Sacramento Pœnitentiæ.)

Rituale Romanum etiam præscribit ut cæremoniæ in Baptismo ab hæreticis collato omissæ « suppleantur, nisi rationabili de causa aliter Episcopo videatur, » qui potest dispensare a supplendo cæremonias omissas.

3° **Hæretici de quorum Baptismi validitate, peracta investigatione, adhuc probabile dubium superest,** rebaptizandi sunt secreto sub conditione, et collato Baptismo, debet a neo-conversis confessio Sacramentalis integra exigi, eisque absolutio sub conditione dari ; uti respondit Congregatio S. R. U. Inquisitionis, per Decretum 17 Decembris 1868, ad postulatum Episcoporum Angliæ ; qui cum proposuissent dubium : « An debeat, juxta Synodi Provincialis (West-monasteriensis) Decretum, a S. Sede probatum, confessio Sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an debeat esse integra ? » Sacrum Tribunal ad utramque dubii partem dedit sequens responsum, a Summo Pontifice approbatum : « Affirmative ; et dandum esse Decretum

latum sub feria V, die 17 Junii 1715. » In hoc citato Decreto,ad dubium: « An (quidam Lutheranus S. Fidei Catholicæ reconciliatus) sit rebaptizandus (ob allegatos nonnullos Baptismi defectus) ; et quatenus affirmative, an absolute, vel sub conditione ; et quatenus affirmative, an teneatur confiteri omnia peccata præteritæ vitæ ; et quatenus affirmative, an confessio præponenda sit, vel postponenda Baptismo conferendo sub conditione? » responsum fuerat: « Esse rebaptizandum sub conditione, et collato Baptismo, ejus præteritæ vitæ peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur. » (Acta S. Sedis, 1868, IV, p. 320. Cfr. Conferentiæ eccles. diœc. Mechlinien., anni 1878, ex Theol. mor. Q. V.)

Porro in hoc casu, ordine sequenti ad diversa procedendum erit, juxta Instructionem ejusdem Congregationis S. Romanæ U. Inquisitionis, de neo-conversorum receptione, datam 20 Julii 1859:

1° Recipitur abjuratio seu Fidei Professio.

2° Confertur Baptismus sub conditione.

3° Instituitur confessio Sacramentalis cum absolutione conditionata.

Per recentius Decretum vero,mensis Novembris anni 1875, eadem S. Congregatio declaravit, accusationem peccatorum posse præcedere collationem Baptismatis; rescribi enim jussit: « Si... agatur de iis, qui debent sub conditione baptizari, tunc poterunt, ad majorem functionis ecclesiasticæ facilitatem, prius audiri sacramentaliter quoad eorum culparum accusationem. Deinde post collationem Baptismatis sub conditione, confessarius iterum reassumptis per summa capita, cum pœnitente, iis de quibus jam accusationem fecerit, absolvat eum sacramentaliter, pariter sub conditione. » (Cfr. Nouvelle Revue théologique, XII, 1880, p. 579.)

Nota. I. Abjuratio seu Fidei Professio, de qua dicitur in præcedentibus, fit juxta formulam quæ habetur in Bulla Pii IV (Stat. Diœc. n. 163), cum additione post Concilium Vaticanum facienda jussu Pii IX, per Decretum S. Congregationis Concilii, 20 Januarii 1877.

Formula latine describitur in Statutis Diœcesanis, inter Documenta partis posterioris Appendicis, n. 1 ; additio vero, in Collectione Epistolarum Pastoralium, Tomo VIII, pag. 61. Sequens est tenor phrasis cui additio facta est :

« Cetera item omnia a sacris Canonibus, et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, præsertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter accipio ac profiteor. »

In editione Statutorum Diœcesis anni 1899, formula integra Professionis Orthodoxæ Fidei describitur pag. 61 et sqq.

Versio flandrica et gallica formulæ Pianæ, cum non habeatur in Statutis Diœcesanis, pro occasionis opportunitate hic additur:

OPENBARE BELIJDENIS

VAN HET KATHOLIEK GELOOF

VOORGESCHREVEN DOOR DE BULLE VAN PAUS PIUS IV

Ik, N., geloof met een vast Geloof, en belijd openlijk al de artikelen te zamen en elk in 't bijzonder, die begrepen zijn in het Symbolum des Geloofs, door de heilige Roomsche Kerk gebruikt, te weten :

Ik geloof in eenen God, den almachtigen Vader, Schepper van hemel en aarde, van alle zienlijke en onzienlijke dingen ; en in eenen Heer Jesus Christus, Gods eeniggeboren Zoon, en uit den Vader vóór alle eeuwen geboren ; God van God, licht van licht, waarachtigen God van waarachtigen God ; geboren en niet gemaakt, eenwezig met den Vader, door wien alle dingen gemaakt zijn ; die om ons, menschen, en om wille onzer zaligheid, uit den hemel nedergedaald is, en het vleesch heeft aangenomen door den H. Geest uit de Maagd Maria, en is mensch geworden ; die ook voor ons gekruist is, die onder Pontius Pilatus geleden heeft en begraven is ; en die volgens de Schriftuur ten derden dage is verrezen ; die is opgeklommen ten hemel, en ter rechterhand des Vaders zit ; die met glorie zal weerkomen om de levenden en de dooden te oordeelen, en wiens rijk geen einde zal hebben ; en in den H. Geest, den Heer en levendmakende, die uit den Vader en den Zoon voortkomt ; die met den Vader en den Zoon te zamen aanbeden en verheerlijkt wordt ; die door de Profeten gesproken heeft ; en eene heilige, katholieke en apostolieke Kerk. Ik belijd een doopsel tot vergiffenis der zonden, en ik verwacht de verrijzenis der dooden, en het eeuwig toekomende leven. Amen.

Ik aanveerd vastelijk en ontvang de Apostolieke en Kerkelijke traditiën of overleveringen, met de andere onderhoudingen en instellingen derzelfde Kerk.

Insgelijks aanveerd ik de heilige Schriftuur naar den zin, dien onze Moeder de heilige Kerk gehouden heeft en houdt,

aan wie het toekomt te oordeelen over den waarachtigen zin en de uitlegging dier heilige boeken; en ik zal deze nimmer verstaan of uitleggen, dan naar het eenparig gevoelen der heilige Vaders.

Ik belijd ook, dat er waarlijk en eigenlijk zeven Sacramenten der nieuwe Wet door Jesus Christus onzen Heer zijn ingesteld, en tot de zaligheid van het menschelijk geslacht noodzakelijk zijn, alhoewel niet alle aan iedereen. De Sacramenten zijn: het Doopsel, het Vormsel, het H. Sacrament des Autaars, de Biecht, het heilig Oliesel, het Priesterschap en het Huwelijk. Ik belijd dat zij gratie geven, en dat van deze zeven Sacramenten het Doopsel, het Vormsel en het Priesterschap geen tweemaal mogen ontvangen worden, zonder dat men eene heiligschenderij doet.

Ik ontvang ook en aanveerd de aangenomen en goedgekeurde ceremoniën der katholieke Kerk in de plechtige bediening van al de voorgenoemde Sacramenten.

Ik aanveerd en erken ook, alles te zamen en elk punt in 't bijzonder, wat in het heilig Concilie van Trenten nopens de erfzonde en de rechtveerdigmaking besloten en verklaard is geworden.

Ik belijd insgelijks, dat in de Mis een waarachtig, eigen en verzoenend sacrificie voor levenden en dooden aan God opgedragen wordt; en dat in het allerheiligste Sacrament des Autaars het Lichaam en het Bloed, met de Ziel en de Godheid van onzen Heer Jesus Christus, waarlijk, wezenlijk en zelfstandiglijk tegenwoordig is; en dat daar de verandering geschiedt van de geheele zelfstandigheid des broods in het Lichaam, en van de geheele zelfstandigheid des wijns in het Bloed, verandering die de katholieke Kerk *transsubstantiatie* noemt.

Ik belijd ook, dat, onder eene gedaante alleen, Christus geheel en volkomen en een waarachtig Sacrament genut wordt.

Ik erken ook standvastiglijk, dat er een Vagevuur is, en dat de zielen die daar opgehouden zijn, door den onderstand der geloovigen geholpen worden. Insgelijks belijd ik, dat men de Heiligen met Christus te zamen heerschende moet eeren en aanroepen, dat zij hunne gebeden voor ons aan God opofferen, en dat men hunne Reliquiën moet eeren.

Ik houd ook vastelijk staande, dat men de beelden van Christus en van de Moeder Gods altijd Maagd en van de andere Heiligen moet hebben en bewaren, en dat men aan die beelden verschuldigde achting en eerbiedigheid moet bewijzen.

Ik bevestig mede, dat de macht om aflaten te verleenen door Christus in de Kerk gelaten is geweest, en dat het gebruik ervan voor het Christene volk zeer zalig is.

Ik houd de heilige katholieke en apostolieke Roomsche Kerk als de Moeder en meesteresse van alle Kerken, en ik beloof en zweer den Paus van Rome, opvolger van den H. Petrus, Prins der Apostelen en Stadhouder van Jesus Christus, waarachtige gehoorzaamheid.

Insgelijks aanveerd en belijd ik zonder twijfelen al wat door

de heilige Regelen en algemeene Conciliën, en bijzonderlijk door het heilig Concilie van Trenten en door het algemeen Concilie van het Vatikaan geleerd, besloten en verklaard is, voornamelijk nopens het oppergezag en het onfaalbaar leeraarsambt van den Roomschen Opperpriester : terzelfder tijd doem, verwerp en vervloek ik al hetgeen daarmede tegenstrijdig is, evenals al de ketterijen die door de heilige Kerk gedoemd, verworpen en vervloekt zijn.

Dit waarachtig algemeen Geloof, buiten hetwelk niemand kan zalig worden, en dat ik thans vrijwillig belijd en waarachtig erken, dat zelfde Geloof zweer ik N. geheel en onvervalscht tot den laatsten adem mijns levens standvastig met de hulpe Gods te bewaren en te belijden : en ik zweer daarenboven te zorgen, zooveel het mij zal mogelijk zijn, dat dit Geloof door mijne onderdanen, of door degenen, wier zorg mij van ambtswege zal aangaan, zal gehouden, geleerd en gepredikt worden. Zoo helpe mij God, en deze zijne heilige Evangeliën.

PROFESSION

DE LA FOI CATHOLIQUE

PRESCRITE PAR LA BULLE DU PAPE PIE IV

Moi N. je crois et je professe d'une ferme foi tous les articles en général, et chacun en particulier, contenus dans le Symbole de la foi usité dans la sainte Eglise romaine, savoir :

Je crois en un seul Dieu, le Père tout-puissant, qui a fait le ciel et la terre, toutes les choses visibles et invisibles, et en un seul Seigneur Jésus-Christ, Fils unique de Dieu, qui est né du Père avant tous les siècles ; Dieu de Dieu, lumière de lumière, vrai Dieu de vrai Dieu ; qui n'a pas été fait, mais engendré, consubstantiel au Père, et par qui tout a été fait ; qui est descendu des cieux pour nous autres hommes et pour notre salut, qui s'est incarné en prenant un corps dans le sein de la Vierge Marie par l'opération du Saint-Esprit, et qui s'est fait homme ; qui a été aussi crucifié pour nous, qui a souffert sous Ponce Pilate, et qui a été mis dans le tombeau ; qui est ressuscité le troisième jour, selon les Ecritures ; qui est monté au ciel, est assis à la droite du Père ; qui viendra de nouveau, plein de gloire, pour juger les vivants et les morts, et dont le règne n'aura point de fin. Et je crois au Saint-Esprit, qui est Seigneur, et qui donne la vie, qui procède du Père et du Fils ; qui est adoré et glorifié conjointement avec le Père et le Fils ; qui a parlé par les Prophètes. Je crois l'Eglise, qui est une, sainte, catholique et apostolique. Je confesse un Baptême pour la rémission des péchés, et j'attends la résurrection des morts, et la vie du siècle à venir. Ainsi soit-il.

J'admets très-fermement et j'embrasse les traditions des Apô-

tres et de l'Eglise, et les autres réglements et les constitutions de la même Eglise.

J'admets aussi la sainte Ecriture dans le sens qu'a tenu et que tient notre sainte mère l'Eglise, à laquelle il appartient de juger du vrai sens et de l'interprétation des livres saints ; et je ne la recevrai, ni je ne l'interpréterai jamais que selon le sentiment unanime des Pères.

Je professe aussi qu'il y a proprement et véritablement sept Sacrements de la nouvelle loi institués par Jésus-Christ notre Seigneur, pour le salut du genre humain, quoique tous ne soient pas nécessaires à chacun, savoir : le Baptême, la Confirmation, l'Eucharistie, la Pénitence, l'Extrême-Onction, l'Ordre et le Mariage ; que ces Sacrements donnent la grâce, et que parmi ces Sacrements, le Baptême, la Confirmation et l'Ordre ne peuvent être réitérés sans sacrilège.

Je reçois et j'admets en outre les rites reçus et approuvés par l'Eglise catholique dans l'administration solennelle desdits Sacrements.

Je reconnais et je reçois chacune des définitions et déclarations faites dans le saint Concile de Trente sur le péché originel et sur la justification.

Je confesse pareillement que dans la Messe on offre à Dieu un sacrifice vrai, proprement dit et propitiatoire pour les vivants et pour les morts ; et que dans le très-saint Sacrement de l'Eucharistie se trouve véritablement, réellement et substantiellement le corps et le sang avec l'âme et la divinité de notre Seigneur Jésus-Christ ; qu'il s'y fait un changement de toute la substance du pain au corps, et de toute la substance du vin au sang, lequel changement est appelé par l'Eglise catholique *transubstantiation*.

Je confesse aussi que sous une seule de ces deux espèces on reçoit le corps de Jésus-Christ tout entier et un véritable Sacrement.

Je tiens fermement qu'il existe un purgatoire, et que les âmes qui y sont détenues sont soulagées par les suffrages des fidèles ; je crois également que les Saints qui règnent avec Jésus-Christ doivent être révérés et invoqués, qu'ils offrent à Dieu des prières pour nous, et qu'on est tenu d'honorer leurs reliques.

Je tiens aussi fermement qu'il faut avoir et retenir les images de Jésus-Christ et de la Mère de Dieu toujours Vierge, et des autres Saints, et qu'il faut leur rendre l'honneur et leur témoigner la vénération qui leur sont dûs.

J'affirme aussi que le pouvoir de donner des indulgences a été laissé dans l'Eglise par Jésus-Christ, et que l'usage en est très-salutaire au peuple chrétien.

Je reconnais la sainte Eglise catholique, apostolique et romaine comme la mère et la maîtresse de toutes les églises. Je promets et je jure au Pontife romain, successeur de saint Pierre, prince des Apôtres et vicaire de Jésus-Christ, une véritable obéissance.

Je reçois de même très-fermement et je professe tout ce qui est enseigné, défini et déclaré par les saints Canons, par les

Conciles œcuméniques, et principalement par le saint Concile de Trente et par le Concile œcuménique du Vatican, et principalement concernant la Primauté et le magistère infaillible du Pontife Romain ; je condamne en même temps, je rejette et j'anathématise toutes les opinions contraires, toutes les hérésies que l'Eglise a condamnées, rejetées et anathématisées.

Je professe spontanément cette vraie foi catholique, hors de laquelle personne ne peut être sauvé, je m'y attache sincèrement; je jure de la conserver et de la professer entièrement et inviolablement jusqu'au dernier souffle de ma vie, avec l'aide de Dieu, et de la faire observer, enseigner et prêcher, autant qu'il dépendra de moi, par ceux qui me seront subordonnés, ou par ceux dont le soin me sera confié dans mes fonctions. Ainsi Dieu me soit en aide, et ses saints Evangiles.

Nota. II. In editione Statutorum Diœcesis anni 1899, ad n. 163, in quo agitur de Fidei Professione, juxta formulam Pii IV et Pii IX, emittenda ab iis qui in hæresim publice lapsi ad Ecclesiæ Catholicæ gremium redeunt, additur sequens Nota :

« Pro casu conversionis ab hæresi fuit a suprema S. Congregatione S. Officii præscripta alia formula, quæ idiomate italico reperitur in Decreto 20 Julii 1859, apud *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide,* n. 1689, cujusque versio gallica et flandrica refertur infra in Appendice ad I, C et D. » Utraque versio hic etiam describitur :

GELOOFSBELIJDENIS

Ik N. N., hebbende vóór mijne oogen de Heilige Evangeliën die ik met mijne eigene handen aanraak, en wetende dat niemand kan zalig worden buiten dat Geloof, dat de H. Katholieke en Apostolieke Roomsche Kerk houdt, gelooft, verkondigt en leert, ik heb spijt dat ik daartegen grootelijks in dwaling geweest ben, omdat ik, buiten die kerk geboren zijnde, leeringen gehouden en geloofd heb, die met derzelver leering tegenstrijdig zijn.

Maar nu, door de goddelijke genade verlicht, belijd ik te gelooven dat de H. Katholieke Apostolieke Roomsche Kerk de eenige en ware Kerk is, door Jesus Christus op deze aarde ingesteld, aan dewelke ik mij met ganscher harte onderwerp. Ik geloof al de punten die Zij mij voorhoudt te gelooven ; ik verwerp en veroordeel al wat Zij verwerpt en veroordeelt, en ik ben bereid alles te onderhouden wat zij mij gebiedt, en inzonderheid belijd ik te gelooven :

Eenen enkelen God in drij goddelijke, onderscheiden en gelijke personen, te weten den Vader, den Zoon en den Heiligen Geest ;

De Katholieke leering over de Menschwording, het Lijden, de Dood en de Verrijzenis van onzen Heer Jesus Christus, en

de Vereeniging in éénen Persoon van de twee naturen, de goddelijke en de menschelijke; het Goddelijk Moederschap van de Allerheiligste Maria te zamen met hare volkomenste Maagdelijke Zuiverheid en hare Onbevlekte Ontvangenis;

De ware, wezenlijke, en zelfstandige tegenwoordigheid van het Lichaam samen met de ziel en de Godheid van onzen Heer Jesus Christus in het Allerheiligste Sacrament des Autaars;

De zeven Sacramenten, door Jesus Christus ingesteld voor de zaligheid van het menschelijk geslacht, te weten: het Doopsel, het Vormsel, het H. Sacrament des Autaars, de Biecht, het H. Oliesel, het Priesterschap en het Huwelijk;

Het Vagevuur. de Verrijzenis der dooden, het eeuwig leven;

Het Primaatschap, niet alleen in eere maar ook in gezag en macht, van den Paus van Rome, Opvolger van den H. Petrus den prins der Apostelen, en Plaatsvervanger van Jesus Christus;

De eeredienst van de Heiligen, en van hunne beelden;

Het gezag der apostolijke en kerkelijke overleveringen, en der H. Schriftuur, welke men niet anders mag uitleggen en verstaan dan in den zin, dien onze Moeder de H. Katholieke Kerk gehouden heeft en houdt;

En alle andere punten, die door de Heilige Kerkregels en de algemeene Kerkvergaderingen, inzonderheid door het heilig Concilie van Trente en door het Concilie van 't Vaticaan vastgesteld en verklaard zijn.

Diensvolgens, met een rechtzinnig hert en ongeveinsd geloof, verfoei ik en zweer ik af alle dwaling, ketterij, en sekte tegenstrijdig met de voormelde H. Katholieke en Apostolieke Roomsche Kerk. Zoo helpe mij God, en deze zijne heilige Evangeliën die ik met mijne eigene handen aanraak.

PROFESSION DE FOI

Moi, N. N., ayant devant les yeux les sacro-saints Evangiles que je touche de mes propres mains, et sachant que personne ne peut se sauver en dehors de la foi que tient, croit, prêche et enseigne la Sainte Eglise Romaine, Catholique et Apostolique, je me repens d'avoir gravement manqué contre elle, par suite de ce que, né hors de cette Eglise, j'ai tenu et cru des doctrines contraires à son enseignement.

Présentement, éclairé par la grâce divine, je fais profession de croire que la Ste Eglise Catholique, Apostolique et Romaine est la seule et vraie Eglise établie par Jésus-Christ sur cette terre, et je me soumets à elle de tout cœur. Je crois tous les articles qu'elle me propose à croire, je réprouve et condamne tout ce qu'elle réprouve et condamne; je suis prêt à observer tout ce qu'elle m'ordonne, et spécialement je professe de croire:

Un seul Dieu en trois personnes divines, distinctes et égales, à savoir le Père, le Fils et le St Esprit;

La doctrine catholique sur l'Incarnation, la Passion, la Mort et la Résurrection de Notre Seigneur Jésus-Christ, et l'Union

hypostatique des deux natures, divine et humaine, la Maternité divine de la Très-Sainte Vierge Marie, unie à son inviolable Virginité à sa Conception Immaculée ;

La présence vraie, réelle et substantielle du corps avec l'âme et la Divinité de Notre Seigneur Jésus-Christ dans le Très-Saint Sacrement de l'Eucharistie ;

Les sept Sacrements institués par Jésus-Christ pour le salut du genre humain, à savoir : le Baptême, la Confirmation, l'Eucharistie, la Pénitence, l'Extrême-Onction, l'Ordre et le Mariage ;

Le Purgatoire, la Résurrection des morts, la vie éternelle ;

La Primauté non seulement d'honneur mais aussi de juridiction du Souverain Pontife, successeur de St Pierre prince des Apôtres, et Vicaire de Jésus-Christ ;

Le culte des Saints et de leurs images ;

L'autorité des traditions Apostoliques et ecclésiastiques, et des Saintes Ecritures qui ne peuvent s'interpréter et s'entendre que dans le sens qu'a tenu et que tient notre Mère la Sainte Eglise Catholique ;

Et tout ce qui a été défini et déclaré par les Saints Canons et les Conciles œcuméniques, spécialement par le Saint Concile de Trente et le Concile du Vatican.

En conséquence, je déteste et j'abjure avec un cœur sincère et une foi non feinte, toute erreur, hérésie, secte contraire à la susdite Eglise Romaine, Catholique et Apostolique. Ainsi Dieu me soit en aide et ses Saints Evangiles que je touche de mes propres mains.

Datur et alia formula Professionis Fidei, pro hæreticis et schismaticis Orientalibus in Ecclesiæ Catholicæ sinum redeuntibus, a S. Congregatione S. Officii anno 1890 approbata, quæ descripta habetur apud *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide*, n. 1676, in Nota. – In casu pro hac formula recurri potest ad *Collectanea*, vel ad Ordinarium.

Nota. III. In Instructione de neo-conversorum receptione, S. Congregationis S. Officii, 20 Julii 1859, sequens proponitur modus excipiendi Professionem Fidei Catholicæ a neo-conversis :

Sacerdos, superpelliceo et stola violacei coloris indutus, sedet in cornu Epistolæ (si SS. Sacramentum asservetur in Tabernaculo ; sin minus, in medio Altaris), et coram illo genuflectit neoconversus ; qui codicem Evangelii dextra manu tangens, emittit Professionem Fidei : vel si nesciat legere, Sacerdos prælegit eidem tarde Professionem, ut conversus eamdem intelligere, et cum Sacerdotē distinctis verbis pronuntiare possit.

(Notat Konings in Theologia morali, juxta Kenrick, posse Sacerdotem eam prælegere mulieribus, aliisve indolis timidioris, suum assensum sub finem significaturis.)

Postea, neo-converso genuflexo manente, Sacerdos sedens dicit Psalmum *Miserere,* sive Psalmum *De profundis*, cum *Gloria Patri* in fine.

Quo finito, Sacerdos stans dicit :

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, secreto.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *Salvum fac servum tuum (ancillam tuam).*
℟. *Deus meus sperantem in te.*
℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quem (quam) excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Deinde Sacerdos sedet et ad profitentem genuflexum versus, eum ab hæresi absolvit, dicens :

*Auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te a vinculo excommunicationis quam * incurristi, et restituo te sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis, communioni et unitati fidelium, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen.*

Denique abjuranti aliquam Pœnitentiam salutarem injungat, e. g. aliquas preces, visitare Ecclesiam, aut similia.

* In dubio gravi aut levi, utrum pœnitens excommunicationem incurrerit per hæresim professam, Sacerdos hic inserat vocabulum *forsan.*

(Conciliorum Collectio Lacensis, Tom. III, pag. 551.)

CAPUT IV

ORDO BAPTISMI ADULTORUM

Q. 116. *Quænam sunt præcipuæ cæremoniæ speciales, quæ præter cæremonias in Baptismo parvuli præscriptas, adhibentur in Baptismo Adulti ?*

R. 1° Sacerdos, ob majorem solemnitatem, indutus superpelliceo, stola et pluviali violacei coloris, primum ad gradus Altaris flexis genibus orat, ut imploret divinum auxilium et gratiam ad excitandum cor Catechumeni.

2° In Catechismo,præter præcepta ad vitam æternam necessaria, etiam christianæ religionis mysteria exponuntur.

3° Ut magis magisque constet de Catechumeni proposito, debet hic bis facere abrenuntiationem, bis pariter articulos Fidei profiteri, semel ante fores Ecclesiæ, et iterum cum proxime suscepturus est Baptismum.

4° Signatur Electus non tantum in fronte et in pectore, sed et in membris et locis quinque sensuum, nempe in fronte, in auribus, in oculis, in naribus, in ore, in pectore, et in scapulis, eo ferme pacto quo in Extrema Unctione inunguntur loca per quæ deliquisse supponitur.

5° Priusquam introducatur in Ecclesiam, Electus ter genuflexus orat *Pater noster*, ter signatur in fronte, tum a Patrino, tum a Sacerdote, ter denique super ipsum manus imponitur, et Exorcismi ac Orationes dicuntur; et tandem, templum vix ingressus, Electus procumbit, seu prosternit se in pavimento, et adorat, quæ adoratio præstatur, ut dicunt plures auctores, per osculum pavimenti.

Verborum *procumbere*, seu *prosternere* sensus profecto alius est a *genuflectere*, indicant enim profundiorem adorationis actum ; procumbere significat veram prostrationem totius corporis, qualis fit in Officio Feria VI in Parasceve, ad Litanias Sabbato Sancto, ad Litanias in collatione Ordinum majorum; dum genuflexio est aliquid minus, cum totum corpus in illa se non prosternat. Itaque dicta verba Ritualis, in propria significatione accepta, sibi volunt baptizando procumbendum esse super pavimento, ibique brevissime adorandum, non vero simpliciter genu, licet utrumque, flectendum, et simul caput inclinandum. Flectere genua peccatoris est, se prosternere et procumbere est pœnitentis et humiliati, cujusmodi est Catechumenus. (Cfr. Ephemerides liturgicæ, VII, 1894, pag. 361.)

Hæc omnia fiunt, quia non tantum ab originali, sed et ab actualibus peccatis per Baptismum mundandus est, et propterea variis pietatis operibus ac pœnitentiæ exercitiis, ad recipiendam novæ in Christo nativitatis gratiam sese debet præparare.

6° Patrinus Catechumeno assistit ; sed « ipse Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes respondeat, nisi mutus fuerit, aut omnino surdus, vel ignotæ linguæ ; quo casu, vel per Patrinum, si illam intelligat, aut alium interpretem, vel nutu, consensum explicet suum. »

Q. 117. *Quod dari potest motivum quare Ordo proprius detur pro Baptismo Adulti ?*

R. Ordo iste præcipue respicit conditionem illorum Adultorum, qui ex gentilitate, aut Judaismo, aut Mahumetanismo, aut hæresi veniunt ad Catholicam Fidem : tales autem debent, quæ contra Catholicam Fidem senserint, revocare, erroresque suos detestari ; ac indigent majori instructione in Fide : quæ tria exprimunt præcipue cæremoniæ in hoc Ordine adjunctæ.

Nota. Auctores observant, in Ordine Baptismi, præsertim Adultorum, reperiri vestigia plurima pristinæ disciplinæ Catechumenatus, necnon primævæ præparationis ad Baptismum, et collationis ipsius Baptismi. Pro intelligentia diversorum Rituum utriusque Ordinis Baptismi, tum Infantium, tum Adultorum, juvat breviter referre, quo ritu primis Ecclesiæ sæculis præparabantur baptizandi, et Baptismus ipsis conferebatur ab Episcopo in Sabbato Sancto. Preces et ritus servandos nobis exhibent tum *Liber Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ*, qui vocatur Sacramentarium Gelasianum, tunc *Ordo Baptismi*, qui numeratur n° VII inter Ordines Romanos, quos publicavit Mabillon in opere *Musæum Italicum* (Migne P. L. Tomus 78).

Ritus Catechumenatus. — Qui rogabat ad Baptismum assumi, seu Catechizandus sese præsentabat in Ecclesia Presbytero qui, præmissis interrogationibus et acceptis responsionibus (cfr. Rituale, Ordo Baptismi Adultorum, nn. 5, 6, 7), exsufflabat primum in faciem ejus (n. 8), signabat eum cruce in fronte (n. 10), et imponebat manus super caput, interea dicens Orationem : *Omnipotens, etc.* (n. 14) ; deinde Presbyter exorcizabat salem (n. 16), quem imponebat in os Catechizandi, dicens : *N. Accipe etc.* (n. 17) ; postea dicebat Orationem : *Deus patrum nostrorum, etc.* (n. 17).

Quo facto, Catechizandus erat Catechumenus : po-

terat jam interesse Collectis Christianorum, sed nondum Actioni Eucharisticæ ; unde prior pars Missæ, cui soli ipsi interesse licebat, vocabatur **Missa Catechumenorum**, qua peracta, dimittebatur. (Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, QQ. 4, 50, 141.)

Præparatio ad Baptismum. — Qui, absoluto Catechumenato, desiderio Baptismi tenebantur, dabant, triginta aut quadraginta diebus ante Pascha, sua nomina, et **Competentes** seu **Electi** vocabantur. Habebantur deinde **Scrutinia**, in quibus Presbyteri scrutabantur quinam possent ad Baptismum jam admitti, quinam vero non ; et instruebant ac præparabant Electos. Unde habemus *Catecheses*, S. Cyrilli, Episcopi Hierosolymitani (cfr. Breviarium, 18 Martii, in Festo S. Cyrilli, lectio IV), et etiam *Sermones ad Competentes*, S. Augustini, Episcopi Hipponensis.

Scrutinia numerabantur Romæ septem diversa. Feria II post Dominicam III Quadragesimæ varia Scrutinia denuntiabantur in Missa. Scrutinii ritus erat sequens:

Post Collectas, ante Lectiones (Epistolæ et Evangelii), Diaconus advocabat Electos, qui, adstantibus Patrinis et Matrinis, disponebantur, mares ad dexteram, feminæ ad sinistram ; Diaconus jubebat Electos se prosternere et orare : *Ora, Electe, flecte genua, et dic : Pater noster, etc.* (n. 21). Tunc unus ex adstantibus Clericis (Exorcistis), cum signo crucis in fronte Electi, et impositione manus (n. 22), dicebat Orationem : *Deus Abraham, etc.* (n. 22), et Exorcismum : *Ergo, maledicte diabole, etc.* (n. 22) ; eadem mox repetebat, cum variatione in Oratione et Exorcismis, secundus Clericus (n. 23), et tertius (n. 24). Alii Clerici eadem præstabant apud feminas (nn. 25-28). Mox accedens Presbyter, super omnes, mares et feminas, imponebat manus, et dicebat Orationem : *Æternam ac justissimam, etc.* (n. 29). Quo facto, Electi revertebantur ad loca sua, audiebant Lectionem Epistolæ, et hac die ante Evangelium dimittebantur.

Sequenti die Scrutinii, eadem omnino repetebantur eodem modo.

Tertium scrutinium (Dominica quinta, seu Passionis, in Sacramentario Gelasiano, in aliis documentis vero

Feria IV ante hanc Dominicam, qua et hodiedum in Missa de Feria leguntur Oratio et Lectio specialis) erat solemnius : in eo tradebantur Electis *Instrumenta Sacrosanctæ Legis :* initiabantur nempe Evangelio, Symbolo, et Orationi Dominicæ, qui ritus nomen habebat *Aperitionis aurium.*

Post Lectionem Epistolæ, hac die non dimittebantur Electi, et quatuor Diaconi solemniter, cum duobus candelabris et thuribulis, e Sacrario deferebant quatuor Sancta Evangelia, quæ deponebant super quatuor angulos Altaris.

Mox Presbyter Electis exponebat quid sit Evangelium, dein Diaconus, annuntians : *State cum silentio, audientes intente,* legebat Initium primi Evangelii, quod statim explicabat Presbyter ; idem successive fiebat a reliquis Diaconis pro reliquis Sanctis Evangeliis. Hujus initiationis Evangelio nihil superest in hodierno Baptismi Ordine : hic loci hodie Electi introducuntur in Ecclesiam (n. 31), et procumbunt, seu prosternunt se in pavimento, et adorant (n. 33). Postea tradebatur ipsis Symbolum, quod ipsis explicabat Presbyter, et quod ipsi cum Presbytero,solemniter profitentes Fidem recitabant (n. 35) ; dein Oratio Dominica, cujus Electi simul cum Presbytero recitabant singulam petitionem (n. 35), interposita a Presbytero singulæ petitionis expositione. Quo facto, absolutum erat Scrutinium. (Cfr. Guéranger ; *L'année Liturgique, V, Carême,* le mercredi de la 4e semaine.)

Septimum, seu ultimum Scrutinium habebatur in ipsa Vigilia Paschatis, mane post Tertiam, vel etiam post meridiem (Missa non celebrabatur hac die). Incipiebat per impositionem manus, factam a Presbytero, cum Exorcismo : *Nec te latet, etc.* (n. 36) ; dein locum habebat cæremonia symbolica, in qua Presbyter sputo vel saliva tangebat Electorum aures et nares (cfr. Q. 94), dicens : *Ephpheta, etc.* (n. 38) ; detractis mox superioribus vestibus, Electi solemniter renuntiabant Satanæ, ejusque operibus et pompis (n. 39), et mox ungebantur a Presbytero Oleo sancto Catechumenorum, in pectore et inter scapulas (n. 40) ; fugato ita spiritu immundo, locus dabatur Jesu Christo et Spiritui Sancto (n. 41),

et quasi Christi militiæ sub Ejus vexillo adscribebantur (cfr. Q. 95). Dein habebatur *Redditio Symboli*, facta ab Electis per solemnem Symboli recitationem ; hæc hodiedum omittitur, quia immediate sequitur solemnis Professio Fidei facienda immediate ante Baptismum, ut in sequentibus dicetur ; qua facta, Electi iterum genua flectebant et orabant. Hic finis erat ultimo Scrutinio, seu proximæ præparationi ad Baptismum ; Archidiaconus, post Orationem ab Electis factam, admonebat eos his verbis : *Catechumeni recedant ; omnes Catechumeni recedant foras ;* et Diaconus dicebat : *Filii carissimi, revertimini in locis vestris, exspectantes horam qua possit circa vos Dei gratia Baptismum operare.*

Celebratio Baptismi. — Electi intererant Officio Vigiliæ solemnis Paschatis, celebrante jam ipso Pontifice (Romæ in Basilica Laterana). Legebantur solemniter selectæ Lectiones ex Veteri Testamento, pro Electorum instructione, in quibus exponebantur præcipua puncta historiæ Dei cum hominibus : creatio, diluvium, tentatio Abrahæ, transitus maris rubri, visio Ezechiel, historia Jonæ, historia statuæ regis Nabuchodonosor, necnon quædam extracta ex Prophetis, ubi Isaias prænuntiat Baptismum et cantat de vinea Domini, testamentum Moysis, institutio Paschæ : hæc legebantur interpositis Canticis. Deinde cum Pontifice procedebant Electi ad Baptisterium, ubi primum benedicebatur Fons, iisdem ritibus quibus hodie.

Peracta Fontis Benedictione, Electi, adstantibus Patrinis ac Matrinis, et depositis vestibus in proximis cubiculis Baptisterii, successive ab Archidiacono præsentabantur Pontifici (n. 42), qui primum ipsos interrogabat de Fide, trina posita quæstione : *Credis, etc.*, cui singulus respondebat ter : *Credo*, et de desiderio Baptismi, quem velle item respondebat (n. 43). Mox Baptizandus a Pontifice ter immergebatur, dum Pontifex pronuntiabat formulam (n. 44). Immersio non ita debet intelligi, quasi totum corpus submergeretur : intrabat baptizandus in piscinam immersus usque ad genua, et effundebatur aqua super ipsius caput : ita repræsentatur Baptismi actio in pluribus vetustissimis picturis et monumentis. Pontifex non omnes solus bapti-

zabat : Presbyteri et Diaconi intrabant mox in Fontem, vestiti linea tunica, et administrabant numerosis Electis Baptisma.

Confirmatio. — Interea Pontifex procedebat ad *Consignatorium*, seu sacellum prope Baptisterium situm, pro Confirmatione Neophytis administranda. Antequam eo accederent Baptizati, e Fonte ascendentes ab aliquo Presbytero ungebantur in vertice capitis (in cerebro, ait Sacramentarium Gelasianum), cum Chrismate, sub formula hodie usitata : *Deus omnipotens, etc.* (n. 46), et mox in cubiculis, adjuti a Patrinis et Matrinis, vestes albas accipiebant et induebant (n. 47). — De candela accensa (n. 48) nihil refertur in Sacramentario, nec in Ordine.

Congregatis Electis in Consignatorio ante Pontificem, hic pronuntiabat invocationem Sancti Spiritus : *Omnipotens sempiterne Deus, etc.* (cfr. Ritus Confirmationis), et mox cum pollice, Sancto Chrismate intincto, singulos signabat in fronte signo Crucis, dicens formulam : *Signum Christi in vitam æternam*, et pacem ipsis adprecans : *Pax tecum.*

Missa et Communio. — Terminata Consignatione, instituebatur Processio ad Basilicam, ubi, interea dum Baptisma administrabatur, Schola Cantorum continuo cantaverat Litanias, repetens invocationes septies, dein quinquies, tandem ter. (Hodie bis cantantur invocationes, primo a Cantoribus, dein a Choro.) Pontifex Ecclesiam ingressus ad ternariam Litaniam, prosternebat se coram Altari ; deinde assurgens, et paratus, intonabat Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, et incipiebat primam Missam Paschatis, in qua communicabant Neophyti. Ante finem Canonis benedicebat aquam mixtam lacte et melle, quæ Neophytis dabatur post Communionem acceptam.

(Cfr. *The Gelasian Sacramentary* (*Liber Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ*) edited by H. A. Wilson, Oxford, 1894, pag. 34-88 ; — Mabillon, *Ordo Romanus VII* (*Ordo Baptismi*), apud Migne, P. L. Tom. 78 ; — Guéranger, *L'année Liturgique, VI, Passion ; Samedi Saint ;* — Duchesne, *Origines du culte chrétien*, Paris, Chapitre IX, § 1, n° 1 à 6 ; — Probst, *Verwaltung des Hohenpriesterlichem Amtes*, Breslau, 1881, 1 Th., 2 Cap.)

Ex hac brevi notitia concludere expedit, quam significatione pleni sint nostri in administratione Baptismi ritus, et quam ætate venerabiles; quos animadvertimus a primis quasi Ecclesiæ sæculis jam usitatos, et inviolatos ad nostra tempora servatos ; quos oportet itaque ut semper cum adstantium ædificatione, digne et sancte exsequamur.

Q. 118. *Accidit quandoque, quod aliquis Adultus e parentibus Catholicis ortus, et in fide Catholica instructus, omnique sectæ vel impiæ pravitati alienus, baptizandus sit, eo quod incuria parentum infans non fuit baptizatus ; vel quod subsit probabilis dubitatio de validitate Baptismi : Utrum in eo casu adhibendus est Ordo Baptismi Parvulorum primo loco positus in Rituali, vel potius Ordo Baptismi Adultorum?*

R. Huic dubio, a Vicario Generali Diœcesis Ambianensis S. Rituum Congregationi proposito, non respondit S. Congregatio, sed 31 Augusti 1867, rescribere rata est, ut Orator « recurrat ad sacram Universalem Inquisitionem. » (Decret. n. 3158, ad 1, antiq. 5382, ad 2.) Hujus vero S. Congregationis usque hodie nota non est hac de re declaratio. — Auctores nonnulli censent, si omittantur monita *Horresce, etc.*, danda peculiaribus Catechumenis, nempe ethnicis et idololatris, aut Judæis sive ex Hebræis venientibus, aut Turcis, aut Persis, sive aliis ex Mahumetanis ad Fidem venientibus (cfr. Ordo Baptismi Adultorum, n. 10), nihil occurrere in Ordine hujus Baptismi, quod non consonum audiret pro Adulto circa quem dubium fuit propositum.

Q. 119. *Quid collato Adultis Baptismo, de eorum Confirmatione, et Eucharistiæ susceptione docet Rituale ?*

R. « Si adsit Episcopus, qui id legitime præstare possit, ab eo Neophyti Sacramento Confirmationis initiantur. Deinde si hora congruens fuerit, celebratur Missa, cui Neophyti intersunt, et Sanctissimam Eucharistiam devote suscipiunt. »

CAPUT V

ORDO SUPPLENDI OMISSA SUPER BAPTIZATUM

Q. 120. *Quibus in casibus, quando, et ubi adhibendus est ordo supplendi omissa super baptizatum ?*

R. « Cum urgente mortis periculo, vel alia cogente necessitate, parvulus sive adultus, sacris precibus ac cæremoniis prætermissis, fuerit baptizatus, ubi convaluerit, vel cessaverit periculum, et ad Ecclesiam delatus fuerit, omissa omnia suppleantur : idemque ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo Parvulorum (si fuerit parvulus), seu Adultorum (si fuerit adultus) præscriptus est. » Exceptis tamen his, quæ inferius Q. 122 notabuntur. (Cfr. Q. 106.)

Q. 121. *Quæ datur hujus disciplinæ ratio ?*

R. Consuevit Ecclesia vel a primis sæculis ea quæ in conferendo Baptismo, urgente necessitate, omissa erant supplere, ut constat ex antiquis ac probatissimis monumentis. Quam praxim variis rationibus confirmant auctores : 1° ut servetur uniformitas in Baptismo ; — 2° ut publico hoc ritu Ecclesia Baptismum a quocumque collatum ratum se habere declaret ; — 3° quia hæc quæ supplenda sunt, licet non sint ad Sacramenti substantiam necessaria, nihilominus, cum sint Sacramentalia quæ Ecclesia instituit, habent aliquam significationem, notant finem aliquem, et aliquem effectum producunt.

Merito itaque injungit Benedictus XIV (Const. *Inter omnigenas*), ut Baptismi cæremonias, quum ex veris gravibusque causis eas prætermitti contingat, primo quoque tempore suppleri curent parochi ; neque enim sine gravi peccato negliguntur tam magni ponderis tantæque antiquitatis ritus, atque ad reverentiam Sacramento conciliandam maxime necessarii.

Q. 122. *In quibusnam præcipue differt præsens Ordo ab illo qui in Capite II et IV expositus est ?*

R. In eo quod omittantur interrogatio : An velit baptizari, forma Baptismi et ablutio ; igitur statim post

professionem Fidei, Sacerdos intingit pollicem in sacro Chrismate, et inungit baptizatum; et interea Patrinus, vel Matrina, vel uterque simul tenent infantem. Insuper quædam mutanda sunt in Orationibus et Exorcismis, prout descripta sunt in ipso Ordine Baptismi, et in præsenti Capite V Ritualis Romani.

Q. 123. *Quænam servari debent cæremoniæ et preces, quæ supplendæ sunt pro Adulto Catholico, valide post nativitatem baptizato, sed omissis cæremoniis, quæ juxta Rituale Baptismum præcedere, vel sequi debent ?*

R. Huic dubio S. Rituum Congregatio, per Decretum 27 Augusti 1836 (n. 2743, antiq. 4780, ad 3) rescribendum censuit : « Cæremoniæ, et preces serventur, quæ in Rituali assignantur pro Baptismo Infantium. » — Distinguendum enim esse in tali casu adultum inter et adultum, ait Gardellini, in Nota ad hoc Decretum : siquidem adultus, de quo sermo est in dubio, super quem omissæ cæremoniæ servandæ sunt, valide baptizatus dicitur post nativitatem, et Catholicus eodem tempore dicitur. Qui autem Catholicus est, nihil habet quod instructione in fide indigeat, nihil quod errorum detestationem exposcat, nihil quod contra Fidem senserit et debeat revocare. Hinc pro tali servari non debet Ordo qui supponit adultos in infidelitate vel hæresi ortos et viventes ; qui continet ritus, exorcismos et preces, quæ aptari nequeunt illis qui in Catholica religione orti sunt.

Q. 124. *Quænam servari debent cæremoniæ et preces, quum Adultus, ab hæresi ad Fidem Catholicam conversus, baptizandus est sub conditione, ob dubium fundatum de validitate Baptismi ipsi a ministro hæretico collati ?*

R. Huic dubio S. Rituum Congregatio, per Decretum 27 Augusti 1836 (n. 2743, antiq. 4780, ad 4) rescribendum censuit : « Quatenus supplendæ sint, et supplendæ credantur cæremoniæ, ut in dubio, illæ supplendæ sunt, quæ pro Adultorum Baptismo sunt præscriptæ. » Etenim ea supplenda sunt, quæ fuerunt omissa; sed in casu omissa sunt, quæ respiciunt hæreticum, nempe peculiaris catechesis, peculiares exorcismi, peculiares abjurationes errorum, et sectæ cui adhæsit :

itaque Ordo Baptismi Adultorum, in quo hæc reperiuntur, adhibendus est.

CAPUT VI

RITUS SERVANDUS CUM EPISCOPUS BAPTIZAT

Rituale Romanum in præsenti Capite breviter notat ea quæ servanda sunt cum Episcopus baptizat, in gratiam eorum qui Episcopo assistunt. Ritus vero et cæremoniæ longius cum omnibus Orationibus et instructionibus describuntur in Pontificalis Romani recentioribus editionibus, et signanter in Appendice editionis typicæ anni 1888; ad ipsum Pontificale igitur in casu recurri poterit.

CAPUT VII

BENEDICTIO FONTIS BAPTISMI

EXTRA SABBATUM PASCHÆ ET PENTECOSTES, CUM AQUA CONSECRATA NON HABETUR

Q. 125. *Quænam præcipua servanda sunt, cum aqua baptismalis corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit, et nova aqua in Fonte benedicenda sit extra Sabbatum Paschæ et Pentecostes?*

R. 1° Parochus ipse in Fontem bene mundatum ac nitidum, recentem aquam infundet. (Cfr. Q. 26, B.)

2° Fieri poterit hæc Benedictio quacumque die, et quavis hora.

3° Parochus Fontem benedicturus induetur superpelliceo et stola, necnon pluviali violacei coloris.

4° Si in Baptisterio Altare non habeatur, Parochus opportune stabit conversa facie ad Altare majus Ecclesiæ, ante se habens Fontem.

TITULUS III

De Sacramento Pœnitentiæ

Regulæ quæ explicantur in Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ a Theologis, et in practicis instructionibus ad confessarios, circa dispositiones confessarii et pœnitentium, breviter etiam attinguntur in Rituali Romano. — Cum autem hæc et similia ad sacram Liturgiam non pertineant, ritus tantum quibus hoc Sacramentum administratur exponendi sunt.

In triplici Capite dicetur : 1° de loco in quo confessiones sunt excipiendæ ; 2° de Ordine ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ ; 3° de Absolutione ab excommunicatione et suspensione.

CAPUT I

DE LOCO IN QUO CONFESSIONES EXCIPIENDÆ SUNT

Q. 126. *Quo loco Sacerdos confessiones audire debet ?*

R. Sacerdos « in Ecclesia, non autem in privatis ædibus, confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare. — Habeat in Ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat. » — Ita præscribit Rituale Romanum.

Q. 127. *Quæ causa æstimatur rationabilis, ob quam confessiones extra Ecclesiam excipere licet ?*

R. Talem auctores declarant e. g. infirmitatem pœnitentis, aut confessarii ; et consuetudinem existentem pro confessione clericorum.

Q. 128. *An in sacristia confessiones sunt excipiendæ ?*

R. « In sacristia aliove loco, quamvis Ecclesiæ contiguo, non sunt confessiones excipiendæ, nisi surdastrorum et aliorum, qui in Ecclesiæ loco consueto confiteri non valent. » (Stat. Diœc. n. 272.)

Q. 129. *Quando, et sub quibus cautelis, licet feminarum*

confessiones excipere extra sedem confessionalem ? An umquam licet ab anteriore parte confessionalis ?

R. « Feminarum confessiones excipere extra sedem cancellatam non licet, nisi causa necessitatis, et cum his cautelis, videlicet : 1° si audiantur in privatis ædibus, apertum sit, quotiescumque fieri poterit, cubiculi ostium ; 2° si in sacristia vel alio loco contiguo audiantur, sedes adhibeatur qualis supra, et locus ita sit apertus, ut aditus ad ipsum libere pateat, et ut sedes ab aliis videri queat. »

« Porro nulli confessario, sive sæculari sive regulari, ullo umquam casu aut prætextu, nequidem ob peccati omissi, aut injunctæ sacramentalis satisfactionis oblitæ prætextum, licitum est excipere confessionem vel partem ejus, personæ feminei sexus, ab anteriori parte confessionalis. » (Stat. Diœc. n. 273.)

Q. 130. *Quænam erat antiquitus disciplina circa sedem confessionalem ?*

R. Sedem confessionalem juxta veterem disciplinam fuisse positam in loco Altari vicino, imo coram Altari, docent plura antiqua testimonia. Confessarii sedes vero non erat, quali nunc utimur, bimembris, atque non ad aurem latusque Sacerdotis genuflectebant pœnitentes ; sed Presbytero in simplici sede assidenti supplex sese peccator ad genua provolvebat, vultu demisso, oculis ad genua illius pedesque dejectis ; aliquando etiam sedes posita erat intra cancellos presbyterii, pœnitentes autem genua ponebant extra cancellos. — Verum postea sapientissime a permultis Conciliis provisum fuit, ut confessiones ad latera Sacerdotis, sedentis in bimembri sede confessionali, semper exciperentur, quæ disciplina a sæculo XVI° ubique viguit.

Q. 131. *Indica varias conditiones pro sede confessionali præscriptas.*

R. Rituale Romanum præscribit ut sedes confessionalis « patenti, conspicuo, et apto Ecclesiæ loco posita, crate perforata inter pœnitentem et Sacerdotem sit instructa ; » quæ præscriptiones paucis exponuntur :

1° Sit posita **loco patenti et conspicuo** : ne igitur ponatur in tali Ecclesiæ angulo aut abdito recessu, ut

videri publice non possit. Ad hoc præceptum etiam pertinet, quod Statuta nostra Diœcesana (n° 272) injungunt, ut « ibidem (ad sedem confessionalem) ante ortum solis et post ejus occasum lumen apponatur. »

2° Sit posita **loco apto** : constituantur, ait S. Carolus Borromæus, sedes confessionales a latere Ecclesiæ, extra capellæ majoris (Chori seu Presbyterii) ambitum, partim a meridionali regione, partim a septentrionali ; aut in aliis Ecclesiæ locis, pro ratione amplitudinis, ut in capellis quibusdam ample patentibus, aut in earum aditu vel limine, numquam vero prope Altare. (*Instructiones fabricæ ecclesiasticæ*, Lib. I, Cap. XXIII.)

3° Sit **crate perforata instructa** : tabulæ ligneæ totaliter a summo usque ad imum disjungant pœnitentem a confessario, inter quos nulla communicatio possibilis sit, nisi pro locutione, per cratem perforatam. Porro crates constat fenestella quadam, ad altitudinem faciei utriusque, pœnitentis genuflexi et confessarii sedentis ; in qua fixa habetur tabula ex ligno, vel lamina ex metallo, perforata pluribus foraminibus, quæ juxta S. Carolum, et more Romano, singula instar ciceris minuta parvaque sint. Crates ab interiore parte, qua confessarius assidet, occludatur ostiolo ligneo, tempore confessionis tantum aperiendo.

In Congregatione admodum RR. DD. Archipresbyterorum, habita Mechliniæ die 4 Maji 1886, notatum fuit, sedes quasdam confessionales non omnino ad normam Statutorum (cfr. Stat. Diœc. n. 272) esse confectas ; alicubi enim foramina nimis spatiosa inveniuntur. Abusus hic fuit indicatus prudenter eliminandus, et specialis attentio præscripta fuit ad confectionem cancellorum seu cratis perforatæ. (Cfr. Collectio Epistolarum Pastoralium Diœcesis Mechlinien. Tom. X, p. 344.) Hæc iterum in memoriam revocata fuerunt in Synodo diœcesana, habita Mechliniæ 4 Maji 1892.

Aliæ conditiones præterea addi possunt sequentes :

4° Confessionale ligneis tabulis totum sit septum, a latere utroque, a tergo et a parte superiori ; a parte anteriori autem non occludatur nisi parvo ostiolo, cujus summa pars sit ex crate cancellisve. Velum ap-

pendere, ita ut confessarius conspici nequeat, non laudabilis videtur esse consuetudo.

5° Concilium Provinciale Mechliniense III (anni 1607) præscribit, pœnitentem a sequentibus asserculo esse disjungendum. Ita consulitur confitentium commoditati, qui a circumstantibus separati, facie hac ratione occultata, liberius confitentur.

6° In confessionali, a parte pœnitentis sint imagines piæ ad compunctionem et amorem Dei excitantes, ut imago Christi Domini in cruce pendentis, Boni Pastoris, etc. A parte confessarii utiliter quoque apponitur tabella, super quam inscribuntur casus reservati, forma absolutionis, etc.

Hæc est descriptio confessionalis, quod in Ecclesia prostare debet. In casibus autem extraordinariis, e. g. extraordinarii pœnitentium concursus, item in sacristiis aliisve locis Ecclesiæ contiguis, parari et collocari possunt confessionalia quædam minoris structuræ, quæ sequentia necessaria habeant, scilicet : sedem pro confessario, et genuflexorium pro pœnitente, a summo usque ad imum instructum tabulis ligneis, cum crate perforata inter pœnitentem et Sacerdotem.

CAPUT II

DE ORDINE MINISTRANDI SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ

Q. 132. *Quomodo Sacerdos se præparare debet ad audiendum confessiones ?*

R. « Ad hoc ministerium recte, sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit », ait Rituale. In quem finem Pius IX, per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum, 27 Martii 1854, omnibus et singulis confessariis in universo orbe catholico existentibus, Orationem, antequam ad sacramentales excipiendas confessiones assideant, corde saltem contrito, et devote recitantibus, centum dierum Indulgentiam semel tantum in die acquirendam, clementer est elargitus. Describitur hæc Oratio in libello : *Manuale Cle-*

ricorum. (Mechliniæ, Dessain, Editio secunda, 1898, pag. 127.)

Si autem Sacerdos vocatus sit inopinato et confestim ad audiendum confessionem, tunc sufficit oratio quædam jaculatoria fervens, et mentis in Deum subita elevatio.

Q. 133. *Quo habitu Sacerdos confessiones excipere debet?*

R. Rituale Romanum in Ordine ministrandi Pœnitentiæ Sacramentum præscribit, ut Sacerdos ad audiendum confessiones « superpelliceo, et stola violacei coloris utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo ; » nisi, ut dicit inter generaliter servanda in Sacramentorum administratione (cfr. Q. 15), in eo « ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat. »

Tempus, occasio, vel **locus** aliter suadere possunt, e. g., in confessione infirmi extra Ecclesiam, licet tamen et pro his casibus Confessarius laudabiliter stolam domi conservet, et secum ad infirmum deferat.

Circa **consuetudinem** vero ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ absque stola, etiam in Ecclesia et sede confessionali, rogata S. Rituum Congregatio, rescripsit, per Decretum 31 Augusti 1867 (n. 3158, ad 2, antiq. 5382, ad 3) : « Conveniens esse ut in Ecclesia adhibeatur stola, juxta S. Rituum Congregationis Decreta. »

In nostra Diœcesi, non tantum consuetudo generalis est, sed et per Statuta Diœcesana præscribitur (n. 274), ut « Confessarii nonnisi superpelliceo et stola violacea induti, in loco sacro fidelium confessiones excipiant. » Quod sane valde confert, ut populus, qua par est devotione et æstimatione, Sacramentum Pœnitentiæ suscipiat.

Dicta intellige pro Presbyteris sæcularibus præscripta ; nam Regulares, sive monachi, sive non, ex privilegio Sanctæ Sedis possunt non uti superpelliceo.

Q. 134. *Quo situ Sacerdos confessiones excipere debet ?*

R. « Judicem sedentem sententias ferre oportet ; ideo etiam Confessarius nonnisi sedens confessiones excipiat, quacumque etiam pœnitentes dignitate fulgeant. »

(Ita Concilium Provinciale Mechliniense III, anni 1607, Tit. V, C. II.)

Notari potest, quod per totum tempus quo pœnitens adest in Confessionali, animadvertere debet Confessarius, ne faciem pœnitentis aspiciat, potissimum si mulier sit ; sed ut aures ipsi præbeat, averso paulisper vultu ; imo consultum esse, ut albo linteo vultum suum tegat Confessarius.

Q. 135. *Quæ dispositiones requiruntur in pœnitente, in accessu ad confessionem ?*

R. Pœnitens debet, juxta Rituale, qua decet humilitate mentis et habitus accedere, et flectere genua.

Humilitas habitus in eo consistit, ut accedat vestitu modesto, nudis manibus, armisque si gerat depositis.

Q. 136. *Quænam cæremoniæ præcedunt ipsam peccatorum confessionem ? Quomodo ipsa confessio est instituenda ?*

R. 1° Juxta Rituale, pœnitens flexis genibus debet signo Crucis se munire. — Sacerdoti non præscribitur ut pœnitenti benedicat ; sed pia est apud nos consuetudo, et quæ laudabiliter servatur, ut confessarius in ejus accessu ipsi benedicat, et oret : *Dominus sit in corde tuo, ad digne confitendum omnia peccata tua. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*

2° « Pœnitens confessionem generalem latina, vel vulgari lingua dicat, scilicet *Confiteor, etc.*, vel saltem utatur his verbis : *Confiteor Deo omnipotenti, et tibi pater.* »

3° Pœnitens « peccata sua exinde confiteatur, adjuvante quotiescumque opus fuerit, Sacerdote : qui confitentem non reprehendet, nisi finita, ut dicetur, confessione ; neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere ; proinde fiduciam ei præbeat, et humaniter suggerat, ut omnia peccata sua rite et integre confiteatur, remota stulta illa quorumdam verecundia, qua præpediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent. »

« Si pœnitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget. »

« Sed caveat, ne curiosis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, præsertim juniores utrius-

que sexus, vel alios, de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant. »

« Demum, audita confessione, perpendens peccatorum, quæ ille admisit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitate, ac pœnitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet. »

« Postremo salutarem et convenientem satisfactionem, quantum spiritus et prudentia suggesserint, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus, et ætatis et item dispositionis pœnitentium. Videatque, ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, ne si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novæ vitæ remedium, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum castigationem. »

« Quare curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat, veluti avaris eleemosynas, libidinosis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, puta semel in mense, vel certis diebus solemnibus, confiteantur, et si expediat, communicent. »

« Pœnitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent, neque a pœnitentibus quidquam tamquam ministerii sui præmium petant, vel accipiant. »

» Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam pœnitentiam non imponant. »

« Videat autem diligenter Sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel deneganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces : quales sunt qui nulla dant signa doloris ; qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius

emendare nolunt : aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant : neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus reservata. »

Q. 137. *Indica formam absolutionis sacramentalis essentialem, necnon preces et cæremonias quæ ipsam antecedunt, et subsequuntur.*

R. 1° **Dicuntur preces præparatoriæ** : « Cum igitur pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, et ab eo acceptata salutari pœnitentia,(Sacerdos) primo dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.* »

« Deinde dextera versus pœnitentem elevata, dicit : *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, et misericors Dominus. Amen.* »

De hac dexteræ elevatione notatur, quod successit loco impositionis manus super caput, postquam confessionalis sedis forma introducta est ; ex quo deducunt auctores, quod in hac dexteræ elevatione palma manus, et non tantum parvus digitus, converti debet versus pœnitentem. Hæc dexteræ elevatio est actus, quo Sacerdos suam jurisdictionem demonstrat, et fit eo modo ut actio cum verbis concordet.

2° **Datur absolutio a censuris** : « *Dominus noster Jesus Christus te absolvat : et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum, et tu indiges.* »

Circa hanc notatur : A) Quod hæc absolutio per verba : *et ego... et tu indiges*, danda est omni pœnitenti, etiamsi non constet eum censuras incurrisse, ad cautelam ; et semper præmitti debet absolutioni a peccatis, quum usus Sacramentorum interdicatur iis, qui censura aliqua sunt innodati.

B) Quod, si pœnitens sit laicus, omittitur verbum *suspensionis*, quia suspensio afficit tantum personam ecclesiasticam, ob quam suspensionem interdicitur personæ ecclesiasticæ exercitium sui ordinis, vel usus beneficii, vel utrumque simul.

C) Quod infra eam Sacerdos dexteram versus pœnitentem elevatam tenet.

3° **Datur absolutio a peccatis** : « *Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris* †, *et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* »

Notatur : A) Elevatam tenet Sacerdos dexteram versus pœnitentem usque ad verba : *a peccatis tuis ;* deinde manu producit Crucis signum super pœnitentem, dicens : *in nomine Patris, etc.* Fit signum Crucis, ad designandum cujus merito fiat peccatorum remissio, videlicet Christi crucifixi.

B) In nonnullis editionibus Ritualis verbum *deinde* impressum est charactere nigro, tamquam pars formæ ; in aliis recentioribus vero charactere rubro, tamquam rubrica. — S. Rituum Congregatio interrogata, utrum hoc verbum *deinde* in forma absolutionis sit omittendum, rescribendum censuit, audita prius S. U. Inquisitionis Congregatione : nihil esse innovandum. (Decr. 11 Martii 1837, n. 2764, antiq. 4809.) In editione typica Ratisbonæ, anni 1884, verbum *deinde* impressum est iterum charactere nigro, tamquam pars Absolutionis. Unde concludendum est illud adverbium recitandum esse cum ipsa absolutione, velut ejusdem contextum.

4° **Dicitur precatio subsequens** : « *Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.* »

Hac Oratione, juxta probabilem sententiam, omnia bona opera pœnitentis elevantur ad meritum satisfactionis sacramentalis.

Q. 138. *Quænam ex his precibus aliquando omitti possunt, et in quibus casibus ?*

R. Rituale dicit : « In confessionibus autem frequentioribus, et brevioribus omitti potest *Misereatur, etc.*, et satis erit dicere : *Dominus noster Jesus Christus, etc.*, ut supra, usque ad illud : *Passio Domini nostri, etc.* » Declaraverat olim S. Rituum Congregatio (per Decretum 28 Februarii 1847, antiq. n. 5089, ad 2), verba Ritualis : « usque ad illud : *Passio Domini nostri, etc.*, » intelligenda esse exclusive ; sed in nova editione Decretorum, anni 1898, hoc Decretum fuit expunctum.

Quid præcise per confessiones frequentiores et breviores intelligendum sit, difficilius est accurate determinare ; exempla dant auctores : cum pœnitens sæpius redit ; cum post absolutionem recordatur peccatum ; cum magnus adest pœnitentium concursus ; etc.

In praxi facile, non tamen sine ratione, aut pro libitu, omitti possunt preces *Misereatur*, et *Indulgentiam*. Precatio autem *Passio Domini, etc.* convenit ut quam rarissime omittatur.

Q. 139. *Quænam forma adhiberi poterit in urgente gravi necessitate, in periculo mortis ?*

R. Cum constitutus in periculo mortis absolvendus sit ab omnibus censuris et peccatis quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio), urgente gravi necessitate, Confessarius breviter dicere poterit : *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris* †, *et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*

Q. 140. *Quomodo dimittendus est pœnitens non absolutus, præsertim aliis præsentibus ?*

R. Sacerdos, si quem impœnitentem cogitur dimittere, debet tamen externas cæremonias, scilicet elevationis manus et signi Crucis, etiam tunc adhibere, ne harum cæremoniarum omissio sit impœnitentis animi proditio et negatæ absolutionis indicium. Idemque dicendum pro eo, cujus absolvendi potestatem, ob casum aliquem reservatum, non habet ; vel cujus absolutionem quacumque ex causa differt in aliud tempus. — Igitur in casu, poterit primo dicere *Misereatur ;* deinde dextera versus pœnitentem elevata, lente prosequi *Indulgentiam ;* quo dicto, signo Crucis signare pœnitentem ; ita Deum precans, ut cor pœnitens illuminet, et per suam benedictionem ad veram pœnitentiam perducat.

CAPUT III

DE ABSOLUTIONE AB EXCOMMUNICATIONE, A SUSPENSIONE VEL AB INTERDICTO, EXTRA VEL INTRA SACRAMENTALEM CONFESSIONEM, ET DE DISPENSATIONE SUPER IRREGULARITATE.

Q. 141. *In quotuplici foro committi potest Sacerdoti facultas, tum absolvendi ab excommunicatione, a suspensione, vel ab interdicto, tum dispensandi super irregularitate?*

R. In duplici foro, vel 1° in foro sacramentali, seu interiori, seu conscientiæ ; vel 2° in foro exteriori.

Q. 142. *Quomodo procedit Confessarius in foro sacramentali ad absolutionem ab excommunicatione?*

R. Confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum in foro : sacramentali, absolvere debet juxta formam communem in absolutione sacramentali præscriptam, nec ulla ultro forma vel cæremonia requiritur.

Q. 143. *Quomodo procedit ad eamdem absolutionem in foro exteriori?*

R. In mandato quo committitur potestas absolvendi, potest Sacerdoti a Superiore præscribi vel 1° certa forma ; vel 2° forma communis ; vel 3° forma Ecclesiæ consueta ; vel 4° nulla forma præscribi specialiter potest.

1° Si **certa forma** specialiter a Superiore præscribitur, illa omnino servanda est, prout præscribitur.

2° Si præscribitur **forma communis,** intelligitur forma communis præscripta in absolutione sacramentali.

3° Si in mandato seu commissione dicitur, ut absolvat in forma **Ecclesiæ consueta,** servatur ritus absolvendi solemnis, cum cæremoniis et precibus in Rituali præscriptis.

4° Si Sacerdoti **nulla forma** præscripta est,tunc nihilominus, pro rei gravitate, prædictas cæremonias et preces formæ consuetæ adhibeat ; si vero res non fuerit adeo gravis, sufficiet absolutio per formam minorem

desumptam ex forma consueta, uti in Rituali proponitur.

Q. 144. *Quænam forma adhibenda est pro absolutione a suspensione, vel ab interdicto ?*

R. Si absolutio danda est in foro sacramentali, simpliciter adhibenda est forma communis præscripta in absolutione sacramentali. — Si in foro exteriori danda est, quamvis nulla verba sint præcipue determinata, uti poterit Sacerdos, cui facultas commissa est, formula in Rituali descripta, facta mentione tum Superioris a quo auctoritatem habuit absolvendi pœnitentem, tum facti vel causæ suspensionis, vel interdicti.

Q. 145. *Quid servare debet Confessarius cui data est potestas dispensandi super irregularitate ?*

R. Si Confessario, sive in foro conscientiæ, sive extra, data est potestas dispensandi super irregularitate, tunc postquam irregularem absolverit a peccatis, cum eo super irregularitate dispensabit juxta formulam in Rituali descriptam ; præ oculis habens tenorem mandati et statum pœnitentis, ut eum habilitet, vel ad ordines susceptos exercendos, vel ad alios suscipiendos ; aut ei restituat titulum beneficii, et condonet fructus male perceptos.

TITULUS IV

De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento

CONSPECTUS MATERIÆ

Tractatio practica quæ sacræ Liturgiæ obtingit, versatur circa SS. Eucharistiæ **curam, cultum,** et **administrationem.** — Unde, præmissa ingressione de veneratione SS. Eucharistiæ, triplex erit hujus Tituli Sectio.

SECTIO I, de **cura** SS. Eucharistiæ Sacramenti, complectitur ea quæ spectant SS. Sacramenti **asservationem,** et **renovationem.** Caput I, de asservatione, tractat de loco in quo asservare SS. Eucharistiam licet; de Tabernaculo, et de Altari; de vasis sacris; de lumine requisito; Caput II de renovatione specierum agit, et de purificatione sacrorum vasorum.

SECTIO II, de **cultu** SS. Eucharistiæ Sacramenti, proponit ritum adorationis SS. Sacramenti in ejus expositione servandum. Caput I indicat quæ variæ sint expositiones; Caput II quis sit in expositione requisitus apparatus Altaris et Throni; Caput III quis sit ritus expositionis, repositionis et benedictionis.

SECTIO III, de **administratione** SS. Eucharistiæ Sacramenti, in quadruplici Capite tractat: 1° de tempore; 2° de loco dispensandæ SS. Eucharistiæ; 3° de ritu administrandi sacram Communionem extra Missam, immediate ante vel post Missam, intra Missam; 4° de modo deferendi SS. Sacramentum ad infirmos.

INGRESSIO

DE VENERATIONE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTI

Q. 146. *Quare præcipue in administrando, ac suscipiendo SS. Eucharistiæ Sacramento, magna ac diligens cura adhibenda est?*

R. « Omnibus quidem Ecclesiæ catholicæ Sacramentis religiose, sancteque tractandis, magna ac diligens cura adhibenda est: sed præcipue in administrando,

ac suscipiendo sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei ; cum in eo contineatur præcipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiæ et sanctitatis fons, auctorque Christus Dominus. »

Q. 147. *In quo igitur summum studium ponere debet Parochus respectu SS. Sacramenti, tum pro se, tum pro populo ?*

R. « Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut cum ipse venerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat, et administret ; tum etiam populus sibi commissus religiose colat, sancte frequenterque suscipiat, præsertim in majoribus anni solemnitatibus. »

SECTIO I

De cura SS. Eucharistiae Sacramenti

CAPUT I

DE ASSERVATIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI

Q. 148. *Quid docet S. Concilium Tridentinum de consuetudine asservandi SS. Eucharistiam, et quid de ea asservatione definivit ?*

R. « Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, et in hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquam quod cum summa æquitate et ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, et vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit. » Ita Concilium Tridentinum, Sessione XIII, Cap. VI ; quod deinde Canone VII definivit : « Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam, aut non

licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur ; anathema sit. »

Q. 149. *Quibus de causis Sancta Mater Ecclesia SS. Sacramentum asservari jussit ?*

R. Ecclesia ex antiquissimo instituto id jussit : 1° ut cœlestis cibi copia fidelibus qui eo refici petunt, præsto sit ; — 2° ut ægrotantes hoc salutari viatico possint muniri ; 3° ut habeant continuo fideles venerationis et adorationis argumentum erga hoc admirabile Sacramentum, quod, cum vere contineat gratiarum omnium fontem Christum Jesum, eodem modo, quo Deum, colere et revereri debent.

Q. 150. *In quibus Ecclesiis de jure asservari potest SS. Eucharistia ? Quid observandum ubi pro gratia conceditur hæc asservatio ?*

R. I. Asservari de jure potest SS. Eucharistia : 1° in omnibus ecclesiis parochialibus ; — 2° in ecclesiis cathedralibus, quæ merito reputantur primæ diœceseos parochiales ecclesiæ ; — 3° in ecclesiis Regularium utriusque sexus, quæ pro ipsis Regularibus veræ sunt parochiales ecclesiæ.

Ut in aliis quam prædictis ecclesiis, aut in oratoriis SS. Eucharistia possit conservari, requiritur,vel Indultum Apostolicæ Sedis (Episcopus enim sine speciali facultate hoc concedere non valet), vel præsidium immemorabilis consuetudinis, quæ Indulti præsumptionem inducat.

II. Ubi vero per Indultum Apostolicum pro gratia aliquando conceditur in domibus religiosis asservare SS. Sacramentum, adduntur Indulto plerumque conditiones « servatis servandis », id est, dummodo lampas die ac nocte accensa coram Tabernaculo retineatur ; — dummodo quotidie, si fieri potest, aut saltem semel in hebdomada Missa celebretur ; — dummodo claves ab aliquo presbytero custodiantur ; etc.

Q. 151. *An in pluribus locis ejusdem ecclesiæ SS. Sacramentum asservari potest ?*

R. Per Decretum 21 Julii 1696 (n. 1946, antiq. 3392, ad 3), S. Rituum Congregatio declaravit : « Sacratissimam Eucharistiam servandam esse in uno tantum

Altari, designando ab Episcopo »; et insuper per Decretum 16 Martii 1861 (n. 3104, antiq. 5310, ad 13), rescripsit, non ferri posse consuetudinem asservandi Sanctissimam Eucharistiam in duobus aut tribus Altaribus, neque transferendi, occasione novendialis, aut alicujus festivitatis, in aliud Altare diversum ab illo in quo ordinarie asservatur.

Hæc tamen intelligenda sunt de continua asservatione, non de temporanea, quæ in altero etiam Altari quandoque, congruis de causis, optime haberi potest. Ita declaravit S. Rituum Congregatio (per Decretum 2 Junii 1883, n. antiq. 5874, ad 6), licere, occasione alicujus Festi, aut tridui, aut novendialis, aut mensis, ex. gr. Maji, in honorem B. Mariæ Virginis, vel Junii, in honorem SS. Cordis Jesu, ab Altari majori, super quo continuo asservatur SS. Sacramentum, illud his occasionibus transferre ad alia Altaria in ecclesia erecta, ut ibi Sacra Communio fidelibus distribuatur, vel populo Benedictio impertiatur; dummodo tamen SS. Eucharistia in duobus Altaribus non continuo asservetur, et peractis Communionis distributione, aut Benedictione, mox reponatur in Altari consuetuæ asservationis. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 398 et sqq., et VI, 1892, pag. 439 et sqq.)

Præmissis his generalibus regulis de SS. Sacramenti asservatione, speciatim in diversis Articulis dicendum est de ipso Tabernaculo, de Altari SS. Sacramenti, de vasis sacris, de lumine requisito.

ARTICULUS I

De Tabernaculo SS. Sacramenti

Q. 152. *Quæ fuit antiqua disciplina de loco asservationis SS. Sacramenti?*

R. Primis Ecclesiæ temporibus, et in persecutionibus, fas erat fidelibus domum ex sacra æde, in qua Liturgiæ interfuerant, secum ferre Sacrosanctum Christi Corpus, illudque domi servare, ac propriis manibus,

cum voluerint, eo vesci : in hunc finem utebantur plerumque vasculo, quod S. Cyprianus arcam vocat. — Constitutiones Apostolicæ loquuntur de custodia SS. Sacramenti in **pastophorio** (παστός : thalamus, capella), quo nomine intelligitur loculus cum armario in pariete muri constructo, cujusmodi exemplar dari autumant in catacumba S. Callixti ; vel, in basilicis christianis, absidiola a latere sanctuarii constructa, in qua primitus servabantur oblationes panis et vini, et postea particulæ SS. Eucharistiæ servandæ pro infirmis. (Cfr. Reusens, *Archéologie chrétienne*, 1885. Tom. I, pag. 142 et 238.)

Vetus etiam mos fuit, cum postea Altaria ornabantur baldachino, seu ciborio, ut in columbis aureis argenteisque, super Altare e ciborio appensis, S. Eucharistia asservaretur, uti comprobatur ex multis tum Græcorum tum Latinorum scriptorum testimoniis. — Columba autem tamquam Symbolum Christi et sancti Spiritus ideo pro vasculo Eucharistico adhibebatur, quia Christus, sicuti semel in Incarnatione humanam naturam assumpsit cooperante Spiritu sancto, ita etiam in Missæ Sacrificio, eodem sancto Spiritu cooperante, species Eucharisticas assumit : Corpus enim, ait S. Joannes Chrysostomus, et Sanguis mysticus non fiunt absque Spiritus gratia. (Cfr. Reusens, loco citato, et Kraus, *Real-Encyclopädie der Christlichen Alterthümer*, 1886, art. Taube.)

Consuevit etiam olim Eucharistiam asservare in calicibus, ex pretiosa materia elaboratis, aut in vasculo quod vocabatur **Conditorium**, quodque in armario custodiebatur, vel erecto in medio Altari, vel parieti Altaris affixo.

In non paucis medii ævi ecclesiis reperiuntur, tum sacra armariola ad dextrum cornu Altaris majoris, a parte Evangelii, in pariete muri potissimum posita ; tum pastophoria, columnæ vel turris instar artificiose constructa. (Cfr. Reusens, opus cit., Tom. II, pag. 236, sqq. ; Otte, *Handbuch der kirchlichen Kunst-Archäologie*, 1883 ; I, pag. 243-251 ; Corblet, *Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du Sacrement de l'Eucharistie.* Paris, 1885. Tome I, Livre XII, Chap. IV.)

Q. 153. *Quænam sunt præscriptiones disciplinæ hodiernæ de situ, seu loco Tabernaculi ?*

R. Juxta Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XII, n. 8), « Sacrosancto Domini nostri Jesu Christi Corpori, omnium Sacramentorum fonti, præcellentissimus ac nobilissimus omnium locus in Ecclesia convenit, neque humanis viribus tantum illud venerari et colere umquam valemus, quantum decet, tenemurque. »

S. Congregatio Episcoporum et Regularium, per Decretum 28 Novembris 1594, rescripsit, quod « Tabernaculum SS. Sacramenti in parochialibus Ecclesiis debet esse in Altari majori regulariter tamquam digniori. »

Rituale Romanum præscribit, ut Tabernaculum sit collocatum « in Altari majori vel in alio, quod veneration i et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, ita ut nullum aliis sacris functionibus, aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. »

Ratione ecclesiasticorum officiorum in Ecclesiis Cathedralibus, dicit Cæremoniale Episcoporum, loco supra citato, quod « valde opportunum est, ut illud non collocetur in majori, vel in alio Altari, in quo Episcopus, vel alius solemniter est Missam, seu Vesperas celebraturus ; sed in alio sacello, vel loco ornatissimo, cum omni decentia et reverentia ponatur. Quod si in Altari majori, vel alio, in quo celebrandum erit, collocatum reperiatur, ab eo Altari in aliud omnino transferendum est, ne propterea ritus et ordo cæremoniarum, qui in hujusmodi Missis et Officiis servandus est, turbetur. »

Nota. I. Cum, circa medium sæculi XIX, quidam in ecclesiis styli gothici de novo introduxissent morem veterem construendi armariola in pariete muri ad dextrum cornu Altaris, vel turres, pro custodia SS. Sacramenti, S. Rituum Congregationis Præfectus litteras sequentis tenoris misit Episcopis Belgii, 21 Augusti 1863 : « Quum... Sanctam Sedem non lateret... in nonnullis Belgii Ecclesiis vel Oratoriis Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum non in medio Altaris, verum aut in dextera aut læva pariete in custodia servari eodem modo, quo Sacra Olea recondi solent ; Sacra Congregatio legitimis protuendis Ritibus præposita

super hujusmodi immutationibus accuratum examen instituere haud prætermisit... Quod attinet ad Custodiam SS^mi Sacramenti, eadem Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ nomine omnino prohibet illud alio in loco servari præter quam in Tabernaculo in medio Altaris posito. » (Cfr. Collectio Epistolarum pastoralium Diœcesis Mechlin., Tom. III, p. 652.)

Hinc in Statutis Diœcesanis, n. 245, præscribitur : « Ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, de die 21 Augusti 1863, Sanctissima Eucharistia non in alio loco servari potest quam in Tabernaculo, quod in medio Altaris positum sit. »

Antiqua Tabernacula in forma turris adhuc hodiedum plura reperiuntur in Germania, ubi vocantur *Sakramentshäuschen*. (Cfr. Otte, *Handbuch der kirchlichen Kunst-Archäologie*, I, pag. 243.) In nostra Diœcesi Mechliniensi quoque nonnulla remanent hujusmodi antiqua Tabernacula : pulcherrima videre est Lovanii, in ecclesia S. Petri unum, anni 1450, in ecclesia S. Jacobi alterum, anni 1538 ; item Leeuwis S. Leonardi, in ecclesia parochiali unum, sæculi XVI ; alia etiam habentur Turnholti, in ecclesia S. Petri ; Ghelæ, in ecclesia S. Dymphnæ ; Diesthemii, in ecclesia S. Sulpitii ; etc.

Ubi hujusmodi Tabernacula a pluribus retro sæculis constanter remanserunt in usu, non perperam æstimabitur, sub præsidio consuetudinis, posse ab auctoritate ecclesiastica tolerari usus continuationem. Ast, ubi hujusmodi Tabernacula, extra usum jam posita, conservata fuerunt tantum uti antiquitatis monumenta, iterum introducere eorum usum merito carperetur, utpote quæ prohibita sunt eodem titulo quo nova recenter constructa.

Cæterum, ubi amplitudo loci et convenientia permitteret hujusmodi turris pro Tabernaculo constructionem, statuta liturgica lex poterit observari, si turris eo modo construitur, ut ejus basis sit Altare, super quod assurgat unum cum Altari efficiens. Periti artificis erit, nobilissimam juxta artis leges turrim componere, et, sub directione Rectoris ecclesiæ, legem liturgicam non omittere.

Nota. II. Sequens etiam toleratur a generali regula exceptio : Rmus Archiepiscopus Cameracensis exposuit S. Rituum Congregationi, quod « Moniales a S. Clara, seu Coletinæ e Belgico regno in Archidiœcesi Cameracen. hunc usum invexerunt nimirum : intra parietem qui medius est intra Chorum Sororum et Sanctuarium, cellula est præparata, ubi SS. Eucharistia in ostensorio requiescit. Sacerdote absente, Sorores januam cellulæ in Choro suo aspicientem aperiunt : adhuc tamen clausum remanet SS. Sacramentum solido vitro. Sic piæ Sorores statutis horis contemplatione S. Hostiæ fruuntur. Quæritur an talis consuetudo servari possit ? » Et S. Congregatio rescribere rata est : « Piam consuetudinem tolerari posse. » (Decr. 11 Decembris 1885, n. antiq. 5955, ad 1.)

Q. 154. *Indica quasdam regulas pro structura ipsa Tabernaculi.*

R. I. **Materia.** — S. Congregatio Episcoporum et Regularium, 26 Octobris 1575, decrevit : « Tabernaculum regulariter debet esse ligneum, extra deauratum. » — Pie optarunt quædam Concilia provincialia, ut Tabernaculum, si fieri posset, ex auro solido esset confectum et pretiosis gemmis religiose ornatum. (Conc. Aquen. 1585, Pragen. 1860.) — S. Carolus Borromæus, in Instructionibus Fabricæ ecclesiasticæ (Lib. I, Cap. XIII),de eo dicit : « Illud in Ecclesiis insignioribus, ubi potest, e laminis argenteis, aut æneis, iisdemque inauratis, aut e marmore pretiosiori, fieri decens est. Intrinsecus autem tabulis populeis circumamictum esse debet, vel aliis ejusmodi ; ut ab humiditate, quæ ex metalli marmorisve genere existit, Sanctissima Eucharistia illo amictu omnino defendatur. Ubi Tabernaculum ejusmodi non fiat ; tunc e tabulis, non nuceis, vel aliis, quæ humiditatem gignunt, sed populeis, aut similibus, polite elaboratis, et religiosarum ut supra imaginum sculptura ornatis, iisdemque inauratis exstruatur. »

II. **Forma.** — Sit « forma, ait S. Carolus (loco citato), vel octangula, vel sexangula, vel quadrata, vel rotunda, prout decentius et religiosius accommodata videbitur

ad Ecclesiæ formam. » Tabernaculum sit arca fixa, munita ostiolo congruo, seu foribus ab anteriori parte.

Regulis liturgicis et praxi Romanæ Ecclesiæ conformior, adeoque merito præferenda, est structura cum ostio vel foribus, quam ea structura quæ continet capsulam rotundam versatilem super axem, quam rotando, modo Ostensorium, modo Ciborium fidelium conspectui exponitur ; quæ rotatio SS. Sacramenti, præter alia incommoda, parum decens videtur.

Ampluni et altum satis sit, ut in illo omnia sacra vasa Eucharistica simul poni possint.

Nota. Constructa inveniuntur quædam Tabernacula eo modo, ut adsint duo loca superposita ; inferior, in quo includuntur ciboria et pyxides ; superior, ad modum templi tornatilis, Monstrantiæ custodiendæ inserviens. Hanc Tabernaculi formam reprobant auctores, quia locus inferior plerumque, vel in medio gradus super mensam Altaris, vel in basi ipsius Tabernaculi sine ullo fere Tabernaculi signo dispositus, minus convenire videtur. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, XIII, 1881, pp. 168 et sqq.)

III. **Dispositio in Altari.** — A fronte seu coronide Altaris distet spatio circiter 60 ctm. ; ne ex una parte amplius superficiei mensæ spatium ita occupet, ut vix in ista locari possent quæ ad Sacrum faciendum necessaria sunt ; ne ex altera parte a fronte ita distet, ut ad S. Eucharistiam depromendam Sacerdoti gradu ligneo opus sit. — Supra mensam Altaris elevetur ostiolum spatio circiter 40 ctm., ne illud occupet tabella secretarum.

IV. **Ornatus.** — Cum illum eumdem Deum in Sacratissimo Eucharistiæ Sacramento præsentem agnoscamus, in cujus nomine omne genu flectitur : nihil profecto negligendum, ut hic locus mirificæ habitationis ejus, præcelsa hæc novi fœderis arca, tabernaculum Dei cum hominibus, religiosissima devotione tractetur, et singulari prorsus debitæ gratitudinis industria ornetur. Ideo, quantum vires et facultates suppetunt, tantum audeat unita cleri populique pietas, quo dignior paretur, et pretiosissimo artis humanæ apparatu exornetur sacratissima arca Domini. (Conc. Pragen.,

1860, Tit. V, Cap. V.) — Ornatus est interior et exterior.

Ornatus interior. — Tabulæ ligneæ, ad majorem siccitatem interiori parieti applicatæ, sint pannis aureis, aut sericis, aut tela quadam pretiosa, albi coloris, eleganter vestitæ, vel saltem solide inauratæ. — Sit præsertim, juxta Rituale, nitidum et mundum a minimo pulvere. In hunc finem in quibusdam Tabernaculis appenduntur intus post ostiolum sericæ cortinæ : hæ tamen nec prohibentur, nec præscribuntur. — Cum nonnisi asservandæ S. Eucharistiæ servire debeat, ab omnia alia re vacuum sit oportet, ut dicit Rituale, adeo ut, quemadmodum decrevit S. Congregatio Episcoporum et Regularium, 3 Maji 1693, neque vasa sacrorum Oleorum, neque Reliquias quascumque, neque aliquid aliud recondere in eo liceat, sed tantum vasa Sanctissimum continentia. (Cfr. Stat. Diœc. n. 246.) — Sit in hunc finem mundo corporali stratum, quod saltem singulis tribus mensibus renovetur.

Ornatus exterior. — Dispositio et architectura Tabernaculi debet præ cæteris totius Altaris partibus venerabili ac ingeniosa formositate eminere.

I. « Tabernaculi opus (ait S. Carolus Borromæus, loco supra citato) polite elaboratum... piis mysteriorum passionis Christi Domini imaginibus exsculptum, et inaurato artificio certis locis periti viri judicio decoratum, religiosi et venerandi ornatus formam exhibeat. »

Hæc S. Caroli præscriptio præcipue spectat ostiolum Tabernaculi, in quo præterea etiam admittuntur imagines Christi Cor suum monstrantis, calicis, agni, pelicani, etc.

Hic loci citare juvat Decretum S. Rituum Congregationis, de quodam ornatu, qui non raro apponitur in ostiolo Tabernaculi: « Utrum approbanda, tolerandave sit effigies satis late vulgata, duorum Cordium ejusdem magnitudinis, ejusdem decoris, et in eodem quasi gradu consistentium, quorum unum refert Cor adorandum Verbi incarnati, iis ornatum insignibus, quibus pia B. Margaritæ Mariæ Alacoque revelatione depingendum exhibetur ; alterum autem Immaculatum Cor Beatæ Mariæ Virginis exprimit, rosea corona redimi-

tum, et gladio perforatum ; utroque interdum radiis ejusdem, ut aiunt, gloriæ circumcincto ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Ejusmodi emblemata privata ex devotione permitti posse, dummodo altaribus non apponantur. Atque ita respondit ac rescripsit. » (Decret. 5 Aprilis 1879, n. antiq. 5780; cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechlinien., anni 1890, ex Liturgia Q. VI.) Idem dicendum est de mera figura SS. Cordis Jesu, omnino a persona Christi separata. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 618.)

II. In summitate Tabernaculi certum est parvam Crucem debere collocari (Gardellini, in Nota ad Decretum 31 Martii, approbatum 3 Aprilis 1821, n. 2613, antiq. 4578, ad 6) ; et quidem parvam Crucem cum imagine Salvatoris Crucifixi (Benedictus XIV, in Constitutione *Accepimus*, 16 Julii 1746) ; nec sufficit Crux inter candelabra pro celebratione Missæ requisita, sed independenter ab ista summitas Tabernaculi debet parva Cruce terminari. Juxta S. Carolum apponi quoque potest « imago Christi gloriose resurgentis, vel sacra vulnera exhibentis. »

Ast, addit S. Carolus, « si in Altari exiguæ alicujus Ecclesiæ per Tabernaculi occupationem congruus locus Cruci (quæ alias super Altari collocaretur) esse non potest, ea pro alia sacra imagine in Tabernaculi summitate... decore constituatur, affixa Christi Crucifixi sacra effigie. » In tali autem casu non sufficientem judicavit S. Rituum Congregatio exiguum Crucifixum Tabernaculo infixum ; etenim ad dubium : « An parva Crux cum Imagine Crucifixi posita super Tabernaculum ligneum, in quo inclusum asservatur SS. Sacramentum in Altari, sit sufficiens in adimplementum Rubricæ volentis, quod in Altari, dum celebratur Missa, debeat apponi Crux in medio candelabrorum ? » S. Congregatio respondit : « Non est sufficiens, sed poni debet alia Crux in medio candelabrorum. (Decr. 16 Junii 1663, n. 1270, antiq. 2231, ad 1.) Cum igitur Crux pro celebratione Missæ requisita, ex defectu congrui loci ut in medio candelabrorum posset independenter a Tabernaculo apponi, super ipsum Tabernaculum, quemadmodum S. Carolus permittit, pone-

retur, omnino requiritur talis ejus magnitudo, ut facile in conspectum veniat, cum Sacerdotis Missam ad hoc Altare celebrantis, tum populi assistentis; quia, ait Benedictus XIV (loco citato), ex exiguo Crucifixo ea profecto utilitas non consequitur, quam proponit Ecclesia, dum Crucem inter candelabra collocandam decernit. (Cfr. Benedictus XIV, in Constitutione citata; S. Rituum Congregationis Decr. 17 Septembris 1822, n. 2621, ad 7, antiq. 4590, ad 8; et Gardellini Nota supra citata in Decreto 3 Aprilis 1821.)

III. Specialiter prohibitum est immediate supra Tabernaculum exponere imagines Sanctorum, (decet enim sedere Dominum supra servos suos, ait Gavantus), aut reliquias Sanctæ Crucis, aut alterius ex Instrumentis Dominicæ passionis, aut Sanctorum, adeo ut ipsum Tabernaculum inserviat pro basi; hoc enim læderet reverentiam debitam loco ad Sacramenti custodiam destinato. (Cfr. Decreta S. Rituum Congregationis, 3 Aprilis 1821 (supra citat.), et 12 Martii 1836, n. 2740, antiq. 4777, ad 1.) — Item, ante ostiolum Tabernaculi collocare reliquias alicujus Sancti, etiam die, qua ejusdem festum recolitur, et licet immemorabilis vigeret consuetudo, prohibetur. (S. Rituum Congregatio, 6 Septembris 1845, n. 2906, antiq. 5033.) Vas autem florum vel quid simile prohibetur retinere ante ostiolum, si ostiolum aut imaginem in eodem insculptam occuparet; sed potest apponi in humiliori et decentiori loco. (S. Rituum Congregatio, 22 Januarii 1701, n. 2067, antiq. 3575, ad 10.)

V. **Custodia.** — Tabernaculum, in quo SS. Eucharistia continuo asservatur, debet Altari firmiter fixum hærere.

Debet esse fidis clavibus obseratum (Rituale, Cæremoniale Episcoporum, et Stat. Diœc., n. 246), seris firmis custoditum, et continuo clausum, ne ad illud temeraria manus possit extendi. — Claves sint duæ, quæ, juxta Decreta S. Congregationis Concilii (25 Junii 1689, et 14 Novembris 1693), non possunt relinqui in sacristia, nec a laicis servari, sed a solo parocho privative quoad alios: ipsius parochi vel Ecclesiæ rectoris honorificum sit officium et insignis prærogativa, ut claves has,

et sanctuarium Christi pie semper custodiat, et, si fidelis fuerit custos Domini sui, glorificetur. — Humbertus a Precipiano, Archiep. Mechlin., in Instructione pastorali 21 Julii 1700, præcipit ut clavis Tabernaculi sit auro obducta. — Non convenit, ut cum aliis clavibus eadem cordula vel eodem annulo colligetur.

Cum abhinc aliquo tempore sacrilegi homines has regiones percurrant, et nocte præsertim templa spolient, sacra quæque profanantes, omnem solertiam impendere debent parochi, ut tum de die tum noctis tempore debitæ cautiones contra fures adhibeantur. Sacræ igitur species SS. Sacramenti conserventur in Tabernaculo, munito ferreo scrinio (coffre-fort), ita constructo, ut cum ipso Tabernaculo et cum Altari unum quid efficiat quod amoveri nequeat. Si vero huic constructioni quid obstet, alio meliori quo fieri potest modo S. Eucharistiæ custodiæ secure provideatur. — In locis ubi hunc in finem constiterit deesse facultates pecuniarias, subsidium a Gubernio obtineri poterit, ut rescripsit D. Minister justitiæ, die 23 Februarii 1888. (Cfr. Collectio Epistolarum pastor. Diœcesis Mechlinien., Tom. X, pag. 507, Litteræ 12 Aprilis 1888.)

Casu quo non tuta satis æstimatur custodia sacrorum Vasorum quæ S. Eucharistiam continent, in ipso Ecclesiæ Tabernaculo, tunc SS. Sacramentum et Vasa sacra, debent noctis tempore custodiri in cauto ac tuto præparato loco in sacristia. Non autem licet, propter periculum facinoris, auferre e Tabernaculo sola Vasa sacra,et in eo custodire SS. Eucharistiam in Corporali tantum involutam, ut decrevit S. Rituum Congregatio. (Decret. 17 Februarii 1881, n. antiq. 5822.) In casu asservationis de nocte in sacristia, sequentia omnino sunt observanda : 1° tutus et cautus locus debet simul esse et honestus et dignus, et non potest inservire cuicumque alii rei custodiendæ ; 2° quando vespere defertur SS. Sacramentum ad locum tutum, et inde mane ad Tabernaculum refertur, Parochus curet ut id digne fiat, cum vestibus sacris, et lumine adhibito.

VI. **Conopeum.** — « Tabernaculum **Conopeo** decenter opertum » sit, ait Rituale. Conopeum (κωνωπεῖον : tentorium) est velum ad instar tentorii, ex tela pretiosa, aut

ex serico, superpositum Tabernaculo, ita tamen ut Crux vel imago Christi emineat, a summa parte crispatum, amplum satis et undique dependens et Tabernaculum tegens, modo a fronte nonnihil ostiolum appareat. — Conopeum originem habet ex baldachino, vel potius ex cortinis, quæ baldachinum et Altare tegebant, et quarum usus desiit cum cœptum fuit Altaria muro seu parieti admovere. — Conopei usus practicus simul est et symbolicus : practicus, ut Sanctuarium a minimo pulvere nitidum custodiatur; symbolicus, qui memorat tentorium Arcæ Veteris Testamenti, et adhibetur ad majorem reverentiam Sacramenti.

De usu Conopei exstant sequentia S. Rituum Congregationis Decreta :

I. « a) Num Tabernaculum, in quo reconditur SS. Sacramentum, Conopeo cooperiri debeat, ut fert Rituale, et quatenus affirmative : b) Utrum Conopeum istud confici possit ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannaba contexto ? c) Cujusnam coloris esse debeat ? aliis opinantibus, ut Baruffaldus, Conopeum debere esse coloris albi, utpote convenientis SS^mo Sacramento, aliis autem, ut Gavantus, ejusdem coloris, cujus sunt pallium Altaris, et cetera paramenta pro temporis, festique ratione, præter colorem nigrum, qui mutatur in colore violaceo in exsequiis defunctorum. » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Quoad primam quæstionem, affirmative ; quoad secundam, pariter affirmative ; quoad tertiam, utramque sententiam posse in praxim deduci, maxime vero sententiam Gavanti, quæ pro se habet usum Ecclesiarum Urbis. » (Decret. 21 Julii 1855, n. 3035, ad 10, antiq. 5221, ad 12.)

II. « Rmus D. Archiep. N. exponens in Ecclesiis suæ Archidiœceseos usum ab antiquo tempore vigere non cooperiendi Conopeo Tabernaculum, in quo asservatur SS. Eucharistiæ Sacramentum, sed intus tantum velo pulchriori serico, sæpe etiam argento aut auro intexto, ornari, a S. Rituum Congregatione humillime declarari petiit : Num talis usus tolerandus sit vel potius exigendum, ut Conopeum, ultra prædictum velum, vel sine eo, apponatur juxta præscriptum in

Rituali Romano? » S. vero eadem Congregatio... respondendum censuit : « Usum veli prædicti tolerari posse ; sed Tabernaculum tegendum est Conopeo, juxta præscriptum Ritualis Romani. Atque ita respondit, et servari mandavit. » (Decret. 28 Aprilis 1866, n. 3150, antiq. 5368.)

III. « Utrum Tabernaculum SS. Sacramenti, argento, auro, vel alia pretiosa materia confectum, eo ipso a generali obligatione illud tegendi Conopæo sit immune? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Servetur præscriptum Ritualis Romani. » (Decret. 7 Augusti 1880, n. antiq. 5814.)

Hæc præscriptio de Conopeo in Italia generatim observata dicitur ; et Romæ vix aliquæ enumerantur ecclesiæ, quæ Conopeum Tabernaculo non impositum habent, nempe Basilicæ majores, excusandæ ob prægrandioris Tabernaculi formam. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 360.) In nostris regionibus raro observata invenitur : excusari aliquando forsan hæc omissio potest, eo quod nonnumquam in ecclesiis nostris reperiantur Tabernacula, quorum structura non, aut vix permittit, ut possint tentorio cooperiri : ubi enim, ex. gr., pro Tabernaculo cooperiendo totum propemodum tegendum foret Altare, fatendum est Conopei usum fere impossibilem jam reddi. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 28, 29.) Pro multis tamen nostrorum Tabernaculorum hujus præscriptionis observantia possibilis est, et pro his desiderandum est ut usus Conopei, a Rituali Romano specialiter præscripti, introducatur. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, VI, 1874, pp. 203 et sqq. ; XIII, 1881, p. 173.)

VII. Benedictio. — « Benedictio Tabernaculi, seu vasculi pro Sacrosancta Eucharistia conservanda » inserta est in Rituali et in Missali, inter Benedictiones ab Episcopis vel aliis facultatem habentibus faciendas. Juxta plures auctores Tabernaculum benedici debet, ut patet ex variis antiquis Pontificalibus, et prisco Ecclesiæ usu, et ut statuerunt multa provincilia pariter et diœcesana Concilia. — Alii vero æstimant, vocem *Vasculum*, in Oratione hujus Benedictionis occurrentem, vix Ta-

bernaculo convenire, et inde negant Tabernaculum esse benedicendum. Cum Benedictio in reverentiam SS. Sacramenti cedat, dicendum est eam saltem laudabiliter fieri.

NOTA. Vacuum a sacris Speciebus si contingat esse Tabernaculum, significari debet, ne fideles in errorem ducantur : signa autem sunt, tum extinctio lampadis, tum absentia Conopei, et præsertim aperitio ostioli.

ARTICULUS II

De Altari SS. Sacramenti

Q. 155. *Quænam liturgica notari possunt de ipso Altari, in quo asservatur SS. Eucharistia ?*

R. Ex præcedentibus jam patet, Altare in quo asservatur SS. Eucharistia :

1° Debere esse dignius Ecclesiæ ; et quidem in Ecclesiis parochialibus regulariter Altare majus ; in iis autem Ecclesiis, in quibus Altare majus minus convenire æstimatur, seligendum esse ex diversis Ecclesiæ Altaribus tale, quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur.

2° Præ cæteris digniori et pretiosiori artis apparatu debere esse exornatum, seu præcellentissimum ac nobilissimum. (Cfr. Q. 152.)

Præterea sequentes juvat ex decisionibus S. Rituum Congregationis notare :

3° Si non licet habitare diu noctuque in domibus ædificatis super capellis (Decr. 11 Maji 1641, n. 756, antiq. 1325), abusus certe major esset, habitare vel dormire in ea parte domus, quæ supra Altare SS. Sacramenti sita est. Ad hanc præscriptionem attendendum nonnumquam est in oratoriis domorum religiosarum.

4° Ecclesiæ mens est, ut super omnia Altaria vel conficiatur Ciborium, seu ædicula, ex ligno, aut ex lapide, aut ex marmore ; vel, deficiente Ciborio, appendatur umbraculum, quod Baldachinum vocant, formæ quadratæ, cooperiens Altare et Altaris scabellum. (Cfr. Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XII, nn. 13,

14; et Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Aprilis 1697, n. 1966, antiq. 3421.) Si super omne Altare, certe maxime convenit super Altare in quo Augustissimum Sacramentum asservatur; et non tantum convenit, sed sancivit S. Rituum Congregatio, ut Baldachinum omnino apponatur. (Decret. 23 Maji 1846, n. 2912, antiq. 5044; cfr. etiam Decret. 27 Aprilis 1697, n. 1966, antiq. 3421.)

Nota. Ex præcedentibus regulis circa Tabernaculum et Altare SS. Sacramenti expositis patet, non admodum facilem esse eorum structuram, ita ut omnibus liturgicis conditionibus fiat satis; eamque requirere religiosum studium et diligentem operam periti artificis, qui accommodare valeat styli et ornatus formam Ecclesiæ præscriptionibus, hasque primum et præcipue præ oculis habeat. Parochi seu Rectoris ecclesiæ munus erit, architectum hæc, ubi necesse fuerit, edocere, et ad disquisitionem ejus operæ magnam semper adhibere attentionem.

Ut omnibus debitis quoad artem et Liturgiam fiat satis, tum hac in re, tum generatim in omnibus quæ sacra ædificia eorumque supellectilem spectant, in Synodo Diœcesana, Mechliniæ habita 4 Maji 1892, promulgatum fuit Statutum, quod Parochi cujuscumque operis novi, vel instaurationis in suis ecclesiis, delineationes et descriptiones, necnon æstimationes transmittere debent ad Vicariatum, ut examinentur, et discutiantur a Concilio Diœcesano virorum sacræ Liturgiæ et regularum artis christianæ peritorum. (Cfr. Statuta Diœc. (editio anni 1899), n. 370 bis.)

ARTICULUS III

De Vasis sacris

Q. 156. *Quænam sunt Vasa sacra Eucharistica?*

R. Præter Calicem et Patenam, ad Sacrificium Missæ adhibita, de quibus dicitur in Tractatu de Celebratione SS. Missæ Sacrificii, Vasa sacra Eucharistica sunt: 1° ea in quibus SS. Eucharistiæ particulæ pro usu fidelium Eam suscipientium asservantur, quæque sunt

Ciborium pro quotidiano usu fidelium ad mensam Domini accedentium, vel Pyxis pro delatione ad infirmos, et parva Custodia pro delatione ad infirmos procul existentes ; — 2° ea quæ inserviunt pro expositione SS. Sacramenti adorationi fidelium, quæque sunt Ostensorium, in quo SS. Eucharistia exponitur, et custodia seu repositorium, in quo S. Hostia in Tabernaculo asservatur, ubi ipsum Ostensorium in Tabernaculo non includitur.

Q. 157. *Quænam sunt præscriptiones liturgicæ de Vasis sacris quæ inserviunt communioni fidelium ?*

R. 1° Quoad materiam. — Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium, 26 Julii 1588, statuit, quod « Sanctissimum teneri non debet in vasculis eburneis, sed in pyxide argentea intus deaurata. » Rituale Romanum præscribit solummodo, ut pyxis conficiatur « ex solida decentique materia. » Quamvis igitur lege Ritualis stannum aut cuprum deauratum non sit expresse prohibitum, sed ob paupertatem aliamve causam rationabilem possit adhiberi, aptior materia tamen est aurum aut argentum, quam solam permittunt Statuta nostra Diœcesana, ubi, n. 244, præscribitur ut Hostiæ « conserventur in pyxide argentea intus deaurata. »

2° Quoad formam. — Pes ut sit firmus latius pateat : nodus in medio sit decore ornatus, minimum tantum eminens, ut pyxis commode possit capi aut teneri. In fundi medio paululum aliquid habeat cuppa, quod in orbem tenuiter emineat, ad facilius capiendas ultimas particulas. Operculi forma respondeat formæ pyxidis et instar pyramidis exstet : in ejus summitate crux parvula, aut imago Christi crucifixi vel resurgentis infixa hæreat.

Parva Custodia pro delatione SS. Sacramenti ad infirmos, et Repositorium Hostiæ quæ exponitur ad adorationem, sæpius efformantur absque pede, quod nulli legi vel statuto contrarium est.

Sed pro Custodia, delationi SS. Sacramenti ad infirmos destinata, animadvertendum est, quod omnino non licet eam efformare eo modo, ut in ejus cooper-

culo, vel quovis alio modo, imponatur simul Vasculum Sacri Olei infirmorum.

3° **Quoad ornatum.** — Rituale præscribit ut pyxis « suo operculo bene clausa, albo velo cooperta » sit. Hoc parvum tentoriolum, in ecclesiis opulentioribus, si non ex tela aurea vel argentea, saltem ex serico auro et argento intexto, et fimbriis circumquaque ornato conficiatur.

4° **Quoad numerum.** — In ecclesiis parochialibus duæ debent esse Custodiæ, una major, dicta communiter **Ciborium**, pro communione fidelium in ecclesia ; altera minor, dicta **Pyxis**, pro delatione ad infirmos. Præterea habeatur parvum vasculum, seu parva Custodia, argentea intus deaurata, neque pede neque nodo ornata, amplitudinem 8 ctm., profunditatem 4 ctm. habens, firmo cooperculo bene clausa, et proprio velo cooperta : inservit pro delatione ad infirmos procul existentes. In casu longioris vel difficilioris itineris, hæc Custodia apte includitur in bursa serica, decenter ornata, albi coloris, quæ cordulas habeat e serico, collo sacerdotis decenter appendendas ; et fundum firmiter consutum, non quadratum sed rotundum, instar rosæ, ut Custodia immobilis in ea valeat quiescere.

5° **Quoad Benedictionem.** — Quia Ciborium, vel Pyxis, vel parva Custodia non inserviunt Sacrificio Missæ, non requiritur earumdem consecratio sacra unctione, sicuti Calicis, sed tantum benedicuntur ab Episcopo, vel alio facultatem habente, formula quæ inscribitur in Rituali et Missali, inter Benedictiones ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendas : « Benedictio Tabernaculi, seu vasculi pro Sacrosancta Eucharistia conservanda. » — Hæc facultas benedicendi Vasa sacra, quæ consecratione non indigent, conceditur in Diœcesi Mechliniensi Decanis in territorio districtus sui. (Cfr. Stat. diœc. n. 67). — Amittitur hæc Benedictio in iisdem casibus, in quibus Calix vel Patena amittunt suam consecrationem. (Cfr. Tractatus de Celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 59.)

6° **Quoad nitorem.** — « Vasa sacra quæ continendæ SS. Eucharistiæ inserviunt, quotannis semel ad minus mundentur intrinsecus et extrinsecus, et suo splendori

restituantur. Si interius aurum amiserint, denuo inaurentur. » (Stat. diœc. n. 372).

7° **Quoad asservationem.** — « In sacristia res quæque locum suum habeat ; vasa sacra et argentea supellex sic recondantur, ut præcaveantur furta sacrilega. » (Stat. diœc. n. 375.) Et ad præcavenda furta, abhinc aliquo tempore a sacrilegis hominibus patrata, qui nocte præsertim templa spoliant, sacra quæque profanantes, mandatum fuit Parochis, ut tum de die, tum noctis tempore debitæ cautiones contra fures adhibeantur. Vasa igitur sacra, et quæque pretiosa Ecclesiæ objecta recondantur in sacristia, vel alio loco tuto, et recludantur in armario, seu scrinio ferreo (coffre-fort) ibidem posito, et potius ipsi parieti firmiter adhærente. (Cfr. Q. 154, V.)

Q. 158. *Quis est usus Ostensorii, et a quo tempore fuit introductum ?*

R. Ostensorium, quod et dicitur Monstrantia, Tabernaculum parvum, Sphæra, Turris, Arca Sanctissimi, sic nominatur ab eo quod in illo vase ostendatur, vel monstretur populo, sub specie Hostiæ majoris, SS. Eucharistia, quotiescumque publice exponitur, vel in solemni Processione defertur.

Ante Urbani IV tempora, SS. Sacramentum recondebatur in custodiis seu capsulis undique clausis, etiam cum educeretur, vel in Altari exponendum, vel in Processione circumferendum. Ævo autem Urbani IV, quo instituta fuit solemnitas SS. Corporis Christi (1264), paulatim cœpit detectum exponi SS. Sacramentum, et invecta fuerunt, ut religioni et pietati magis consona, vasa monstratoria seu monstrantia, mediis crystallis sacram Hostiam intuentibus exhibentia. — Antiquitus Ostensorium construebatur ad modum turris, seu vasis sexanguli vel octanguli, per cujus tres vel quatuor facies, crystallo munitas, S. Hostia aspici poterat : mox in usu venit crystallinum vas cylindricum, undique per gyrum columellis circumdatum, cum superposita turri in pyramidis forma. Recentius immutata fuit hæc forma in formam sphæræ complanatæ, duplici crystallo ante et retro munitæ, suis radiis

ad similitudinem solis in signum gloriæ circumfulgentis, et pedi oblongo innixæ; quam formam indicare videtur Instructio Clementina pro Oratione XL Horarum (§ V). Hæc forma ideo fuit introducta, quia monstrantia Illum Dominum nobis exhibet, Cujus facies in transfiguratione resplenduit sicut sol (Matth. XVII, 2), Quique in sole posuit tabernaculum suum (Ps. XVIII, 6).

Q. 159. *Quid liturgice notandum est de Ostensorio ?*

R. 1° **Quoad materiam.** — Lunula sit ex auro, vel ex argento deaurato. Ipsum Ostensorium sit regulariter ex eadem materia ; attamen, cum Sacram Hostiam non immediate attingat, nihil obstat ut ob ecclesiæ inopiam ex cupro confectum esse possit.

2° **Quoad diversas suas partes.** — a) In medio Ostensorii sit crystallum, seu vitrum lucidissimum, ex omni parte clausum, ut revera sit Custodia, impediens ne tangatur Sacra Hostia, neve decidat ; crystallum erit vel cylindricum, si antiquior turris figura præfertur, vel ab ante et retro complanatum, ubi forma sphæræ radiis circumdatæ deligitur ; magnum satis et amplum sit ut Hostiam majorem apte, et quin undelibet eam attingat, continere valeat.

b) In medio cylindri, vel inter crystalla complanata sphæræ, emineat lunula ; quo nomine vocantur duæ laminæ orbiculares, aureæ, vel argenteæ omnino inauratæ, magnæ satis quæ possint capere Hostiam majorem ; ex una parte fibula conjunctæ, ita ut lunula cum opus fuerit possit aperiri, et S. Hostia inter laminas firmiter reponi, ac facilius possint particulæ, si quæ ex S. Hostia remansissent, colligi.

Notandum est, S. Rituum Congregationem rescripsisse « non decere sacras species inter vitreas laminas includere, quarum superficies illas immediate tangant. » (Decr. 4 Februarii 1871, n. antiq. 5469, ad 4.) Et Decreto 14 Januarii 1898, eadem S. Congregatio rescripsit, licitam esse praxim recondendi Sacram Hostiam intra duo crystalla apte cohærentia, « dummodo Sacra Hostia in dictis crystallis bene sit clausa, atque crystalla non tangat. » Ad hoc igitur bene attendendum est.

Non apta item est lunula confecta ex duabus laminis ad formam lunæ crescentis, et fixis ita ut separari non valeant: etenim particulæ quæ forte ex inserta S. Hostia inter laminas decident non, aut difficulter tantum possent colligi.

c) Hæc lunula sustentaculo firmiter sit Ostensorio infixa, amotilis tamen; et fundus ipsius Ostensorii, cui lunula infixa nititur, aureus vel argenteus deauratus sit, totusque ita constructus, ut si quæ particula ex S. Hostia cadat, facile conspici et commode inde colligi valeat.

d) Requirunt ecclesiasticæ leges, ut crux visibilis in summitate Ostensorii apponatur. (S. Rituum Congregatio, Decret. 11 Septembris 1847, n. 2957, antiq. 5112.) Imago Christi resurgentis, aut sacra vulnera exhibentis, potest etiam apponi. (S. Carolus, *Instructiones supellectilis ecclesiasticæ*, Lib. II, Pars II, Tit. *de Tabernaculo parvo SS. Eucharistiæ.*

Nota. Non raro in Ostensoriis, quæ turris formam exhibent, conspiciuntur imagines, non tantum Christi Domini, quas impune posse apponi a S. Carolo didicimus, sed et aliorum Sanctorum; quod et retroactis sæculis factitatum inde forsan obtinet, quia sæpius pro Ostensoriis assumpta fuerunt, paucis mutatis, vasa monstrantia sacrarum Reliquiarum, quorum Reliquiis præclare ad ornatum adjunctæ erant statuæ seu imagines Sanctorum. Hujusmodi imagines in Ostensorio, SS. Eucharistiæ monstrandæ inserviente, admittere, nonnulli auctores saltem minus rite factum animadvertunt. Esto apponantur ab utraque parte simulacra angelorum adorantium, quæ et in Altari expositionis Ecclesia admittit; sed, cum Christi Domini tantum imaginem S. Carolus designet, cum inprimis prohibeat Ecclesia in Altari expositionis, ad ornatum inter candelabra aut alias, reponi Reliquias et imagines Sanctorum, ut patet ex Decretis, et Instructione Clementina, a fortiori hujusmodi imagines in Ostensorio SS. Eucharistiæ haud admittenda esse existimant; eo vel magis quod aliquando imago Sancti Sacræ Hostiæ, loco quem Christi imago jure occuparet, superposita, sub throni specie quam turris fastigium efformat, vi-

deatur surripere honorem soli SS. Eucharistiæ hic debitum, quod vitio saltem affine nemo non judicabit.

3° **Quoad Benedictionem.** — Lunula debet benedici ab Episcopo, vel a Sacerdote facultatem habente : adhibetur formula quæ reperitur in Rituali Romano (Tit. VIII, Cap. 23), inscripta : « Benedictio Tabernaculi, seu Vasculi pro Sacrosancta Eucharistia conservanda. » Ipsum Ostensorium non debet benedici, tamen laudabiliter etiam benedicitur, vel eadem Benedictione qua lunula, vel speciali quæ in Appendice Ritualis inter reservatas describitur sub titulo : « Benedictio Ostensorii pro SS. Sacramento fidelium venerationi exponendo. »

(Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœc. Mechlin., anni 1886 ; ex S. Liturg. Q. IV.)

Q. 160. *An Ostensorium potest reponi in Tabernaculo ? Quid notandum est de Repositorio ?*

R. I. Rubricæ nullibi expresse prohibent Ostensorium reponere in Tabernaculo. Cum autem Ostensorium sit instrumentum tantum ad ostendendam SS. Eucharistiam destinatum, non vero vas ad eam asservandam, hinc nonnullis placet, saltem ut convenientius, majorem Hostiam expositioni destinatam asservare in Custodia speciali, quæ etiam vocatur **Repositorium**, et quæ in Tabernaculo reponitur ; ipsum vero Ostensorium tantum ad suum proprium usum adhibere, pro ostendenda SS. Eucharistia fidelibus. Inter auctores recentiores, Martinucci constanter ut regulam tenet, Ostensorium in Tabernaculo non reponi.

Si autem ipsum Ostensorium reponitur in Tabernaculo, sequitur esse tegendum velo albo serico.

Item jubetur ut Ostensorium albo tegatur velo, cum ante expositionem defertur ad Altare, eaque terminata ab Altari refertur, quod velum non removetur nisi cum in Ostensorio Sacra Hostia reponitur.

II. Sicut reliqua vasa ad custodiendam SS. Eucharistiam destinata, **Repositorium** argenteum sit oportet, et intus inauratum, formæ orbicularis, ita ut magna Hostia in lunula inserta commode capiatur ; in ejus operculi medio crux emineat.

Recenter S. Rituum Congregatio rescripsit (Decreto 14 Januarii 1898), licitam esse praxim reponendi in Tabernaculo, absque ulla capsa seu Custodia, Sacram Hostiam reconditam inter duo crystalla apte cohærentia, dummodo in dictis crystallis bene sit clausa (cfr. Q. 159, 2°, b) ; ipsa crystalla bene clausa in casu quasi Repositorium constituunt.

Q. 161. *Quibus licet sacra vasa prædicta tangere ?*

R. Vasa sacra quæ, licet etiam sint tantum benedicta, immediate tangunt SS. Sacramentum, ut sunt ciborium, pyxis, custodia, lunula Ostensorii, post usum nuda manu tangere licet Sacerdoti, Diacono, Subdiacono ; consuetudo tolerata in quibusdam regionibus pro Clericis in minoribus ordinibus constitutis apud nos non existit. Ostensorium, quod sacras species immediate non attingit, post usum etiam laicis liceret tangere ; verum cum sacræ particulæ in Ostensorium facile decidere possunt, valde conveniens est, ut laici ab illius tactu abstineant.

Vas quodcumque SS. Eucharistiam actu continens attingere non licet, nisi Sacerdoti, aut Diacono ; et quidem saltem superpelliceo stolaque induto, et accensis duobus cereis.

ARTICULUS IV

De lumine requisito coram Tabernaculo

Q. 162. *Quid de lumine coram Tabernaculo præscribunt Rubricæ ?*

R. Rituale statuit ut « lampades coram eo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceat. » Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XII, n. 17) requirit ut lampades numero impari in ecclesiis adsint ; et speciatim pro Altare ubi asservatur SS. Sacramentum, ut, majoris decoris venerationisque gratia, ad minus tres accensæ tota die adsint. De eis insuper Statuta nostræ Diœcesis (n. 247) præscribunt : « Has (lampades) numero tamen impares, si (plures) adhibeantur, ante Altare, vel hanc (unam) ante medium

ipsius Altaris ubi Sanctissimum quiescit, suspendi volumus, non autem poni a latere aut in angulo. »

Rescripsit tamen S. Rituum Congregatio, lampadem sustentari licere brachio, ex metallo, parieti infixo, ad similitudinem cornucopiæ, dummodo intra et ante Altare continuo ardeat. (Decret. 2 Junii 1883, n. antiq. 5874, ad IV.)

Debent lampades suspendi intra sanctuarium, in ea distantia ab Altari ante Altare, ut ipsæ Sacerdotes accedentes et recedentes non impediant.

Q. 163. *Quare lampades collucentes coram Tabernaculo requiruntur ?*

R. Earum lumen tam ad cultum quam ad ornatum est ; tum ut fidelibus Deum præsentem annuntient, tum propter reverentiam, ut, hominibus recedentibus, cultus aliquam et amoris professionem exhibere pergant. — Mysticus autem sensus est, ad demonstrandum signum lætitiæ, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Evangelio legitur : « Erat lux vera quæ illuminat. »

Tanta hæc obligatio est, ut ex sententia plurium auctorum graviter peccet Parochus, cujus negligentia per integram diem, vel aliquot integras noctes lumen non ardeat. (S. Alphonsus, *Theologia moralis*, Lib. VI, n. 248.) Parocho vel Rectori Ecclesiæ incumbit munus obligationi huic prospiciendi et invigilandi.

Q. 164. *Quo oleo utendum est pro his lampadibus ?*

R. Per sententiam datam 9 Julii 1864 (Decret. n. 3121, antiq. 5331), quam 14 sequenti ratam habuit et confirmavit Pius IX, S. Rituum Congregatio « semper sollicita, ut etiam in hac parte, quod usque ab Ecclesiæ primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas significationes retineatur, » (oliva enim, symbolum pacis, Christum pacis regem figurat) ; rescribendum censuit : « generatim utendum esse oleo olivarum ; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiæ Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit vegetalibus. » — Sequentia autem ea de re habent Statuta Diœcesis Mechliniensis (n. 247) : « Attenta olei olivarum caritate, permittimus,

ut lampades, quæ diu noctuque coram SS. Sacramento ardere debent, nutriantur ex oleis vegetalibus, quæ extrahuntur ex semine papaveris, lini, vel plantarum quæ latine *brassicæ*, flandrice *slooren*, *koolen*, *rapen*, gallice *colza*, *choux*, *navettes*, etc. vocantur. Petroleum vero aut aliud oleum minerale non adhibeatur sine speciali licentia nostra. »

CAPUT II

DE RENOVATIONE SPECIERUM, ET DE PURIFICATIONE SACRORUM VASORUM

Q. 165. *Quoties renovandæ sunt SS. Eucharistiæ particulæ ?*

R. Particulæ consecratæ toties renoventur, quoties pro locorum conditione necessarium est, ut omne corruptionis periculum sollicite avertatur.

Rituale Romanum præcipit (Tit. IV, Cap. 1, n. 7), ut renoventur **frequenter,** sed tempus intra quod renovandæ sunt non declarat; verum quod generice tantum innuit hæc rubrica, nec satis clare præcipit, aliis ex fontibus singulariter et clare desumitur : infinita etenim propemodum afferuntur apud auctores testimonia, ex aliis libris liturgicis, ex Apostolicis Constitutionibus, ex SS. Congregationum Decretis, ex Conciliorum et Synodorum statutis, quibus comprobatur constantem esse disciplinam Ecclesiarum, renovandi sacras particulas semel in hebdomada, vel saltem ad summum de quindecim in quindecim dies.

Ita Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. VI, n. 2) præcipit, ut « Sacrosancta Eucharistia saltem semel in hebdomada mutetur et renovetur. » — S. Congregatio Concilii Tridentini, 5 Aprilis 1573, decrevit quod « renovatio SS. Sacramenti debet fieri qualibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies. » Et eadem S. Congregatio Concilii Statutum III Concilii provincialis Mechliniensis, anni 1607, « ut singulis *mensibus* aut circiter, vel si loci humiditas requirat, etiam sæpius species Sacramentales renoventur, » mutavit, disposuitque « ut singulis *hebdomadibus* aut circiter, vel... etiam sæpius species Sacramentales renoventur. »

Ex quibus allatis stabilitur, terminum octo dierum esse normam, et universalem disciplinam, pro renovatione sacrarum specierum. Ejus observantiam tamen non ita urget S. Sedes, ut numquam ab ea flectat : « Quod si (ait Gardellini, in Nota ad Decretum 16 Decembris 1826, n. 2650, antiq. 4623) ad quindecim dies protrahatur renovatio, non id reprobandum, culpæque vertendum, quia hoc intra breve tempus haud formido quod sacræ species corrumpantur. » Et S. Congregatio Concilii, quæ reprobavit statutum terminum unius mensis in III Concilio provinciali Mechliniensi, his ultimis annis approbavit statutum terminum quindecim dierum, e. g. in Concilio provinciali Pragensi, anni 1860. — Hic tamen quindenæ terminus tantum conceditur, sepositis particularibus circumstantiis, quæ frequentiorem renovationem possunt requirere ; quales indicantur : tempus per plures dies pluviosum, Tabernaculum totum marmoreum, aut parieti ecclesiæ adhærens ; in quibus circumstantiis facilius humiditas gignitur, aerque Tabernaculi corrumpitur, qui corruptus aer deterius agit in panem Eucharisticum.

Hic addi potest quod omnes auctores conveniunt, eum non videri immunem a periculo gravis irreverentiæ, qui ultra mensem renovationem differret. Neque possunt rectores ecclesiarum persistere in retinenda quadam consuetudine enuntiatis regulis contraria ; nam, ut ait Gardellini (loco supra citato), « istiusmodi consuetudo tantum abest ut dici possit rationabilis et laudabilis, quinimo potius ut detestabilis corruptela habenda est, ac proinde omnino reprobanda et damnanda, etiamsi longissimi temporis observantiam ostentaret. »

Sedulo igitur servetur pro hac renovatione sapiens regula in Statutis nostris Diœcesanis præscripta (n. 244) : « Octava quaque die, maxime ubi loci vel aeris humiditas id requirit, aut saltem singulis quindenis substituantur hostiæ novæ, ipsa Pyxide prius debite purificata ; atque idem de hostia Ostensorii dictum esto. » Idque fiat, non tantum ad evitandum corruptionem materiæ, sed etiam ut tanto Sacramento dignus honor servetur.

Q. 166. *Quales debent esse hostiæ consecrandæ ?*

R. Qualitates hostiarum recenset sequens præscriptum in Statutis Diœcesis (n. 243) : « Inprimis sollicitudinem non levem gerant parochi, aliique rectores ecclesiarum et sacellorum, ut nonnisi certa et pura materia ad conficiendum Sacramentum Eucharistiæ adhibeatur. Sit itaque panis ex farina triticea, absque ulla alterius rei admixtione. Hostiæ consecrandæ sint integræ, mundæ, recenter confectæ, non nimis minutæ, nec tenuiores. »

Ex præscriptis qualitatibus, sequentes aliquantum explicantur :

1° Sint **integræ, non nimis minutæ, nec tenuiores.** — Antiquitus consecrabatur non tenuis hostia, ut in præsenti, sed integer panis tam magnus, ut ex eo, post Consecrationem in particulas fracto, omnes ad mensam Domini accedentes possent communicare. Labente sæculo XI, ne per dictam fractionem vel minima mica ex tanto Sacramento deperiret, confici cœperunt hostiæ pro populi communione destinatæ, ad hodiernam formam rotundam. Licet autem parvæ istæ hostiæ integræ consecrentur,et singulis integræ porrigantur,ex antiqua tamen illa frangendi consuetudine **particularum** nomen retinuerunt. — Magnitudo hostiarum nulla lege generali determinatur. Romæ diametrum hostiæ attingit 8 centimetra, particularum vero 3 1/2 centimetra. Ut norma assignatur ab auctoribus mensura diametri 7 centimetrorum pro hostia, et 3 centimetrorum pro particulis. (Nouvelle Revue théologique, II, 1870, pag. 157 ; et V, 1873, pag. 151.) — Hostiæ tenues esse debent ; sed æquo tenuiores ne sint oportet, quales sunt quæ magis chartæ quam panis particulæ similes sunt.

2° Sint **recenter confectæ.** — Etenim finis frequentis renovationis tantum attingi potest, cum Ritualis ulterior præscriptio (Tit. IV, Cap. 1, n. 7) servatur, scilicet ut *hostiæ seu particulæ consecrandæ sint* **recentes**. Quænam vero hostiæ tamquam **recentes** haberi debeant, nulla lege generali determinatur. Unicum datur hac de re Decretum S. Rituum Congregationis (16 Decembris 1826, n. 2650, antiq. 4623), sequentis tenoris : « Rector Ecclesiæ reperit in Ecclesia sua consuetudinem reno-

vandi panem pro Sacrificio Missæ, et communione fidelium, singulis tribus mensibus tempore hyemis, tempore vero æstivo solitum confici pro sex mensibus; hinc quæritur : 1. An, attenta consuetudine, Rector licite consecrare possit specie a tribus mensibus tempore hyemis, vel a sex mensibus in æstate confecta ? — 2. An casu quo Rector, sive Pastor Ecclesiæ praxim illam approbet, nec velit eam relinquere, alii Sacerdotes in eadem Ecclesia inservientes possint tuta conscientia in hoc Pastori obsecundare, utendo præfatis speciebus ? » — Et eadem S. Rituum Congregatio respondendum esse censuit : « Ad 1. Negative, et eliminata consuetudine, servetur Rubrica. — Ad 2. Negative. » Hæc S. Rituum Congregationis responsio negativa tantum est, ex qua nemo recte inducet declarari terminum, intra quem recentes dici poterunt species consecrandæ.

Positivum statutum datur in Ordinatione S. Caroli Borromæi, in IV Synodo Mediolanensi, ubi dicit : « Octavo quoque die renovetur Eucharistia, et quidem ex hostiis non ante viginti dies ad summum confectis. » — Romæ, ubi octidua renovatio præscribitur, duo tantum admittuntur pro 400 Urbis Ecclesiis hostiarum pistores, qui coram Cardinali Urbis Vicario juramentum præstare debent, quod numquam vendent hostias ante quindecim dies confectas. — Insuper patet, quod si SS. Hostiæ frequenter, idest singulis saltem quindenis sint renovandæ, novæ consecrandæ respectu ad consecratas debeant esse his recentiores, itaque ad summum intra quindenam confectæ. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechlin., anni 1869, ex Liturgia Q. V.)

Parochorum et rectorum ecclesiarum sollicitudo hac in re stimulata fuit sequenti monito ad clerum dato, die 30 Junii 1882 :

« Juxta NN. 243 et 244 Statutorum Diœcesis, maxima habenda est cura, ut nonnisi certa et pura materia adhibeatur ad conficiendum SSmum Eucharistiæ Sacramentum, et ut hostiæ consecratæ debito tempore renoventur. Ex iis porro quæ Nobis referuntur, liquet a RR. DD. parochis aliisque ecclesiarum rectoribus nimiam non posse adhiberi cautelam, ut sibi de pane

vere et pure triticeo, ac genuino vino de vite, ad Sacrificium prospiciant. Omnium igitur sollicitudinem atque vigilantiam hac in re stimulandam duximus. »

« Sed insuper caveatur, ne hostiæ, sive majores, sive minores, etsi ex debita materia confectæ, emantur quando jam diu coctæ sunt, ut in vanum non cedat præscriptio de earum renovatione facienda. Fertur enim existere hostiarum mercatores, qui eas, jam diu confectas, magno numero servant, et post plures hebdomadas, imo menses, ecclesiarum rectoribus vendere audent. Sufficiet ejusmodi abusum indicasse, ut omnes ad quos spectat eum prævenire satagant. »

Iterum seriæ cleri vigilantiæ res commendata fuit in Congregatione Archipresbyterorum Diœcesis, habita 23 Aprilis 1893.

Q. 167. *Quæ dantur motiva hujus obligationis frequenter renovandi sacras species, recentesque hostias consecrandi?*

R. 1° **Periculum corruptionis.** — Quilibet panis, ait Gardellini (loco in præcedenti Quæstione citato), vel fermentatus sit, vel azimus, corruptioni obnoxius est, si diuturno tempore reservetur ; præsertim vero si in arca, vel alia custodia obseratus retineatur. Et quamvis fermentatus magis ac citius, quam azimus ad corruptionem pergat, nihilominus azimus etiam alterationem patitur; et quidem difficilius in azimo cœpta corruptio ex visus sensu cognosci potest. Quapropter, ne servatæ particulæ cœpta jam, sed non visu cognita corruptione adhibeantur, easdem frequenter renovari necesse est. Quo enim difficilius corruptio solo intuitu cognosci potest, cum non alteretur color neque externa superficies, eo major adhibenda cautela est ne id contingat; neque exspectandum quod certo de corruptionis periculo constet, sed periculum prævenire oportet.

Refertur a nonnullis auctoribus opinio clarissimi chimiæ periti Liebig, juxta quam conservationis substantiæ panis in hostiis, etiam cum ab humiditate diligentissime servantur, post terminum sex hebdomadum certitudo non amplius datur. (Cfr. Münster Pastoralblatt, VI, 1868, p. 30.) Patet igitur, quam merito præscriptiones, in præcedentibus responsis relatæ, justificentur, cum statuunt terminum quatuor hebdoma-

darum inde a confectione hostiarum usque ad earum sumptionem.

2° **Gravitas sequelarum hujusmodi corruptionis.** — Agitur enim de Eucharistia ; quæ, si panis sit corruptus, **non conficitur** (Missale Romanum, Tit. De defectibus, III, 1) ; quæ tantum remanet, **manentibus dumtaxat speciebus** (Concilium Tridentinum, Sess. 13, Can. 2), et igitur adesse cessat sub speciebus quæ corruptionem subierint. — Deinde gravi reatui obnoxius redditur negligens hæc mandata. Etenim « si (panis) cœperit corrumpi, sed non sit corruptus, conficitur (Sacramentum), sed conficiens **graviter peccat** » (Missale Romanum, loco citato, III, 3). Eadem militat ratio ut idem jure dicatur de Sacerdote, qui sua culpa Hostiam consecratam usque ad cœptam corruptionem servaret. — Quæ graves sequelæ cum spectent honorem et reverentiam SS. Sacramenti, diligentissime curandum est, non solum ut periculum corruptionis non immineat, neque forte adsit, sed e contra quam longissime remotum teneatur.

Q. 168. *Quæ notanda sunt de Pyxide, in qua substituuntur hostiæ novæ consecrandæ ?*

R. Rituale præscribit (Tit. IV, Cap. 1, n. 7), ut Sacerdos, ubi novas hostias consecravit, « veteres primo distribuat vel sumat. » Inde deducitur regula, quam præscribunt Statuta nostra Diœcesana (n. 244), ut « Hostiæ novæ cum veteribus non commisceantur, » sed reponantur in « Pyxide prius debite purificata. »

Pyxis itaque purificari debet, quoties sacræ species renovantur, et antequam noviter consecratæ particulæ in eam reponantur ; ne veteribus commisceantur noviter consecratæ, et ne fragmenta diutius quam liceat possint in Pyxide remanere. Sumptio particularum quæ supersunt, et Pyxidis purificatio fieri debent intra Missam, post sumptionem S. Sanguinis.

(Modus purificandi vasa sacra describitur in Tractatu de Celebratione Missæ, Lib. II, Append. II, Art. II.)

Notant quidam auctores convenire, ut postquam vas sacrum fuerit exsiccatum purificatorio, istud inverso modo plicetur, nec amplius adhibeatur donec fuerit lotum.

SECTIO II

De cultu SS. Eucharistiae Sacramenti

Q. 169. *Quibus modis præsertim SS. Eucharistiæ cultum exhibet Ecclesia Catholica ?*

R. Cultus, qui latriæ est, a fidelibus, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, exhibetur præcipue sequentibus modis :

1° **Visitatione** et **Adoratione,** præsertim vero **pia et frequenti Communione**, signanter **Communione reparatrice,** quæ fit ad injurias divinæ Majestati in hoc tremendo Sacramento illatas aliqua ratione reparandas.

2° Pie et religiose in Dei Ecclesia inductus fuit mos, ut singulis in annis **peculiari Festo** præcelsum Sacramentum celebretur, utque **Processionibus** honorifice illud per vias et loca publica circumferatur. Æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, quibus Christiani omnes, singulari ac rara quadam significatione, gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem, pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentetur. (Concilium Tridentinum, Sess. 13, Cap. 5, 6.) De Processione SS. Sacramenti dicetur in parte altera hujus Tractatus, Titulo IX.

3° Ad hunc cultum latriæ præstandum ut subministraretur occasio et vividius incitamentum, **publice et solemniter** SS. Eucharistia in templis **exponi** cœpit. Eam disciplinam auctores inductam testantur, statim ac SS. Christi Corpus solemni pompa circumferri cœpit, quod ad Urbani IV Pontificis († 1264) tempora primo est referendum. Quem morem dum universa servat Ecclesia, præsertim frequentant regiones, ut nostra patria, in quibus sæculo XVI hæreses exortæ aut inductæ fuerunt, in signum protestationis contra insurgentium hæresium blasphemias; et ut tanto manifestius coleretur, et adoraretur apertius Deus specie Sacramenti velatus, quanto acerbius impugnabatur ipsius Sacramenti veritas.

4° Ad fovendam devotionem erga Christum Domi-

num, in Sacramento nobiscum manentem, instituta sunt **Confraternitas SS. Sacramenti,** et **Sodalitium perpetuæ Adorationis.** De his dicitur in Statutis nostræ Diœcesis (n. 395) : « Inter multiformes Confraternitates, in hac nostra Diœcesi florentes, dignitate ceteras præcedunt Confraternitates SS. Sacramenti, et Adorationis perpetuæ. Hujusce autem posterioris statuta, auctoritate Emi Decessoris nostri promulgata, in omnibus parochiis religiose observari volumus. » (Cfr. Benedictus XIV, *Institutiones Ecclesiasticæ*, XXX ; Gardellini, *Commentaria ad Instructionem Clementinam*, passim ; Müller, *Theologia moralis*, L. III, Tr. II, § 103.)

In præsenti Sectione II dicendum speciatim est de ritu Adorationis SS. Sacramenti in ejus Expositione.

CAPUT I

DE VARIIS EXPOSITIONIBUS SS. SACRAMENTI

Q. 170. *Quotuplex distinguitur Expositio SS. Sacramenti ?*

R. Expositio SS. Sacramenti duplex distinguitur : **publica,** quæ fit cum Ostensorio detecto, et in throno exposito ; et **privata,** in qua, aperto Tabernaculi ostiolo, sacra Pyxis suo operta velo populi oculis proponitur. Publica Expositio distinguitur **solemnissima,** quæ fit in Oratione XL Horarum, vel in Adoratione perpetua, vel tempore bacchanalium, vel in aliis extraordinariis occasionibus ; et **minus solemnis,** quæ ad breve tempus fit, vel statis diebus, vel in implementum piarum fundationum. vel in Sanctorum natalitiis aliisque festivis diebus, vel in novendialibus precibus aut triduanis peragendis, vel generatim in iis ecclesiasticis functionibus quæ apud nos Laudes vespertinæ (Salut, Lof) vocantur.

Q. 171. *Num expedit SS. Sacramentum frequenter, an raro exponere ?*

R. Quæstio hæc est, ait Gardellini (*Commentaria ad Instructionem Clementinam*, § 36, n. 4), quæ adhuc pen-

det indecisa. Auctores quidam frequentiam expositionis laudant, quod populum abstrahat a malo, ad virtutum actus excitet, et templis ipsis majorem conciliet venerationem. — Contra vero alii magis convenire existimant quod raro fiat, quia ex frequentiori Sacrosancta Mysteria vilescunt, et imminuitur Christianæ plebis devotio. — Benedictus XIV (*Institutiones Ecclesiasticæ*, XXX, n. 5, 6, 7, 8) relatis auctorum sententiis, a suo abstinet promendo sensu, inquiens : « Nos sane hoc negotio implicari nolumus, quo pars utraque nihil aliud contendit, nisi ut cultus Eucharistiæ debitus augeatur.» Postea tamen (in Constitutione *Accepimus*) videtur potius adhærere sententiæ, quæ frequentiam non improbat, dummodo cum debita reverentia decenter fiat, quod curare Episcoporum est. — Hoc enim certum est, non licere, nisi decentiæ satis consultum sit. Nam, ut dicit Albergati, Sedis Apostolicæ Nuntius in Belgio, multo melius est, ut non ita frequenter exponatur, et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius, et sine debito obsequio, et reverentiæ significatione id fiat. (Apud Benedictum XIV, loco citato.)

Dummodo igitur omne absit irreverentiæ periculum, et Ordinarii locorum sedulo invigilent, nec permittant Sacramentum publicæ venerationi exponi, nisi id fiat cum debito obsequio, et reverentiæ significatione, præsens Ecclesiæ disciplina non videtur aliena a frequenti expositione indulgenda. — S. Alphonsus (*Theologia moralis*, Lib. VI, n. 424) dicit, spectandum esse an in illis locis, in quibus fit expositio, devotio et cultus Sacramenti augeatur vel minuatur, et juxta hanc regulam expositionem esse faciendam vel omittendam. — In plurimis Diœcesibus, a tempore reformationis, valde frequens est SS. Sacramenti expositio, non solum ex consuetudine, sed etiam ex Diœcesium Statutis ; qua in re proprio motu aliquid innovare Sacerdoti non licet. Si vero expositiones sine adorantium frequentia fierent, Parochus desuper certiorem reddat Ordinarium, ut si alio modo non possit cultui necessario SS. Sacramenti provideri, expositiones vel minuantur vel abbrevientur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 154, et sqq.)

Q. 172. *Quid de licentia publice exponendi SS. Eucharistiam præscribunt Statuta nostra Diœcesana ?*

R. Quia pro publica Expositione requiritur causa publica, et Episcopi licentia, cum solius Ordinarii partes sint causæ publicæ meritum expendere et declarare, ut ait Benedictus XIV (in Constitutione *Accepimus*), sequentia præscribunt Statuta (n. 333) : « Archiepiscopi mandatum, vel assensus requiritur... ut Sanctissima Eucharistia publice adoranda exponatur, exceptis casibus, quos Rubricæ, vel Decreta Apostolica determinant. Excipimus quoque eas Expositiones, quæ, ex Prædecessorum nostrorum concessione, in hac Diœcesi usu receptæ sunt. »

Q. 173. *An pro publica Expositione Pyxis exponi potest?*

R. Pyxidem extra Tabernaculum efferre, et collocare in Throno sub umbella, quemadmodum fit dum Sacramentum exponitur in Ostensorio, vetitum est, etiam in Expositionibus minus solemnibus ; quia admissis ritibus et Decretis, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudinibus hoc repugnat, et nullum hujusmodi ritus vestigium apud probatos auctores deprehenditur. Ideo S. Rituum Congregatio, pluries rogata, an consuetudo hujusmodi possit licite observari, semper rescripsit non esse collocandam in Throno sacram Pyxidem, contraria consuetudine non obstante. Sufficiat unicum recens Decretum citare (16 Martii 1876, n. antiq. 5657, ad 1).: Ad dubium : « Estne toleranda praxis extrahendi e Tabernaculo sacram Pyxidem, eamque velatam sub umbella collocandi, populo benedicendi gratia ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Detur Instructio edita a s. m. Benedicto Pp. XIV, hoc est : Eucharistiæ Tabernaculum solum aperiatur, et sacra Pyxis clausa, suoque velamine obtecta, populi oculis objiciatur... Verum penitus interdicitur sacram Pyxidem... extra Tabernaculum efferri, ac velatam sub umbella collocari, cum nullum hujus ritus vestigium apud scriptores, nullaque Sedis Apostolicæ consuetudo deprehendatur, quam sequi omnino debemus. »

Q. 174. *Quæ Expositio dicitur privata, et quid de ea no-*

tandum est? Quid dicendum est de Benedictione data cum Pyxide? Quid pro ea observandum est?

R. I. Expositio privata talis est pro qua SS. Eucharistiæ Tabernaculum solum aperitur, et sacra Pyxis clausa suoque velamine obducta, quin e Tabernaculo efferatur, populi oculis subjicitur.

De ea notari possunt sequentia :

1° Nullæ sunt ecclesiasticæ leges, quæ pro hujusmodi privata Expositione publicam causam, aut facultatem Episcopi requirunt; sufficit causa privata, e. g. ingruens tempestas, privata familiæ necessitas, alicujus ægritudo levanda, desiderium religiosi cujusdam viri, etc.; et res tota relinquitur judicio rectoris ecclesiæ. (Benedictus XIV, *Institutiones Ecclesiasticæ*, XXX, n. 16.)

Attamen hodiedum non ita facile quæcumque causa admittenda censetur : etenim, Sacerdotem posse, pro sua privata devotione, sacrum Tabernaculum aperire pro Sacramenti adoratione, preces ad libitum fundere, ac dein illud claudere; quod licitum evulgaverat aliqua Ephemeris, nomine et auctoritate Sacri Tribunalis Rituum declaratum fuit falsum, et illegitime e Decretis illatum ; quia Expositio privata differt a solemni, quod illa fit cum Pyxide, ista cum Ostensorio ; sed utraque instituta est ad bonum publicum, et nullo pacto privatæ personæ. (Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 709.)

2° Hujusmodi Expositio privata, qualis in responso definitur, apud nos in usu non est.

II. De Benedictione cum Pyxide populo danda sequentia animadvertenda sunt ;

a) Benedictionis hujusmodi in Libris Liturgicis unicum reperitur exemplum ; scilicet in Communione Infirmorum, ubi Sacerdos cum Pyxide velo cooperta facit signum Crucis, tum super infirmum, in fine functionis apud ipsum ; tum super populum, in fine functionis in Ecclesia. (Rituale Romanum, Tit. IV, Cap. 4, nn. 20, 23.)

b) Auctores generatim, innixi pluribus Decretis S. Congregationis Concilii et S. Congregationis Rituum, docuerunt in aliis functionibus Benedictionem cum Pyxide per se numquam dari posse, nisi forsan Episco-

pus, ob consuetudinem existentem, facultatem concesserit. Attamen hæc sententia, quæ antea jure sustineri poterat, in præsenti disciplina sustineri amplius nequit, utpote satis severa, et minus veritati conformis.

c) Plura jam referuntur Decreta S. Congregationis Rituum, quæ hujusmodi Benedictionem cum Pyxide permittunt.

1. Hujusmodi Expositionem privatam, cum Benedictione, indulgere dignatus est Leo XIII, pro exercitiis piis quæ mense Octobris quotannis peraguntur, per modum exceptionis, et prudenti judicio Ordinarii præhabito, in ecclesiis pauperioribus in quibus Expositio solemnis per Ostensorium, ob earum paupertatem, fieri haud valet. Etenim cum S. Rituum Congregationi dubium fuisset propositum, an in casu sufficeret privata Expositio, et posset extrahi e Tabernaculo Pyxis, quacum populus benediceretur, S. Congregatio, per Decretum 16 Januarii 1886 (n. antiq. 5957, ad 4), respondit, consulendum esse SSmum Dominum. Facta autem de hoc dubio Ssmo Domino Leoni XIII relatione, Sanctitas Sua, die 4 Februarii ejusdem anni, circa hoc dubium, et postea per Decretum generale, Urbis et Orbis, 26 Augusti 1886 (n. antiq. 5974), « indulgere insuper dignata est, ut in iis templis, seu Oratoriis, ubi ob eorum paupertatem Expositio cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ad tramitem Decreti ipsius (scilicet 20 Augusti 1885, nempe de exercitiis piis per mensem Octobris), solemni modo, nempe per Ostensorium, fieri haud valeat, eadem per modum exceptionis peragi possit, prudenti judicio Ordinarii, cum sacra Pyxide, aperiendo scilicet ab initio ostiolum Ciborii (intellige : Tabernaculi), et cum ea populum in fine benedicendo. » Attendendum est, hujusmodi Expositionem privatam, et Benedictionem cum Pyxide, indulgeri tantum : 1° pro exercitiis mense Octobris præscriptis ; 2° per modum exceptionis ; 3° pro pauperioribus ecclesiis ; 4° prudenti judicio Ordinarii. (Decretum Urbis et Orbis, 26 Augusti 1886, refertur in Collectione Epistolarum Pastoralium Diœcesis, Tom. X, pag. 357.)

2. Similiter tolerari posse usum hujusmodi Benedi-

dictionis pro aliis ejusdem generis functionibus, ex. gr. pro exercitiis mensis Mariani, postea rescripsit S. Rituum Congregatio, per sequens Decretum, 20 Julii 1894 : « Usus invaluit in pluribus (alicujus) civitatis Ecclesiis, in functionibus Marialibus, aliisque, quæ cum Missa persolvuntur, dimittere populum cum Benedictione SS. Sacramenti in Pyxide adservati ; adhibito velo humerali super planeta. Quæritur an hic usus tolerari possit ? » Et S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative ; ita observandum. » (Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 514.)

3. Tandem, per sequens Decretum, 30 Novembris 1895, S. Rituum Congregatio iterum declaravit Benedictionem cum Pyxide posse dari : Ad dubium III : « An post Expositionem privatam SS. Sacramenti, scilicet, aperto ostiolo Tabernaculi, dari possit Benedictio cum eodem Venerabili Sacramento in Pyxide recondito ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Affirmative. » (Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 2.)

d) Si itaque ex præfatis Decretis concludere licet, Benedictionem cum Pyxide populo dari posse post aliquam functionem, firma tamen restat regula, in Quæstione præcedenti 173 posita, numquam posse Pyxidem loco Ostensorii in throno Expositionis collocari.

III. Pro Benedictione cum Pyxide danda, debet Sacerdos induere superpelliceum et stolam ; potest etiam retinere planetam, si Benedictio datur immediate post Missam ; insuper velum humerale semper est assumendum ; pro ea sex saltem lumina cerea in Altari apponi debent (Decr. S. Congregationis Episcoporum et Regularium, 9 Decembris 1602) ; cæterum hæc Benedictio fiet ritu ordinario ; et post Orationem consuetam SS. Sacramenti, addi poterit Collecta pro ingruenti necessitate ; quocumque etenim modo fiat Expositio, idem semper est honor, qui reddi Sacramento debet. Attamen in hujusmodi Expositione, et etiam Benedictione, omissio incensationis conformior est Ecclesiæ praxi. (S. Rituum Congregatio, Decret. 11 Septembris 1847, n. 2957, antiq. 5112.)

CAPUT II

DE APPARATU ALTARIS ET THRONI IN EXPOSITIONE

Q. 175. *Ad quod Altare regulariter exponendum est pro adoratione SS. Sacramentum ?*

R. I. Pro Oratione XL Horarum, vel Adoratione perpetua, Expositio fieri debet in Altari majori. Tamen, si ecclesia valde spatiosa esset, et habeatur sacellum, tam late patens, ut velut altera separata ecclesia censeri possit, in quo toto anni tempore asservatur SS. Eucharistia ; vel etiam aliud sacellum, quod magis opportunum videatur; modo nihil timendum sit quod religionem, cultum, decentiam lædat, non dedeceret ut Expositio in hujusmodi amplo sacello fieret.

II. Si de aliis Expositionibus magis minusque solemnibus sermo sit, quamvis maxime deceat, ut in Ara majori hæ fiant, regula non est tanto cum rigore accipienda, ut non liceat devotionis, vel etiam commoditatis ergo, vel ad satisfaciendum piis fundatorum dispositionibus, vel alia rationabili de causa, SS. Sacramentum exponere in aliquo ex lateralibus sacellis ; dummodo quodlibet absit irreverentiæ periculum. Ob tale periculum, in capellis, quæ sunt prope januam ecclesiæ, vel Expositiones nullimode fiant, vel janua claudatur, et populus ingrediatur per aliam januam.

Q. 176. *An in Altari in quo SS. Sacramentum exponitur, disponi possunt Reliquiæ, aut Imagines Sanctorum ?*

R. « Sanctorum Reliquiæ non sunt collocandæ super Altare, in quo SS. Sacramentum publicæ venerationi est expositum, » ut declaravit S. Rituum Congregatio, Decreto 2 Septembris 1741 (n. 2365, ad 1, antiq. 4119, ad 5) ; neque statuis, aut imaginibus Sanctorum, inter candelabra ad Altaris ornatum locus dari potest. Non tamen hæc Imaginum prohibitio eousque urgenda est, ut prohibitæ sint dicendæ Imagines quæ in retabulo Altaris exsculptæ, vel appositæ sunt pro ornatu ; pro quibus omne periculum abest venerationem in ipsas divertendi.

Multo minus apponi possunt figuræ animarum purgatorii, cujusvis materiæ, etiamsi Expositio in illarum animarum suffragium quandoque instituatur ; nedum vero hujusmodi imagines, simulacra, symbola ab Altari, verum etiam a capella vel presbyterio abesse debent, quemadmodum et vela nigri, aut violacei coloris, et aulæa funebria : haud enim decet haberi lugubria in loco ubi micat Christus gloriosus. Hæc tamen regula non extenditur ad cæteram ecclesiam, in qua panni nigri supra parietes poterunt extendi, quoties Sacramentum exponitur ad suffragandas defunctorum animas.

Non excluduntur imagines Angelorum, vel adorantium, vel sustinentium funalia seu candelabra cum candelis, aut thuribula.

Nota. In Oratione XL Horarum, et in Adoratione perpetua, cooperiri debet principalis Imago Sanctorum, vel etiam pictura Altaris, et reliquæ etiam quæ proximæ Altari erunt : panni, quibus cooperientur picturæ illæ, non violacei nec nigri coloris, sed albi aut rubri, ac si fieri poterit, serici erunt. Sed hæc sanctio obtinet in sola Adoratione perpetua : nec est necessario trahenda ad alias Expositiones, nedum minus solemnes, sed etiam solemnissimas, quæ non ex præcepto, sed ex pia institutione, laudabili consuetudine et devotione interdum fiunt. Cultus utique non sunt confundendi, neque Deiparæ, aut Sanctis ille tribuendus est honor, qui uni debetur Deo : nihil tamen prohibet, quominus, dum preces ad Deum dirigimus, Deiparam, et Sanctos, quorum intuemur Imagines, apud Eum deprecatores adhibeamus : imo ex Ecclesiæ instituto ita est faciendum, ut quod nostris precibus non valemus, intercessorum ope et patrocinio consequamur. (Cfr. Gardellini, *Commentaria ad Instructionem Clementinam*, § 3, nn. 3, 4, 5.) Cavendum tamen est ne, per majorem ornatum, aut luminum copiam, principalis et major veneratio statuis, aut imaginibus pictis exhibeatur, et SS. Sacramentum quasi objectum minus principale habeatur.

Si petatur, cur nam tegendæ omnino sint Imagines Sanctorum in Oratione XL Horarum, et Adoratione perpetua, non item vero in aliis Expositionibus ; ratio

sequens datur: Pro diversitate functionum, diversoque earumdem fine, aliquid decet, et licet in una, quod in altera, quamvis idem sit utriusque objectum, non expedit. Porro in Adoratione perpetua, præcipuus et unicus hic est finis, ut diu noctuque, quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione incensum orationis in conspectu Domini dirigatur, et populus sine distractione totus sit in adoranda Eucharistia unice intentus: igitur in Altari nihil occurrat oportet, quod minus conveniat Sacramento, et Imagines sunt velandæ, non quod illicitum sit easdem detectas haberi tempore Expositionis Eucharistiæ, sed ne earum aspectus quid minimum detrahat fini intento in institutione Adorationis. In aliis autem Expositionibus, licet primus honor, ut semper, Deo sit tribuendus, quia tamen vel ex instituto piisque fundationibus, vel ex fidelium devotione, simul Deiparæ, et Cœlicolarum, qui preces nostras Deo offerant, imploratur auxilium, minime dedecet, neque Ecclesiæ disciplinæ repugnat, aliquam Imaginem oculis intuentium objicere. (Cfr. Gardellini, loco citato, n. 6.)

Q. 177. *Cujus coloris debent esse diversi ornatus in Expositione ?*

R. Color albus proprie convenit Eucharistiæ, ut signum gloriæ, et solus adhiberi debet in Expositione SS. Sacramenti, quoad ea præsertim, quæ Eidem proxime et unice inserviunt. Ideo in omni Expositione, etiam minus solemni, albi coloris sint oportet pallium seu antipendium Altaris, et omnes alii ornatus quibus Altare instruendum est; ita declaravit S. Rituum Congregatio, quod pallium coloris rubri retineri nequit in Altari, in quo expositum est SS. Sacramentum, Dominica Pentecostes, et duabus sequentibus Feriis, quia obstant Decreta. (Decret. 19 Decembris 1829, n. 2673, antiq. 4652.) Quoad alios ornatus, quibus, vel solemnitatis causa, vel ex alio motivo, in solemnissima Expositione vestiuntur Presbyterii, vel Sacelli parietes, certi coloris non determinantur tegumenta, et una tantum conditio apponitur, ne historias, vel quid profanum exhibeant.

Paramenta Celebrantis et Ministrorum, in Laudibus vespertinis, aliisque Expositionibus, extra Missas aut Vesperas, albi coloris esse debent ; in Missis autem, et Vesperis, adhibentur ejus coloris quem Officii qualitas exigit. Et si quidem immediate post Missam Processio est instituenda, vel Benedictio danda, color paramentorum non erit variandus, sed pluviale ejusdem coloris a Celebrante poterit assumi. Item, si instituenda est Processio immediate post Vesperas, aut Laudes vespertinæ cantandæ sunt, non sunt assumenda paramenta alterius coloris quam Vesperarum, sed sacra actio continuari potest cum paramentis respondentibus Vesperis. Si tamen interrumpitur actio, per discessum ab Altari, quia tunc fiunt duæ actiones omnino distinctæ, quæ singulæ suum colorem proprium exigunt, paramenta albi coloris assumenda omnino sunt pro functione quæ spectat SS. Sacramentum.

Quatenus vero adhibeantur paramenta coloris convenientis Officio, et non albi, color tamen Veli humeralis, pro Processione, aut Benedictione indiscriminatim erit albus, quia nihil habet commune cum Missa aut Vesperis, et unice Sacramento inservit.

Q. 178. *Indica quasdam regulas pro dispositione, et structura Throni Expositionis.*

R. I. **Pro dispositione** : Thronus Expositionis debet in Altari, sive supra gradum candelabrorum, sive supra mensam, quin tamen eam impediat, sive supra Tabernaculum, in eminentiori parte assurgere : curabitur ut altitudo ejus non ea sit, ut super mensam Altaris ascendere cogatur Sacerdos, pro reponendo Ostensorio : aut talis, ut SS. Sacramentum maneret prorsus extra Altare. In illis ecclesiis, in quibus Altari imminet baldachinum, vel sustentatum columnis, vel e laqueari dependens (cfr. Q. 155, 4°), necesse non est ut apponatur Thronus, sed sufficiens erit basis, in medio Altaris posita, in qua collocatur Ostensorium.

Circa dispositionem Throni, duo sequentia dedit Decreta S. Congregatio Rituum, quæ referre juvat :

1° Quum proposita fuerit petitio alicujus artificis : « Utrum admitti possit usus cujusdam machinæ, ab

ipso constructæ, cujus ope elevaretur, ac deponeretur Ostensorium, dum salutaris Hostia populo adoranda exponitur ? Emi et Rmi Patres, re accurate perpensa, unanimi suffragio responderunt : Negative. » (Decr. 7 Julii 1877, n. antiq. 5701.)

2° Consuetudo exponendi SS. Sacramentum, prævio quodam machinismo ad hoc specialiter constructo, vel in manu alicujus statuæ B. Mariæ V., vel juxta latus vulneratum sculptæ Imaginis D. N. J. C. e Cruce pendentis, est « omnino abolenda ; siquidem Instructio Clementina jubet statuas non esse apponendas in Altari in quo SS. Sacramentum est expositum, et Sacramentum ipsum exponendum esse sub Throno, eminentiori in loco : quæ præscriptiones consuetudini expositæ sunt omnino contrariæ. » (Decr. 23 Aprilis 1875, n. antiq. 5603.)

Nota. Thronus Expositionis tantummodo inservire potest pro solius SS. Sacramenti Expositione ; et rescripsit S. Rituum Congregatio, numquam posse imagines in eo Throno exponi, tametsi extra tempus Expositionis ; et morem ubi existet esse eliminandum ; ac imagines aliter super Altaribus esse collocandas. (Decret. 19 Septembris 1883, n. antiq. 5888.)

II. Pro structura sequentia notanda sunt : 1° Thronus debet omnino eo modo confici, ut habeatur superimpositum baldachinum, sub quo Ostensorium deponitur : absque baldachino enim non esset Thronus.

2° In Throni plano deponitur corporale, vel etiam palla, super quam commode collocetur Ostensorium.

3° A lateribus Ostensorii debent apponi duæ saltem ab utraque parte candelæ, sive in brachiis ipsius Throni lateribus infixis, sive in candelabris ibi dispositis.

4° Thronus debet esse instructus velis albis : probari non potest usus, in quibusdam ecclesiis receptus, affigendi pannum sericum rubri coloris in cavo ipsius Throni, ut inde melius emineat Ostensorii splendor. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 406.)

Non tamen censendum est, album colorem ita exclusive præscribi, ut non liceat alio ornatu Thronum vestiri : ii colores in ejus ornamentis tantum excluduntur, qui licet festivi sint, ex Ecclesiæ tamen insti-

tuto et disciplina abhiberi non debent in iis quæ proxime inserviunt Sacramento, eique nullatenus conveniunt : cæterum, si Thronus sit cælaturis, cum superinducto auro, aut argento, affabre elaboratus, pendentibus e corona laciniis, auro pariter et argento intextis, et in intima parte tela acu picta coopertus; vel alio non absimili modo constructus ; etiamsi color albus vix, ac ne vix quidem conspiciatur, dummodo nil sit, quod non conveniat Sacramento, tuto poterit adhiberi.

5° Thronus Expositionis cum tantum debeat inservire pro Expositione SS. Sacramenti, congruentius amovibilis elaboratur, ut extra Expositionem ab Altari possit removeri.

Nota. 1. Quædam Altaria hodiedum eo modo constructa reperiuntur, ut Thronus Expositionis, e lapide, aut ligno, aut metallo, supra Tabernaculum fixus erigatur, per modum baldachini, seu parvi ciborii cum turri, columellis impositi. Minus probanda est hæc dispositio ; eo quod minus conveniat, ut pro relative rarioribus Expositionibus jam semper in Altari habeatur Expositionis Thronus ; qui insuper, sicuti in Paschatis Festo, ita etiam, ex. gr., in Parasceves Feria VI, semper et pro semper idem ibi in Altari prostat.

Quod si habetur hujusmodi fixus et inamovibilis Thronus, omnino animadvertendum est, quod in tali casu, extra Expositionem SS. Sacramenti, Crux Altaris non possit poni eo loco, qui SS. Sacramento tantum convenit ; inconsulte enim idem honor tribueretur Cruci qui SS. Sacramento debetur, uti declaravit S. Rituum Congregatio. (Decretum 2 Junii 1883, n. antiq. 5874, ad 3.)

2. In minoribus et pauperioribus ecclesiis, pro Expositione usuvenire potest ipsum Tabernaculum, cujus in casu ostiola tantum aperiuntur : ut autem in hujusmodi casu Ostensorium solum pro adoratione pateat, in anteriori parte Tabernaculi apponitur ; Ciborium vero, et reliqua vasa sacra quæ simul in Tabernaculo deposita habentur, disponuntur in parte interiori Tabernaculi, et occultantur velo pulchriori serico albo, auro aut argento intexto, appenso in medio interiori Tabernaculo.

3. Minime probanda est ea Tabernaculi dispositio, in quo capsula rotunda versatilis rotari debet, ut Ostensorium pro Expositione fidelium conspectui exponatur. (Cfr. Q. 154, ad II.)

Q. 179. *Num pro libito licet Missas celebrare in Altari, in quo SS. Sacramentum expositum est? An Crux pro celebratione Missæ collocari debet in Altari, tempore Expositionis? Quid de Tabellis notandum est?*

R. ad I. Missas celebrare de *Requiem*, ad Altare ubi SS. Sacramentum expositum habetur, omnino prohibitum est. Quoad alias Missas distinguendum est :

1° In Expositione solemnissima SS. Sacramenti pro functione XL Horarum, aut Adorationis perpetuæ, prohibet Instructio Clementina (§ 12) celebrare Missas ad Altare Expositionis, præter solemnem in Expositione et Repositione. Finis hujus prohibitionis est finis ipsius Expositionis : attenta scilicet, et devota SS. Sacramenti adoratio, a qua fidelium mentes alia quacumque functione avocatas non vult Ecclesia.

2° In aliis Expositionibus solemnibus, mens Ecclesiæ etiam est, ut Missæ ad Altare Expositionis non celebrentur. Etenim :

a) Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XII, n. 8) dicit maxime conveniens esse, ut SS. Sacramentum « non collocetur in majori, vel in alio Altari, in quo Episcopus, vel alius solemniter est Missam, seu Vesperas celebraturus » ; et sequenti num. 9, repetit, quod « non incongruum, sed maxime decens esset, ut in Altari, in quo SS. Sacramentum situm est, Missæ non celebrarentur ; quod antiquitus observatum fuisse videmus. »

b) Huic regulæ consonant plura S. Congregationis Rituum Decreta ; inter alia sufficiat unum referre, certam generaliter firmans regulam, quod « non debet celebrari Missa in Altari, ubi est expositum SS. Sacramentum, nisi ex necessitate fieri opus esset. » (Decret. 13 Junii 1671, n. 1421, ad 5, antiq. 2542, ad 6.)

Necessitatis causas indicant auctores, si desint alia Altaria, in quibus celebrari possit, et si urgeat præce-

ptum audiendi Sacrum ; et si SS. Sacramentum jam sine adoratoribus relinqueretur ; et etiam si longæva consuetudo difficillime abrumperetur.

3° His haud obstantibus, pariter certum est, consuetudinem fere universalem, Romæ etiam vigentem, invaluisse, celebrandi Missas ad Altare ubi SS. Sacramentum solemniter est expositum ; occasione nacta a pluribus exercitiis piis, ex. gr. in honorem SS. Cordis Jesu ; unde fideles quidem maximam ædificationem, animique fervorem in pietate percipiunt.

Magnam jam tolerantiam hoc super negotio consulendam judicant Ephemerides Liturgicæ (VIII, 1894, pag. 201 et sqq.), pro celebrandis Missis privatis, ubi cætera omnia de jure requisita comitentur, uti Episcopi Ordinarii placitum, decor ac religiosa pompa, necnon æqua discretio. Et adnotant quidem, non deesse etiam exempla, in quibus S. Rituum Congregatio prudenter sapienterque maluit nihil dicere de recepta et existente consuetudine exposita. (Decret. 3 Septembris 1746, n. 2390, antiq. 4181, ad 5.) Addi potest, quod hodiedum Sancta Sedes nonnumquam concedit quibusdam Confraternitatibus, Sodalitiis, Religiosis Familiis Indultum celebrandi Missas coram SS. Sacramento exposito. Ita, ex. gr. Sodalitio sub titulo ab Adoratione reparatrice gentium catholicarum, in ecclesia S. Joachimi Romæ, ubi tamquam in sede principe constitutum est, conceditur celebratio Missæ (privatæ) cum Expositione SS. Sacramenti, omnibus diebus Dominicis et Festis de præcepto, omnibus per annum Feriis quintis, etc. (Cfr. Statuta Sodalitii, apud *Acta Sanctæ Sedis*, XXXI, 1899, pag. 501 et sqq.)

Hanc tolerantiam pro Missis privatis coram SS. Sacramento exposito celebrandis, nullimodo tamen admittunt Ephemerides Liturgicæ pro Missis cantatis aut solemnibus. Rationes quæ afferuntur sunt : prohibitio Cæremonialis Episcoporum supra exposita ; dein gravissimum momentum, quod jam Benedictus XIV protulit, cum nempe compertum sit, populum non semel in hujusmodi casibus occupari in variis oblocutionibus, attendere musico cantui, et instrumentorum sono, quandoque etiam humeris ad SS. Sacramentum

versis. (Feliciter jam, Deo sint gratiæ, pro vero affirmare liceat, hoc momentum certe gravissimum, si in Italia forsan frequenter, apud nos non, vel rarissime esse animadvertendum.)

Hic tamen etiam addi potest exemplum recentissimum concessionis a S. Sede datæ, celebrandi Missam etiam solemnem coram SS. Sacramento exposito : etenim, Decreto *Urbis et Orbis*, 13 Novembris 1899, SS. Dominus Leo Papa XIII benigne concessit, ut die 31 Decembris anni 1899, necnon anni 1900, media nocte, juxta prudens arbitrium Ordinarii, in determinatis templis exponi possit SS. Sacramentum, facta potestate legendi vel cantandi, eadem hora, coram Illo unicam Missam. (Cfr. Litteræ Pastorales Diœcesis Mechlinien., Tom. XIII, pag. 319.)

4° In nostra Diœcesi, in non paucis ecclesiis existit consuetudo longæva, a pluribus sæculis, imo forsan pro quibusdam casibus a sæculo XVI, in signum protestationis contra insurgentium hæresium blasphemias in SS. Sacramentum oriunda, celebrandi Missas etiam solemnes in quibusdam per annum solemnioribus Festis, aut in aliis occasionibus, cum expositione SS. Sacramenti : auctoritas Diœcesana talem consuetudinem, tamdiu existentem, tolerat.

R. ad II. Crux apponenda non est in Altari Expositionis, ut ibi conspiciatur per integrum spatium, quo durat Expositio ; controversia limitatur ad tempus celebrationis SS. Sacrificii Missæ.

Rubrica Missalis sine ullo discrimine jubet (Rubricæ generales, Tit. XX), ut « super Altare collocetur Crux in medio. » Hac attenta Rubrica, magnum fuit olim inter liturgicos scriptores dissidium.

Negabant alii Crucem apponendam esse in Altari, dum expositum patet Sacramentum ; ea potissimum ratione innixi, quod ubi adest in Throno figuratum, non est cur simul apponatur ejusdem figura.

Contrariam vero tuebantur sententiam alii, dicentes hoc conforme esse Rubricæ ; quæ, cum indefinite expostulet Crucem in Altari in quo est celebrandum, nullam exceptionem videtur admittere.

Censent alii, Crucem necessariam non esse, quia

Sacramentum palam expositum ex se aptum est deservire ad fines ob quos Crux apponitur. Verum non arbitrantur inconveniens, si nihilominus apponatur ; quia inconveniens non est, quod ubi est persona Principis, ibi sint etiam ejus insignia, et imago. Hæc autem sententia est, quæ ex declaratione S. Rituum Congregationis, et successiva Constitutione Benedicti XIV, *Accepimus*, modo obtinet. Etenim S. Rituum Congregatio , per Decretum 2 Septembris 1741 (n. 2365, antiq. 4119, ad 5), quamlibet Ecclesiam in sua consuetudine relinquendam esse edixit : unde Benedictus XIV concludit, loco citato : « Satis commendari non possunt ea, quæ prudenter, sapienterque decreta fuerunt a S. Rituum Congregatione, nempe, ut quælibet Ecclesia, vel Diœcesis suam retineat consuetudinem ; ita ut nihil immutetur in ea Diœcesi, ubi Crux in Altari constitui solet, dum Missa celebratur, etiamsi Sacra Eucharistia publice prostet, neque nova disciplina excitetur in ea Diœcesi, ubi contraria hujus rei consuetudo jampridem invaluerit. »

Quod si mos obtineat collocandi Crucem, duo notanda sunt : Primum, quod apponenda erit tempore tantum Sacrificii, quo expleto, cessat ratio, propter quam apponitur. Secundum, quod thurificato Sacramento, Crux non est incensanda, uti respondit S. Rituum Congregatio, 29 Novembris 1738 (Decret. n. 2340, ad 4, antiq. 4080, ad 5) ; itaque Crucis incensatione omissa, illico est procedendum ad thurificationem Altaris.

R. ad III. Tres tabellæ in celebratione Missæ adhibentur, sed extra tempus celebrationis Missæ, amovendæ ab Altari omnino sunt in omni Expositione SS. Sacramenti, sive pro Oratione XL Horarum, sive alia quavis de causa. (S. Rituum Congregatio, 20 Decembris 1864, n. 3130, antiq. 5343, ad 3.)

Q. 180. *Quot lumina ardere debent in Expositionibus SS. Sacramenti ? Quid de qualitate luminis notandum venit ?*

R. ad I. A) In Instructione Clementina, pro Oratione XL Horarum, præscribitur ut ad Altare continuo

ardeant saltem viginti lumina, sex nempe candelæ in eo Altaris gradu in quo juxta morem apponi solent candelabra cum Cruce in medio ; octo candelæ in superiori parte Altaris ; quatuor ad Throni latera prope Ostensorium ; et duæ in candelabris in plano presbyterii prope gradus Altaris. — Potest addi quantitas multo major candelarum ; quæ tamen non necesse est ut omnes continuo ardeant, modo numquam deficiat numerus a lege præscriptus ; sed possunt luminaria diversimode distribui, aliis modo extinctis, aliis eorumdem loco accensis ; ardeant tamen semper quatuor saltem ad Throni latera prope Ostensorium, et duo funalia in plano presbyterii prope gradus Altaris. (Gardellini, *Commentaria ad Instructionem Clementinam*, § 6, n. 4.)

B) Quod spectat ad alias Expositiones quæ per annum fiunt, SS. Sacramento publice in Throno patente, quamvis laudabile sit se conformare sanctioni supradictæ Instructionis, non ubique tamen fieri potest quod magis congruit, dummodo fiat saltem quod decet. Si quæratur quid magis congruat, ut venerationi simul et decentiæ consulatur, commendari potest methodus a Benedicto XIV præscripta, ut saltem cerei duodecim continuo ardeant ; — vel saltem optandum omnino, ut præter sex candelas in majoribus candelabris, quatuor etiam ardeant a lateribus Tabernaculi seu Ostensorii, ut dicit Instructio circa Laudes vespertinas, 6 Decembris 1872, pro nostra Diœcesi data (cfr. Appendix I, post Q. 185). Minor numerus haud conveniret, ob decentiam qua sacra illa actio est peragenda. Majori copia lumina apponere certe conveniet, si id exposcat fidelium pietas, vel Ecclesiæ majus onus subire valeant, præsertim in Festis et solemnioribus quibuscumque Expositionibus.

C) Quod si ex causa privata fiat Expositio, aperto scilicet Tabernaculi ostiolo, quin sacra Pyxis extrahatur, non aliter fieri debet, quam sex saltem ardentibus cereis, quemadmodum jussit S. Congregatio Episcoporum et Regularium, 9 Decembris 1602.

Quoad dispositionem luminum, libertas relinquitur, variata candelabrorum forma, copia et distributione ;

modo,dum celebratur ad Altare Expositionis SS.Missæ Sacrificium, vel fiat aliud officium ad mensam Altaris, mensa libera remaneat. Notare hic tamen juvat, per Decretum 31 Martii 1821 (n. 2613, antiq. 4578, ad 5), S. Rituum Congregationem statuisse,non licere in Expositione SS. Sacramenti lumen aliquod eo artificio collocare a parte postica sphæræ Ostensorii, ut recta illuceat in ipsam SS.Hostiam, quæ exinde lucida appareat.

R. ad II. A) Statuta Diœcesis (n. 336) sequentia præscribunt : « Candelæ quas rubricæ lucere jubent Sanctissimo exposito, oportet confectæ sint ex pura cera apum. Quæ ex sebo aliisve materiis confectæ sunt, nonnisi ad majorem lucem vel solemnitatem procurandam adhiberi possunt. »

B) Per Decretum 8 Martii 1879, ad dubium : « An super Altari, præter candelas ex cera, tolerari possit, ut habeatur etiam illuminatio ex gaz, vel an usus prædictus prohiberi debeat ? rescribere censuit S. Rituum Congregatio : Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. » (Nouvelle Revue Théologique, XIV, 1882, pag. 598.)

C) Jam nova prodiit postremis his annis lux, nempe electrica ; de ea sequens S. Rituum Congregationi propositum fuit dubium : « Utrum lux electrica adhiberi possit in ecclesiis ? » Et S. Congregatio rescribendum censuit : « Ad cultum, negative. Ad depellendas autem tenebras, ecclesiasque splendidius illuminandas, affirmative ; cauto tamen ne modus speciem præ se ferat theatralem. » (Decret. 4 Junii 1895.)

Super quo notandum, quod illa lumina cultum respiciunt, quæ ponuntur super Altaria, vel ante Altaria, vel ante imagines Christi et Sanctorum, in signum venerationis. Item actus diversi cultus sunt Missa, Officium, administratio Sacramentorum, necnon Sacramentalium, sub quorum nomine comprehendi possunt quæcumque cæremoniæ, quicumque ritus, sive sint liturgici, sive tantum ecclesiastici. Pro his omnibus lux electrica interdicta manet ; esset enim ad cultum, quod Decreto prohibetur.

Permittitur autem lux electrica extra Altaria, ad depellendas tenebras, vel ad pompam exteriorem splen-

didiori ecclesiæ illuminatione augendam ; ex. gr. ad columnas, vel in corona templorum. Vitare tamen ibi oportet quidquid profanum est, et minus convenit templis : templa enim non sunt tractanda uti publicæ viæ, vel profanæ aulæ, vel theatra : et adhibeantur variæ apparatuum formæ, quas artis christianæ præsens progressus suggerit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 450, et pag. 606-615.)

Nota. I. Per Decretum 11 Maji 1878 (n. antiq. 5728, ad 19), ad dubium : « An tolerari possit usus cereorum fictorum ex metallo, in quibus machina quadam introducitur cereus ? » respondendum censuit S. Rituum Congregatio : « Tolerari posse. »

Nota. II. Juvat hic animadvertere, quod, tempore Expositionis, ubi necesse est ut ad Altare quædam præparentur, aut disponantur, ex. gr., ubi cerei sunt accendendi, vel extinguendi, vel renovandi, omnino requiritur, ut qui ad Altare accedit, sit superpelliceo indutus, et pie modesteque officio suo fungatur, debitas genuflexiones sedulo observet ; caveat etiam in suppedaneo ante Altaris medium transire, et semper a latere ad Altare accedere observet.

CAPUT III

DE RITU EXPOSITIONIS, BENEDICTIONIS, ET REPOSITIONIS SS. SACRAMENTI

Q. 181. *Describe ritus servandos in Expositione SS. Sacramenti.*

R. Ritus servandi describuntur secundum Instructionem circa Expositiones SS. Sacramenti, datam Clero Diœcesis Mechliniensis, 6 Decembris 1872. (Cfr. Appendix I, Q. 186.)

Expositio SS. Sacramenti fit :

vel *a*) a Celebrante cui assistunt tantum Thuriferarius, et Acolythi cum Ceroferariis ;

vel *b*) a Celebrante cui insuper assistit Sacerdos alter ;

vel *c*) a Celebrante cum ministris Diacono, Subdiacono, Thuriferario, et Acolythis cum Ceroferariis.

A) **In Expositione facta a Sacerdote, cui assistunt tantum Thuriferarius, et Ceroferarii gestantes candelabra et funalia :**

1° Sacerdos, lotis manibus, induitur superpelliceo, stola, et pluviali albi coloris.

2° Supposito quod SS. Sacramentum sit exponendum ad Altare in quo habetur Tabernaculum, cum Celebrans pervenerit ad Altare, deposito bireto, genuflectit in plano, et mox ascendit ad Altare ; in mensa explicat corporale, si nondum explicatum habeatur ; aperit ostium Tabernaculi, et genuflectit ; tum extrahit Ostensorium, vel Custodiam, et deponit super corporale, ac Tabernaculum claudit. Aperit Custodiam, genuflectit, et lunulam cum SS. Hostia accipit et collocat in sphæram Ostensorii : Custodiam clausam sine velo ponit a latere super corporale, vel si Missa sequitur dicenda, reponit in Tabernaculum, hoc momento tantum in casu claudendum.

3° Accipit mox Ostensorium dextera, et in in Thronum collocat ; dein iterum genuflectit, et recedens paululum a parte Evangelii ac se vertens versus latus Epistolæ, descendit in planum, genua flectit in infimo gradu, profunda capitis inclinatione SS. Sacramentum adorans, et assurgit.

4° Conversus ad Thuriferarium, stantem ad dexteram, incensum imponit in thuribulum sine benedictione ; mox rursus genua flectit, thuribulum accipit, et triplici ductu thurificat SS. Sacramentum, facta ante et post profunda capitis inclinatione. Reddito thuribulo, genuflexus manet in medio infimi Altaris gradus.

5° Si SS. Sacramentum in alio Altari sit exponendum, eo transferendum est sub umbella, cum apparatu conveniente et debita reverentia, comitantibus Ceroferariis cum lumine. Cum ad Altare Tabernaculi Celebrans Ostensorium e Tabernaculo deposuit in mensam, genuflexus in suppedaneo Altaris accipit velum humerale, dein assurgit, et accipit Ostensorium. Cum ad Altare Expositionis pervenerit, Ostensorium mox in Thronum collocat, et agit ut supra : deponit autem velum humerale statim ac in planum descendit. — In nonnullis ecclesiis usus est, qui laudabilis dici potest,

ut statim, deposito Ostensorio super mensam Altaris Tabernaculi, Celebrans descendat et incensum imponat, ac thurificet SS. Sacramentum, antequam accipiat velum humerale : deinde, deposito Ostensorio in Throno ad Altare Expositionis, iterum incensum imponat et thurificet SS. Sacramentum expositum.

6° Acolythi gestantes candelabra ea deponunt super gradus Altaris ab utroque latere, et genuflectunt in plano ab utroque latere : qui vero gestant funalia, ea tenentes genuflectunt in plano ab utraque parte Evangelii et Epistolæ. Thuriferarius, peracta incensatione, genuflectit in plano juxta Acolythum a latere dextro Celebrantis.

B) **In Expositione facta a Celebrante cui insuper assistit alter Sacerdos :**

1° Celebrans, lotis manibus, induitur superpelliceo, stola et pluviali ; Assistens item lotis manibus, induitur superpelliceo ; insuper stolam imponit, sed tantum cum tangit vasa sacra.

2° In processu ad Altare, Assistens incedit ante Celebrantem. In accessu ad Altare, consistit ad dexteram Celebrantis, accipit ejus biretum et deponit ; et genuflexione in plano peracta, dum Celebrans genua flectit in infimo gradu, ipse, assumpta stola ascendens, exponit Ostensorium ut supra describitur (A, 2, 3) ; cum genuflectit, paulum recedit e medio versus cornu Epistolæ ne tergum vertat Celebranti. In descensu vero, recedit paulum etiam a parte Epistolæ, et se vertit versus latus Evangelii, accedens ad dexteram Celebrantis, et stolam deponit ; genua flectit in infimo gradu.

3° Exposito SS. Sacramento, Celebrans et Assistens, profunda facta capitis inclinatione, assurgunt ; tum Celebrans imponit incensum (A, 4), naviculam præbente Sacerdote assistente, qui etiam thuribulum dat Celebranti, fimbriam pluvialis in thurificatione attollit, cum Celebrante caput profunde inclinat, et thuribulum recipit. Deinde Assistens genua flectit in latus Epistolæ in infimo gradu.

4° Si SS. Sacramentum in alio Altari sit exponendum, ad Altare Tabernaculi Celebrans secundum usum quarumdam ecclesiarum, ut supra dicitur (A, 5), impo-

nit jam incensum, et thurificat SS. Sacramentum a Sacerdote assistente depositum super Corporale in mensa Altaris ; deinde accipit velum humerale, ascendit simul cum Assistente ad suppedaneum ; ibi Assistens genuflectit, assurgit, accipit Ostensorium, illudque deponit in manus Celebrantis genuflexi in suppedaneo, et velum adaptat manibus Celebrantis ; mox genuflectit Assistens, et simul cum Celebrante assurgit ; descendunt et sub umbella tendunt ad Altare Expositionis : Assistens procedit ad sinistram Celebrantis.

5° Ad Altare Expositionis, Celebrans ascendit ad suppedaneum ; ad ejus dexteram ascendit Assistens, et genuflexus accipit e manibus Celebrantis Ostensorium ; illud collocat in Thronum, et agit ut supra. Celebrans, tradito Ostensorio, genuflectit, assurgit, descenditque ad infimum gradum, ubi genua flectit. Cum descendit, Assistens deponit stolam ; et imponitur incensum ut supra.

C) **In Expositione facta a Celebrante cum ministris Diacono et Subdiacono :**

1° Celebrans et Ministri induunt amictum, albam, cingulum ; Subdiaconus tunicellam ; — Diaconus stolam et dalmaticam ; — Celebrans stolam transversam ante pectus, et pluviale.

Si Missa esset celebranda ad Altare SS. Sacramenti, in quo fit Expositio, posset Celebrans statim ab initio induere manipulum et casulam, et Ministri assumere manipulum.

2° In processu ad Altare, Diaconus et Subdiaconus incedunt ad latera Celebrantis, et tenent fimbriam pluvialis. In accessu ad Altare, facta ab omnibus genuflexione in plano, dum Celebrans et Subdiaconus genua flectunt in infimo gradu, Diaconus ascendens ad Altare exponit Ostensorium, ut supra describitur (A, 2, 3) ; sed cum genuflectit, paulum recedit e medio versus cornu Epistolæ, ne tergum vertat Celebranti. In descensu vero, recedit paulum etiam a parte Epistolæ, et se vertit versus latus Evangelii.

3° Exposito SS. Sacramento, omnes, profunda facta capitis inclinatione, assurgunt ; tum Celebrans imponit incensum, naviculam præbente Diacono, qui nihil dicit,

neque cochlear aut manum Celebrantis osculatur ; Subdiaconus interea ad dexteram Celebrantis fimbriam pluvialis attollit. Incenso imposito, Diaconus accipit thuribulum, et omnes genua flectunt in infimo gradu, Subdiaconus et Diaconus paulo propius ad latera Celebrantis ; Diaconus tradit thuribulum Celebranti, et omnes inclinationem capitis profundam faciunt. Dum Celebrans incensat SS. Sacramentum, Diaconus et Subdiaconus attollunt fimbriam pluvialis ; facta iterum profunda capitis inclinatione ab omnibus, Celebrans reddit thuribulum Diacono, Diaconus Thuriferario ; dein Diaconus et Subdiaconus surgentes iterum genua flectunt in locis suis a latere Celebrantis.

4° Si SS.Sacramentum in alio Altari sit exponendum, Diaconus peragit ad Altare Tabernaculi ea quæ supra (B, 4, 5) præscripta sunt pro Sacerdote assistente. In processu ad Altare Expositionis, Diaconus ad dexteram Celebrantis, et Subdiaconus ad sinistram, sub umbella tenent fimbriam pluvialis, usque dum pervenerint in suppedaneum Altaris Expositionis ; ibi Diaconus genuflexus accipit e manibus Celebrantis Ostensorium, et statim surgens, cum Celebrans SS. Sacramentum genuflexione adoravit, illud collocat in Thronum ; Subdiaconus genuflectit cum Celebrante, et ambo descendunt ad infimum gradum, ubi genua flectunt ; et cum Diaconus descendit, facta ab omnibus profunda capitis inclinatione, imponitur incensum, ut supra.

Hic ritus servatur in Expositione SS. Sacramenti. Si nulla functio sequitur, Celebrans et ministri, facta per breve tempus, dum aliqua cantantur, adoratione SS. Sacramenti, mox assurgunt, genuflectunt utroque genu in plano cum profunda capitis inclinatione, et discedunt ad sacristiam ; bireta accipiunt et caput operiunt Celebrans, Diaconus et Subdiaconus, tantum cum sunt extra conspectum SS. Sacramenti. — Si sequitur celebratio Missæ, vel cantus Officii, hæc statim incipiunt post incensationem SS. Sacramenti. — Si sequitur functio, in nostra patria frequentissime habita, quæ vocatur « Laudes vespertinæ » (Lof, Salut), Celebrans, Diaconus et Subdiaconus genuflexi manent in infimo gradu ante Altare. Non licet Celebranti Sacerdoti

genuflexus manere, tempore Laudum vespertinarum,in genuflexorio tapete et pulvinis parato ; hoc soli competit Episcopo.

Nota. Quando in Officio divino cantantur Hymni, semper omnes debent stare ; exceptis quibusdam strophis, ex. gr., prima stropha Hymni *Ave maris stella ;* stropha *O Crux, ave,* in Hymno *Vexilla Regis ;* etc.; pro quibus genuflexio præscribitur ; item quando in fine Officii divini cantatur Antiphona finalis B. Mariæ V., ex. gr., *Salve Regina,* omnes stare debent diebus Dominicis ; et tempore Paschali, ubi cantatur Antiphona *Regina cœli,* omnes stant omnibus diebus per totum tempus Paschale. Nostræ Laudes vespertinæ non sunt Officium liturgicum stricte dictum, sed tantum modus aliquis adorationis SS. Sacramenti ; in eis non observatur regula Officii divini, et omnes manent semper genuflexi, quo tempore hæc cantantur ; alias enim fere semper foret standum. Unica datur exceptio pro cantu Hymni *Te Deum* ut infra dicetur (Q. 182, B, Nota III).

Q. 182. *Quæ notanda sunt de cantu, et de Orationibus in Laudibus vespertinis ?*

R. *A*) **Quoad cantum.** — 1° Patet quod, præsertim exposito SS. Sacramento, excludantur hujusmodi moduli, qui choreas, et profanam potius quam Ecclesiasticam melodiam imitantur ; aut symphoniæ, quæ profanis spectaculis inservierunt, et ad quas sacri versus fuerunt aptati ; cum experientia compertum sit, populum tunc non semel occupari in vanis oblocutionibus, attendere musico cantui et instrumentorum sono, quandoque humeris etiam ad Sacramentum versis ; et ita fidelium mentes non modo non pertrahi ad recolendum Divini amoris sublime mysterium, sed potius averti, sin minus, distrahi. (Cfr. Gardellini, *Commentaria ad Instructionem Clementinam,* § 3, nn. 13 ad 17, et § 24, n. 20.) Non alii propterea concentus audiri debent, nisi graves et devoti, qui adstantium affectus ad devotionem excitent, foveantque pietatem. Præ oculis habeantur ea quæ sapienter sunt præscripta in Statutis Diœcesanis (nn. 339-348).

2° Eæ preces tantum cantari possunt, quæ in Ec-

clesia receptæ sunt, desumptæ ex Breviario vel Missali ; vel saltem e Sacra Scriptura, aut etiam e Sanctis Patribus ; quæ approbatæ sunt a S. Rituum Congregatione, vel usu quodam et laudabili consuetudine receptæ, consentientibus, tacite vel expresse, locorum Ordinariis, quales dici possunt *Ave verum, Adoro te, Rorate, Tota pulchra es Maria, Inviolata.*

3° Sequentia ordinarie cantantur :

a) Hymnus, Responsorium, Antiphona, Psalmus, Canticum, vel Prosa, in honorem SS. Sacramenti.

Licet in hujusmodi functione non solum publice recitare, sed etiam decantare duas sequentes Litanias: Litanias SS. Nominis Jesu (cfr. Rituale Romanum, in Appendice de Sacramento Eucharistiæ) ; et Litanias de Sacro Corde Jesu, quas S. P. Leo XIII, per Decretum S. Rituum Congregationis, 27 Junii 1898, approbavit. (Decret. 2 Aprilis 1899.)

b) Litaniæ Lauretanæ, vel Hymnus, Antiphona, etc. de B. Maria Virgine.

c) Hymnus, etc., de Sancto,cujus Festum celebratur, vel memoria ex devotione agitur ; vel etiam Psalmus, aut Responsorium pro Defunctis.

d) Si præscriptæ sunt preces imperatæ, dicuntur, prout per Mandatum Archiepiscopale præscribuntur. Illis autem diebus, in quibus præscribuntur, de mandato cantandæ sunt vel dicendæ, et numquam sunt omittendæ. Potius alia, quæ pro devotione cantantur, prætermittenda, vel ita moderanda sunt, ut quæ de mandato dicenda sunt, opportune fieri valeant.

e) Ultimo loco, omnino cantari debent strophæ *Tantum ergo, Genitori;* si tamen Benedictio cum SS. Sacramento in fine datur.

Nota circa usum precum in vulgari idiomate.

Quamvis ex variis S. Rituum Congregationis Decretis constet prohibitum esse cantare in lingua vulgari cantilenas aut cantiones, licet non profanas, sive inter Missarum solemnia, sive in quacumque alia ecclesiastica functione, sive exposito SS. Sacramento, aut in ejusdem Processione ; dicendum tamen est dari casus, occasiones et tempora, in quibus pia Mater Ecclesia eas tolerare et permittere non dubitavit, ad fidelium

ædificationem promovendam ; et S. Rituum Congregatio, in recentioribus Decretis, aliquid de suo rigore circa usum vulgaris linguæ remisisse videtur, ut ex sequentibus Decretis concludere licet :

1. « Quæritur : An liceat adhibere publicam quarumdam precum recitationem vulgari sermone conscriptarum, coram Sanctissimo Sacramento exposito ? Et an saltem possit admitti exceptio pro formulis communiter dictis *Amendes honorables*,etc. ? » S. Rituum Congregatio rescripsit : « Affirmative, dummodo agatur de precibus approbatis. » (Decret. 31 Augusti 1867, n. 3157, ad 8, antiq. 5381, ad 9.)

2. « An in Parochiali Ecclesia a fidelibus intra Missam cani possint, juxta antiquum morem,... preces vel hymni lingua vernacula compositi, in honorem Sancti vel Mysterii, cujus Festum agitur ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, de consensu Ordinarii, quoad Missam privatam ; negative, quoad Missam solemnem sive cantatam. » (Decret. 31 Januarii 1896, quod integrum reperitur apud Ephemerides Liturgicas, X, 1896, pag. 131 ; cfr. etiam Ephemerides, XII, 1898, pag. 297.)

Sunt et alia Decreta, quæ spectant tantum consuetudines in quibusdam Diœcesibus generaliter existentes ; v. g. canendi vulgari idiomate carmina, aliosque similes modos musicos coram exposito SS. Sacramento, aut in ejus Processionibus (Decret. 27 Septembri 1864, n. 3124, antiq. 5336, ad 7) ; item recitandi vulgari sermone laudes quasdam approbatas, sive immediate ante Benedictionem, sive post Benedictionem, priusquam reponatur SS. Sacramentum in Tabernaculo (Decret. 11 Martii 1871, n. antiq. 5472, ad 1) ; sed licet hujusmodi consuetudines tolerari posse declaraverit S. Rituum Congregatio, non tamen in exemplum eas admittendas, nec similes, aut alias alicubi existentes, ut legitime retineantur, inde decernere, propria auctoritate cuicumque licitum esse censendum est.

Advertendum itaque est ne contra Ecclesiæ mentem tolerata damnentur, et damnata tolerentur. Certum est detestanda omnino esse cantica vulgaria quæ levitatem præ se ferunt ; non vero damnanda sunt cantica

vulgaria simplicia, et pia, quæ statis temporibus canuntur, uti mense Majo ad honorem B. Mariæ V., mense Junio in honorem SS. Cordis Jesu ; ante et post officia publica, in exercitiis spiritualibus Missionum, Confraternitatum, et aliis hujusmodi, etiam coram SS. Sacramento exposito ; modo hæc non fiant intra Missarum solemnia (in Missis cantatis aut solemnibus), vel quæcumque divina Officia liturgica stricte dicta. Recentius novum hac super re dedit responsum S. Rituum Congregatio ; nempe, ad dubium : « Licetne aliquid canere lingua vernacula, 1° in Missa solemni, dum sacra Communio distribuitur per notabile tempus? 2° In solemni Processione SS. Sacramenti, alternatim cum hymnis liturgicis ? » Rescribendum censuit S. Congregatio : « Negative ad utrumque. » (Decret. 14 Januarii 1898, ad V ; cfr. Collationes Brugenses, III, 1898, pag. 242.)

B) Quoad Orationes, a Celebrante dicendas tempore Expositionis in Laudibus vespertinis, hæc notantur :

1° Post Hymnum, etc., SS. Sacramenti, Versus et Oratio SS. Sacramenti non dicuntur ; nisi in Adoratione perpetua, quando in fine Laudum vespertinarum Benedictio non datur.

2° Prima Oratio dicitur de B. Maria V., præmissis Versu, *Dominus vobiscum*, et *Oremus*. Dicitur Versus et Oratio vel de tempore, ut in Antiphonis B. M. V. post Officium ; vel si occurrat B. M. V. Festum, a primis Vesperis et per Octavam, de Festo quod celebratur.

3° Secunda Oratio dicitur de Sancto, cujus memoria agitur, præmisso Versu (ex II Vesperis ejus Officii), et *Oremus*. Vel dicitur pro Defunctis, præmisso Versu *A porta inferi*, et *Oremus*, et addito in fine a Celebrante ℣. *Requiem*, et a cantoribus ℣. *Requiescant in pace*.

4° Cantata stropha *Genitori*, dicitur Oratio SS. Sacramenti, præmisso Versu *Panem de cœlo*, et *Oremus*.

5° Celebrans cantat Orationes cum conclusione brevi, et pro Oratione SS. Sacramenti cum conclusione *Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum*. Ad cantum Versus assurgit, et manus junctas tenet, dum Diaconus ad dexteram et Subdiaconus ad sinistram genuflexi librum tenent, Diaconus sinistra, Subdiaconus dextera.

Si non assistunt Diaconus et Subdiaconus, poterit, nisi Acolythi faciant, sibi ipse librum sustinere.

Nota. I. Non pauci Sacerdotes, antequam assurgant pro Oratione cantanda, et ea dicta, cum iterum genuflectunt, solent profundam facere capitis inclinationem ; hanc nulla lex in casu præscribit.

Celebrans Orationes cantat stans ; si autem pro quadam supplicatione diversi Versus ab ipso sunt cantandi, hos cantat genuflexus manens, et assurgit tantum ad ℣. *Dominus vobiscum*.

Preces, si quæ de mandato recitandæ sunt, aut ex devotione recitantur, dicit Celebrans genuflexus.

Nota. II. Per Decretum 18 Julii 1885 (n. antiq. 5943, ad 13), declaravit S. Rituum Congregatio, Orationes coram SS. Sacramento exposito, extra Missam et Horas canonicas, cantandas esse recto tono, cum unica vocis inflexione in fine cujusque Orationis. Dicentur itaque Orationes in Tono dicto feriali, qui requirit unam vocem æqualem sine variatione, excepto quod in fine ultima syllaba declinatur de *fa* ad *re* ; quæ terminatio fit etiam in fine conclusionis.

Si autem in aliquo casu plures Orationes simul sunt dicendæ, ex. gr. illæ quæ in Rituali Romano describuntur post Processionem « in quacumque tribulatione », vel aliæ similes, hujusmodi Orationes dicuntur omnes, sicut et conclusio longa qua terminantur, tono simplici feriali ; nulla vocis inflexio in casu fit, neque post singulam ex Orationibus, neque ad conclusionem longam qua terminantur. (Cfr. *Cæremoniale*, Appendix II, Regulæ pro Cantu, V ; et Quæstiones in Conferentiis Diœcesis Mechlinien. agitatæ anno 1888, ex Liturgia QQ. V, VI.)

Nota. III. Si Hymnus **Te Deum**, coram SS. Sacramento exposito, aut alias cantatur, in gratiarum actionem, vel pro conclusione alicujus exercitii ; quod, si intra Laudes vespertinas fit, consueto, reliquis cantibus præmissis, fit antequam cantatur *Tantum ergo* ; sequentia notanda sunt :

1° Celebrans Hymnum intonat cantando *Te Deum laudamus*, deinde sequentia cum Ministris alternatim legit.

2° Ad Hymni cantum omnis Clerus, tam ad Altare quam in choro, debet stare ; genuflectunt in suis locis omnes tantum ad ℣. *Te ergo... redemisti.*

3° In Rituali, post Processionem pro gratiarum actione, præscribuntur plures Versus, et Orationes dicendæ post *Te Deum.* S. Rituum Congregatio, 11 Septembris 1847 (Decret. n. 2956, antiq. 5111, ad 3), declaravit, extra casum Processionis supradictæ sufficere Versus : *Benedicamus Patrem...., Benedictus es...., Domine exaudi....*, et unicam Orationem : *Deus, cujus misericordiæ.* Notandum ibi est, quod, juxta praxim Romanam, quando cantantur Versiculi post Hymnum, omnes debent genuflectere, etiam Celebrans ; iste tamen solus surgit ad *Oremus*, pro Oratione. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 312, IX.)

Nota. IV. Inquiri potest, an in nostris Laudibus vespertinis liceat cantare Orationem de SS. Corde Jesu.

Hymnos, et quidem Litanias de SS. Corde Jesu cantare non est vetitum, ut supra (ad A, 3°) jam fuit notatum ; de Oratione vero dubium haberi potest, ob idenditatem objecti, cum in fine functionis dicenda sit Oratio SS. Sacramenti.

Cum Laudes vespertinæ non sint habendæ ut functio stricte liturgica, quemadmodum Missa, Officium divinum, etc.; et cum constent quasi ex diversis partibus, tum in honorem SS. Sacramenti, tum in honorem B. Mariæ V., tum in honorem alicujus Sancti, tum pro supplicatione, tum pro gratiarum actione, etc., et unaquæque pars functionis constituat quoddam ab aliis quasi divisum ; non videtur censura dignum, quod in decursu functionis, post Hymnum aut Litanias de SS. Corde Jesu, de eodem etiam cantetur Oratio, licet postea, ante Benedictionem cantetur Oratio de SS. Sacramento. Non applicanda videtur in casu lex identitatis pro Orationibus in Missa, aut in Officio divino, cum diversus omnino sit casus; neque ratio quidem habenda est de ordine dignitatis, secus dicendum esset primam Orationem semper esse debere de SS. Sacramento, quum e contra hæc præscribitur cantanda ultimo semper loco. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 488.)

Idem dici potest de Canticis et Orationibus reliquorum Christi Domini Mysteriorum.

Q. 183. *Quid observandum est pro concionibus, exposito SS. Sacramento ?*

R. Conciones non decet habere longiores coram exposito SS. Sacramento, et in Adoratione perpetua solummodo convenit breve aliquod colloquium, excitandi causa adstantes ad devotionem erga SS. Sacramentum. Concio debet fieri detecto capite. Tempore concionis apponi debet ante Thronum velamen crasioris panni, quod Ostensorium undique tegat seu abscondat ; et cavendum est ne detur occasio actibus a debita reverentia alienis, e. g. ne terga directe SS. Sacramento vertantur.

Q. 184. *Describe ritus servandos pro Benedictione, et Repositione SS. Sacramenti.*

R. I. In expositione privata, ubi Ordinarius licentiam dederit cum sacra Pyxide Benedictionem impertiendi, sequentia observanda sunt :

Sacerdos, superpelliceo et stola albi coloris indutus ; vel, si in fine Missæ, quæ non est de *Requiem*, Benedictionem hujusmodi daturus sit, retenta casula, quod in casu fieri licet,sed deposito manipulo ; Tabernaculum aperit, et in eo sacram Pyxidem suo velo coopertam relinquit ; genuflectit, descendit, et in infimo gradu Altaris genuflexus recitat, nisi a Choro cantentur,quod quidem, si fieri potest, optandum est, strophas *Tantum ergo, Genitori*, Versum *Panem*, ac stans dicit Orationem *Deus, qui nobis*. Post Orationem assumit velum humerale, quod omnino requiritur, ascendit, genuflectit, Pyxidem accipit, et eam extremitate dextra veli totaliter cooperit ; tum se vertit ad populum, et more solito dat Benedictionem cum sacra Pyxide cooperta ; qua data, Pyxidem in Tabernaculum reponit, dein genuflectit, et Tabernaculum claudit. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechlin., anni 1881, ex Liturgia Q. III.)

II. In aliis expositionibus, sequentes ritus servantur pro Benedictione, et Repositione SS. Sacramenti :

Ante Benedictionem semper cantari debent strophæ *Tantum ergo* et *Genitori*, cum Versu, et Oratione SS. Sacramenti ; sub cantu strophæ *Genitori*, Celebrans assurgens imponit incensum, et genuflexus thurificat SS. Sacramentum, eisdem cum cæremoniis quæ describuntur pro Expositione. Dein, dicto a cantoribus ℣. *Panem*, assurgit, et dicit, præmisso *Oremus*, Orationem SS. Sacramenti, Diacono et Subdiacono, si adsint, interea genuflexis et librum tenentibus. Cantata Oratione, Celebrans iterum genua flectit in infimo gradu.

Nota. Non præscribitur hic, ut ante Orationem SS. Sacramenti Celebrans dicat *Dominus vobiscum ;* quia supponitur jam dicta hæc populi salutatio pro præcedenti Oratione, in decursu functionis, aut in alia functione quam subsequitur immediate Benedictio. Attamen, si nulla præcessit alia Oratio, et Oratio SS. Sacramenti prima est quæ dicitur in functione, in hoc casu ante Orationem SS. Sacramenti dicenda est salutatio *Dominus vobiscum*.

A) **Si Celebrans solus sine assistentia functionem peragit :**

1° Ascendit ad Altare, genuflectit, dextera accipit Ostensorium e Throno, illudque deponit super mensam in corporali ; dein per dexteram conversus, et genuflexus in ora suppedanei, assumit velum humerale ; assurgit, et ambabus manibus velo coopertis Ostensorium accipit, dextera ad nodum, sinistra ad pedem, illudque tenet ante pectus ita ut pars anterior in Benedictione sit versus populum ; et per partem Epistolæ convertit se ad populum. — Potest etiam, si Thronus eminens non est, accipere velum humerale antequam ad Altare ascendat ; sed non licet jam ante Orationem, uti quidam faciunt, velum humerale assumere.

2° Cum stat ad populum conversus, Ostensorium ante pectus tenet ; tum elevat illud decenti mora usque ad oculos, et eodem modo illud demittit infra pectus ; mox iterum recta illud attollit usque ante pectus, et continuo ad sinistrum humerum ducit, et reducit ad dextrum ; statim per partem Evangelii ad Altare se vertit, perficiens circulum sicuti cum dicit *Orate fratres*. — Potest etiam a dextro humero iterum reducere SS. Sacra-

mentum ante pectus, ibique aliquantulum sistere, et tunc perficere circulum, per partem Evangelii ad Altare se vertens : prior tamen modus dispositus reperitur in libris liturgicis, et communius est receptus. Benedictio danda est summa cum gravitate, reverentia ac devotione, et Sacerdos cavere debet ab omni præcipitantia ; oculos continuo in SS. Sacramentum intentos tenet.

3° Conversus ad Altare, deponit Ostensorium super corporale, et manus detegit ; mox genuflectit in ora suppedanei, ubi deponit velum humerale ; rursum ascendit, et aperta Custodia, et sphæra Ostensorii, lunulam cum S. Hostia ex Ostensorio in Custodiam deponit, et genuflectit ; Custodiam claudit, eamque in aperto Tabernaculo reponit ; genuflectit, Tabernaculum claudit, et per partem Epistolæ se convertens descendit ante infimum gradum ; genuflectit uno genu in plano, et, accepto bireto eoque imposito, discedit ad sacristiam.

4° Si vero SS. Sacramentum transferendum est ad aliud Altare in quo habetur Tabernaculum, Sacerdos in actu Benedictionis Ostensorium ab humero dextro reducit ante pectus, et mox descendit, proceditque sub umbella, comitantibus Ceroferariis cum lumine, ad Altare Tabernaculi ; ubi cum pervenit, statim Ostensorium deponit super corporale, et omnia peragit, quemadmodum supra n. 3° præscribuntur.

B) **Si Celebranti assistit alter Sacerdos :**

1° Assistens pro incensatione SS. Sacramenti præbet naviculam et thuribulum Celebranti, sicuti præscribitur in Expositione (Q. 181, B, n. 3°).

2° Post Orationem SS. Sacramenti, Assistens, assumpta stola, ascendit ad Altare, genuflectit paulum a latere versus cornu Epistolæ, Ostensorium e Throno accipit, deponit super mensam, et convertit ita ut in danda Benedictione pars anterior vergat ad populum, ac genuflectit paulum a latere a parte Epistolæ. Interea Celebrans, assumpto velo humerali, assurgit, ascendit ad Altare, genuflectit ; cum assurgit ipse, assurgit quoque Assistens, et adjuvat Celebrantem in accipiendo Ostensorio, et cooperiendis velo manibus ; deinde Assistens recedit ad latus Epistolæ, et submittit

genua in extremo suppedaneo. Celebrans ad populum conversus Benedictionem dat ut supra (A, 2°).

3° Data Benedictione, Celebrans, conversus ad Altare, deponit Ostensorium super corporale, genuflectit, descendit recedens paulum a parte Evangelii, et genuflexus in infimo gradu facit capitis inclinationem profundam, et deponit velum humerale. Sacerdos assistens, cum genuflexus est Celebrans, assurgit, accedit ad medium Altaris, genuflectit paulum a latere a parte Epistolæ, et reponit S. Hostiam et Custodiam in Tabernaculo, ut supra (A, n. 3°). Clauso Tabernaculo, a parte Epistolæ versus latus Evangelii se convertens, descendit ad dexteram Celebrantis, stolam deponit, cum Celebrante genuflectit in plano, tradit huic biretum, et discedit progrediens ante Celebrantem.

C) **Si Celebranti assistunt Diaconus et Subdiaconus:** Prænotatur quod si Benedictio et Repositio SS. Sacramenti faciendæ sint post Missam solemnem, finita Missa, Celebrans et Ministri accedunt ad scamnum a parte Epistolæ. Omnes deponunt manipulum, et Celebrans, deposita casula, assumit pluviale ejusdem coloris. Non licet Celebranti, in hac solemni Expositione et Benedictione, retinere casulam, sed debet assumere pluviale, uti rescripsit S. Rituum Congregratio, Decreto 3 Junii 1892, ad VIII. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 479, et pag. 104.) Accedunt deinde ante gradus Altaris, ibique genuflectunt in infimo gradu.

1° Pro incensatione infra cantum strophæ *Genitori*, ea observantur quæ præscribuntur pro eadem cæremonia in Expositione (Q. 181, C, n. 3°).

2° Post Orationem SS. Sacramenti, Diaconus librum tradit Ministro, mox ascendit ad Altare, genuflectit paulum a latere a parte Epistolæ, Ostensorium e Throno accipit, deponit super mensam, et convertit ita ut in danda Benedictione pars anterior vergat ad populum, ac genuflectit paulum a latere a parte Epistolæ. Interea Celebrans, assumpto velo humerali, assurgit, ascendit ad Altare, et genuflectit; et cum assurgit ipse, assurgit quoque Diaconus, et adjuvat Celebrantem in accipiendo Ostensorio, et cooperiendis velo manibus; deinde Diaconus genuflectit in ora suppedanei paulum

a parte Epistolæ, et sinistra tenet fimbriam pluvialis Celebrantis ad populum conversi. Cum ascendit Celebrans, itidem ascendit Subdiaconus, et genuflectit in ora suppedanei paulum a parte Evangelii, et dextera tenet fimbriam pluvialis Celebrantis ad populum conversi. — Cum Sacerdos benedicit populum, Diaconus et Subdiaconus caput profunde inclinant. Celebrans pro Benedictione observat dicta sub A, nn. 1°, 2°.

3° Data Benedictione, Celebrans, conversus ad Altare, deponit Ostensorium super corporale, et genuflectit ; cum eo assurgit Subdiaconus, et ambo descendunt, manibus junctis, recedentes paulum a parte Evangelii ; genuflexi in infimo gradu, inclinatione capitis profunda reverentur SS. Sacramentum ; deinde Celebrans deponit velum humerale. Diaconus vero, cum Celebrans, deposito Ostensorio, descendit et inclinationem capitis præstitit, assurgit, accedit ad mensam Altaris, genuflectit paulum e medio, a parte Epistolæ, et reponit S. Hostiam et Custodiam in Tabernaculo, observans omnia quæ supra præscribuntur ad A, n. 3° ; clauso Tabernaculo, convertens se per partem Epistolæ versus cornu Evangelii, descendit ad dexteram Celebrantis. Omnes genu dextrum flectunt in plano ; Diaconus biretum dat Celebranti ; omnes caput cooperiunt et recedunt ad sacristiam ; Diaconus et Subdiaconus ad latera Celebrantis tenent fimbriam pluvialis.

4° Si SS. Sacramentum ad aliud Altare est transferendum in quo habetur Tabernaculum, data Benedictione, assurgunt Diaconus et Subdiaconus et descendunt simul cum Celebrante ; ad planum capellæ cum pervenerint, Diaconus et Subdiaconus mutant loca, recedentes retro post Celebrantem, Diaconus a sinistra ad dexteram Celebrantis, Subdiaconus a dextera ad sinistram Celebrantis, et tenentes fimbriam pluvialis procedunt ad Altare Tabernaculi. Ubi cum pervenerint, ascendunt cum Celebrante usque ad suppedaneum ; Subdiaconus genuflectit in ora suppedanei, paulum versus partem Evangelii ; Celebrans, consistens in gradu ante suppedaneum,tradit Ostensorium Diacono, et mox genuflectit ; Diaconus genuflexus in suppedaneo, facie versa ad Celebrantem, accipit e manibus

Celebrantis Ostensorium, et statim surgens, cum Celebrans genuflexit, illud collocat in Altaris mensam. Celebrans et Subdiaconus mox descendunt ad infimum gradum, et ibi genuflexi, inclinatione capitis profunda SS. Sacramentum reverentur ; Diaconus, deposito Ostensorio, genuflectit paulum e medio, et facta a Celebrante capitis reverentia, accedit ad medium, et reposita S. Hostia in Pyxide, genuflectit, hanc claudit et deponit in Tabernaculo, ut supra dicitur. Observat dein dicta supra n. 3°.

Nota. In exponendo ritu Benedictionis, descriptus fuit ordo cæremoniarum præscriptus Clero Diœcesis Mechliniensis per Instructionem datam 6 Decembris 1872 (cfr. infra Appendix I, Q. 186), conformis iis quæ traduntur in Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. XXXIII, § 27) ; hic itaque ordo a Clero nostræ Diœcesis servandus est ; etiamsi per Decretum 14 Januarii 1898 (cfr. Collationes Brugenses, III, 1898, pag. 242), S. Rituum Congregatio admiserit simul aliam praxim, juxta quam, pro Benedictione, Diaconus Ostensorium porrigit Celebranti, eaque data, illud recipit super Altare collocandum, utroque stante. Admittitur a S. Congregatione utraque praxis ; sed accedit pro nostro Clero mandatum Instructionis præfatæ, juxta quam, pro uniformitate, ritus et ordo hic in Tractatu expositi fuerunt.

Q. 185. *Indica quædam liturgica notanda circa Benedictionem SS. Sacramenti.*

R. I. Unica tantum in quacumque SS. Sacramenti Expositione danda est Benedictio, videlicet in fine Expositionis. Hoc sensui liturgico conforme esse ostenditur : 1° Ex Rituali Romano, et Cæremoniali Episcoporum, quæ in Processione SS. Sacramenti nullam Benedictionis dandæ mentionem faciunt, nisi in fine ejusdem Processionis.

2° Ex Instructione Clementina pro Oratione XL Horarum, quæ unicam tantum in fine Benedictionem præscribit et permittit.

3° Ex Decreto Innocentii XI, 20 Maji 1682 : « Auctoritate Apostolica... statuimus et ordinamus... ut in

omnibus Expositionibus... non possit populo dari nisi una tantum Benedictio cum SS. Sacramento. » (Cfr. Synodicum Belgicum, Tom. II, p. 382.)

4° Ex Decreto S. Rituum Congregationis, 11 Julii 1857 (n. 3058, antiq. 5250, ad 1). Ad dubium propositum ab Archiepiscopo Ultrajectensi : « An possit retineri usus benedicendi populum cum SS. Sacramento in initio et in fine Expositionum in Missa et Laudibus? » S. Congregatio respondit : « Negative. » (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœc. Mechlinien., anni 1876, ex Liturgia Q. V ; Statuta Diœcesis Mechlinien., n. 337 ; et Appendix XIII Statutorum.)

II. Sub silentio Chori danda est Benedictio, ita ut interea nihil omnino possit cantari ; ut declaravit S. Rituum Congregatio in Decreto citato Ultrajecten. ad 2. (Cfr. Stat. Diœc., n. 337.) Organum vero graviori et dulciori sono pulsari potest ; et solitum datur signum triplici vel continuato campanulæ pulsu.

Item sub Benedictione, vel potius dum cantatur stropha *Genitori*, campana in turri Ecclesiæ per aliquot vices pulsari potest, ad invitandos fideles, ut si ad Ecclesiam accedere nequeant ad adorandum SS. Sacramentum et Benedictionem accipiendam, saltem ubi sunt, mentes ad Deum elevent, Eumque in cordibus adorent.

III. Incensatio a Thuriferario Sacramento præstita, dum Sacerdos benedicit populum, non præscribitur in libris ritualibus ; attamen cum ejusdem consuetudo in bene multis Diœcesibus obtineat, declaravit S. Rituum Congregatio, Decreto 7 Septembris 1861 (n. 3108, ad 6, antiq. 5315, ad 7), servandam esse consuetudinem locorum.

IV. Pro Benedictione danda, Sacerdos ipse Ostensorium ex Altari accipit et in Altare reponit ; in aliis autem casibus, Celebrans, utroque genu in ora suppedanei genuflexus, accipit Ostensorium ab Assistente, vel a Diacono, et similiter Assistens, vel Diaconus illud a Celebrante recipit genuflexus. (Cfr. Nota in fine Q. 184, et hic subjuncta Appendix I, VII, 4°.)

Ut Tractatio de Expositionibus SS. Sacramenti sit completa, adjungitur huic Sectioni triplex Appendix :

1° Traditur Instructio circa Laudes vespertinas et Expositiones SS. Sacramenti, Clero Diœcesis data 6 Decembris 1872.

2° Datur notitia circa Adorationem perpetuam SS. Sacramenti in Diœcesi vigentem.

3° Describitur textus Instructionis Clementinæ pro Oratione XL Horarum, ex italico sermone in latinum versus.

APPENDIX I

186. INSTRUCTIO CIRCA LAUDES VESPERTINAS ET EXPOSITIONES SS. SACRAMENTI

I. Juxta Liturgiam Romanam, quæ ex præscripto Statutorum Diœcesanorum (n. 337) in omnibus SS. Eucharistiæ expositionibus de mandato observanda est, non potest populo dari nisi una tantum Benedictio cum SS. Sacramento. Quandocumque igitur SS. Sacramentum publice exponitur, sive tempore Missæ, aut Laudum vespertinarum, sive in Oratione XL Horarum, Adoratione perpetua, aut alia occasione, Benedictio numquam datur, dum SS. Sacramentum exponitur, séd tantummodo in fine seu repositione, dum ipsum deponitur.

II. Laudes vespertinæ, et Missæ cum expositione SS. Sacramenti communiter celebrantur ad Altare Tabernaculi seu ad Altare majus; et regulariter non ad Altare, in quo aliqua statua vel imago solemniter aut loco principali veneranda proponitur, ne SS. Sacramentum in loco humiliori positum, minorem etiam cultum sibi vindicare videatur.

Si SS. Sacramentum extra Tabernaculum solitum exponatur, semper equidem collocandum est in Tabernaculo portatili, aut in Throno cum baldachino proportionato coloris albi, ita ut Ostensorium decenter cooperiatur, quin tamen aspectus ejus impediatur.

« Super Altare expositionis non ponantur reliquiæ Sanctorum, aut statuæ eorumdem (non excluduntur tamen statuæ angelorum in formam candelabrorum confectæ), et multo minus ibi ponantur figuræ animarum purgatorii, cujuscumque sint materiæ. » *Instructio Clementina*, § 4.

Ad Altare expositionis aliæ Missæ præter solemnem non celebrentur, nec sacra Communio distribuatur, nisi aliud Altare in ecclesia non habeatur.

III. Paramenta Altaris, ubi SS. Sacramentum exponitur, tam in Missa et in Vesperis, quam in Laudibus vespertinis, aut alio tempore, alba esse debent, etiamsi officium alium colorem exigat ; paramenta autem Celebrantis et Ministrorum Missæ aut

Vesperis conformia. In Laudibus vespertinis, aliisque expositionibus oportet, ut Celebrans quoque ac Ministri albi coloris paramentis utantur, nisi illa fiant immediate ante vel post Missam aut Vesperas ; ita ut ab Altari non discedatur : tunc enim color Missæ vel Vesperis proprius adhibetur. In omni tamen casu albo semper velo humerali utendum est pro danda Benedictione.

IV. Cereorum numerus, juxta Decreta S. Rituum Congregationis, pietati facientis expositionem remittitur, ita tamen ut in conveniente saltem numero numquam deficere possint. Optandum omnino, ut præter sex candelas in majoribus candelabris, quatuor etiam ardeant a lateribus Tabernaculi, seu Ostensorii.

V. Tres regulariter assistunt ministri, superpelliceis mundis induti, videlicet thuriferarius, et duo ceroferarii cum candelabris et candelis ardentibus. In majoribus ecclesiis, præcipue in festivitatibus, sub Laudibus vespertinis, aut sub Benedictione SS. Sacramenti, plures ministri laudabiliter genuflectunt cum tædis ardentibus, ab utroque latere Altaris.

In Laudibus vespertinis et Benedictione SS. Sacramenti, Celebrans officium peragit vel solus, vel cum Sacerdote assistente, vel cum Diacono et Subdiacono. Sacerdos assistens superpelliceo induitur, super quod stolam imponit, dum aperit et claudit Tabernaculum, aut tangit SS. Sacramentum. Diaconus et Subdiaconus, si assistant, amictu, alba, cingulo, dalmatica vel tunicella (numquam vero pluvialibus) sint induti, et Diaconus etiam stola. Alii ministri parati in Laudibus vespertinis, seu Benedictione SS. Sacramenti non assistunt.

VI. SS. Sacramentum exponitur hoc modo : Celebrans cum Ministris ad Altare, in quo SS. Sacramentum asservatur, accedens, genuflectit in plano, mox surgens, in infimo gradu genuflexus paululum orat ; oratione facta, ascendit, Tabernaculum aperit, et SS. Sacramentum in Ostensorio positum exponit, genuflectit, descendit, genuflexione facta incensum imponit, et SS. Sacramentum triplici ductu thurificat.

Si SS. Sacramentum in alio Altari sit exponendum, eo transferendum est sub baldachino, vel saltem sub umbella, si fieri possit, cum sufficiente lumine, reverentia debita, et apparatu conveniente. Cum ad Altare, in quo SS. Sacramentum exponendum est, Celebrans pervenerit, sine Benedictione Ostensorium loco præparato deponit, genuflectit, descendit, et super infimo Altaris gradu genuflexus, SS. Sacramentum thurificat.

VII. In Laudibus vespertinis, exposito SS. Sacramento modo jam dicto, Celebrans genuflexus manet usque ad finem in infimo Altaris gradu, non autem in genuflexorio tapete et pulvinis parato, quod solis competit Episcopis loci Ordinariis. Surgit ad Orationes, quas cantat recto tono, ac junctis manibus, ministris genuflexis interim librum tenentibus.

In his Laudibus exposito SS. Sacramento cantari possunt :

1° Aliqua antiphona, hymnus, vel canticum SS. Sacramenti, sed sine versu et Oratione.

Deinde antiphona, hymnus, litaniæ B. M. V. vel *Ave Maria*,

cum versu et Oratione de tempore, vel de ejus Festo, si occurrat, præmisso *Dominus vobiscum*.

2° Antiphona vel hymnus Sancti cujus festum celebratur, vel cujus memoria agitur, vel patroni ecclesiæ particularis, aut loci, aut Ecclesiæ universalis, cum versu et Oratione, sine *Dominus vobiscum*, et sine *Divinum auxilium*. Hoc loco cantari etiam potest psalmus vel responsorium pro defunctis, cum versu et Oratione ex Officio Defunctorum.

3° Dicuntur preces imperatæ, si præscriptæ sint. Hæ porro recitandæ, seu cantandæ sunt vel in omnibus, vel in aliquibus Laudibus vespertinis, prout per mandatum Archiepiscopale præscribuntur. Illis autem diebus, in quibus præscriptæ sunt, de mandato dicendæ, et numquam sunt omittendæ. Potius alia, quæ pro devotione cantantur, prætermittenda, vel ita moderanda sunt, ut quæ de mandato dicenda sunt, opportune fieri valeant.

Notandum est, illa quæ supra dicuntur, intelligenda esse de ordinariis Laudibus vespertinis; in expositionibus enim seu Laudibus brevioribus, quæ v. g. in mense Majo, aut alia occasione celebrantur, cantato hymno, vel antiphona, v. g., de B. M. V., cum versu et Oratione, dari potest Benedictio, modo ante eam *Tantum ergo*, et *Genitori*, ac Oratio SS. Sacramenti præcesserint.

4° Supradictis cantatis, omnino cantari debent hæ duæ strophæ *Tantum ergo*, et *Genitori Genitoque*, ℣. *Panem de cœlo*, et Oratio SS. Sacramenti *Deus, qui nobis*, cum conclusione brevi *Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum*, sine *Dominus vobiscum*, ante vel post Orationem.

Celebrans genuflexus manet sub stropha *Tantum ergo;* sub stropha autem *Genitori* incensum imponit, et SS. Sacramentum thurificat.

Cantata Oratione SS. Sacramenti, datur Benedictio. Interim nihil cantari potest; organum autem graviori et dulciori sono pulsatur, et solitum datur signum, triplici vel continuato campanulæ pulsu. Item sub Benedictione, vel potius infra cantum strophæ *Genitori Genitoque*, campana in turri per aliquot vices pulsari potest, ad invitandos fideles, ut si ad ecclesiam accurrere nequeant, SS. Sacramentum adoraturi, et Benedictionem accepturi, mentes saltem ad Deum elevent, eumque in cordibus adorent.

Ad dandam Benedictionem, Celebrans, velo humerali assumpto, ascendit ad Altare, genuflectit, ipsemet sine alterius adjutorio accipit Ostensorium, manibus velo coopertis, se vertit ad populum, et cavens ab omni præcipitantia, oculis in SS. Sacramentum intentis, summa cum gravitate, reverentia ac devotione dat Benedictionem. Qua data, revertitur ad Altare, et SS. Sacramentum sine nova thurificatione reponit in Tabernaculum. Si Ostensorium in loco eminenti sit positum, illud prius super mensam Altaris deponere potest; deinde genuflexus in ora suppedanei, velum humerale assumit, tum iterum ad Altare accedit, genuflectit, et accipit Ostensorium ad dandam Benedictionem.

Si alter Sacerdos vel Diaconus assistat, hic Ostensorium, e loco eminenti super corporale in mensa Altaris explicatum, deponere potest, si opus sit, priusquam Celebrans ad Altare ascendat; et similiter post Benedictionem ipsum in Tabernaculum recludere valet. Item quod, ut supra dictum est, Celebrans per seipsum Ostensorium accipiat et deponat, hoc solummodo intelligendum est ante et post Benedictionem; in aliis enim casibus, Celebrans utroque genu in ora suppedanei genuflexus, accipit Ostensorium a Sacerdote assistente vel Diacono, et similiter Sacerdos assistens vel Diaconus illud a Celebrante genuflexus utroque genu recipit.

Si SS. Sacramentum ad Tabernaculum transferendum sit, id fiat data Benedictione, ac eodem modo quo ante expositionem allatum fuit.

VIII. Si Missa cum SS. Sacramenti expositione celebranda sit, tunc idem Sanctissimum sine Benedictione danda exponitur, ut supra dictum est. Exposito SS. Sacramento, Missa inchoatur, eaque finita, ac lecto ultimo Evangelio, Celebrans genuflexione facta in medio Altaris, descendit. Eo genuflexo super infimo Altaris gradu, cantantur duæ strophæ *Tantum ergo*, et *Genitori*, cum versu *Panem de cœlo*. Sub stropha *Genitori*, Celebrans incensum imponit, et SS. Sacramentum incensat. Post versum cantat Orationem, qua cantata, dat Benedictionem eodem modo, quo supra dictum est in fine Laudum vespertinarum.

In Festo, et infra Octavam SS. Corporis Christi, alia Benedictio dari nequit infra sequentiam *Lauda Sion*, seu infra Missam.

IX. Quod si Vesperæ cum expositione SS. Sacramenti cantentur, exponitur SS. Sacramentum ut ante Laudes vespertinas; finitis Vesperis, cantantur *Tantum ergo*, et *Genitori*, cum Oratione SS. Sacramenti; et deinde datur Benedictio, ut supra dictum est.

X. In Adoratione perpetua, in Precibus XL Horarum, et quotiescumque SS. Sacramentum per plures horas manet expositum, Benedictio non datur in principio expositionis. Cantari tamen tunc potest antiphona, vel hymnus de Venerabili, cum Oratione, cui *Dominus vobiscum* præmitti potest.

Laudes vespertinæ, quæ his diebus tempore pomeridiano celebrari solent, ordinantur ut supra dictum est, cum hac tamen differentia, quod Oratio de Venerabili addatur post antiphonam, quæ de eodem in principio Laudum vespertinarum cantari solet.

Toto adorationis tempore non datur Benedictio, nisi vesperi, dum SS. Sacramentum deponitur. In fine adorationis plures psalmi, hymni, aut antiphonæ cantari possunt; ante Benedictionem autem omnino cantandæ sunt strophæ *Tantum ergo*. et *Genitori*, cum versu et Oratione SS. Sacramenti, ut in fine Laudum vespertinarum. Quibus cantatis, eodem modo datur Benedictio, ut ibidem dictum est.

XI. In Processione SS. Sacramenti, Celebrans, assumpto Ostensorio, sine benedictione danda procedit. Extra ecclesiam, una alterave Benedictio dari potest ad Altaria quæ in via occurrunt, modo rite sint exstructa et decenter ornata. In fine Processionis, Celebrans Ostensorium sine Benedictione danda

deponit ; genuflectit super infimo gradu Altaris, dum interim cantatur *Tantum ergo ;* incensum imponit, et SS. Sacramentum incensat, dum cantatur *Genitori;* cantato versu *Panem de cœlo*, cantat Orationem SS. Sacramenti, et deinde dat Benedictionem, ut in fine Laudum vespertinarum.

XII. Omnes Benedictiones cum SS. Sacramento juxta præscriptum supra ritum dandæ sunt, exceptis tantum illis, quæ in Rituali Romano occasione administrationis sacri Viatici præscribuntur.

Porro in delatione SS. Sacramenti ad infirmos, abstinendum est a Benedictionibus frequentioribus, et aliæ non dentur præter illas duas, quæ a Rituali sunt præscriptæ, vel quæ per consuetudinem legitimam sunt approbatæ, uti censetur ista, quæ datur militibus in actuali servitio honorem SS. Sacramento exhibentibus.

Mandamus, ut præcedens instructio Directorio inseratur.

Mechliniæ, 6 Decembris 1872.

† VICTOR AUGUSTUS, Arch. Mechlin.

APPENDIX II

187. De Expositione SS. Sacramenti solemnissima in Oratione XL horarum, et Adoratione perpetua

Pium exercitium Orationis XL Horarum, sic dictum quod tot horarum non interruptum spatium complectitur, initia habuit Mediolani, circa annum 1534, ad recolendum tempus quo durante Christi corpus latuit in sepulchro. Non ita multo post ad aliquas Urbis Romæ ecclesias fuit propagatum : nam Pius IV, anno 1560, probavit confirmavitque Sodalitatem Orationis seu Mortis, quæ in singulis mensibus, statis diebus, per horas quadraginta, Christum imitata qui ad quadraginta dies jejunium in deserto protraxit, orationi vacabat, Dominicum Corpus decenti pompa circumferendo. Conjicere, non tamen certo affirmare licet, quod S. Eucharistia ab initio usque ad finem hujus Orationis exponi consueverit, cum constet tantum, in Processione solummodo, occasione Orationis instituta, S. Eucharistiam fuisse decenti pompa delatam.

Cum autem gravissimis causis urgeretur Ecclesia sub finem sæculi XVI, Clemens VIII, anno 1592, Constitutionem promulgavit, qua præstitit pio huic Instituto quod ipsum præcipue distinguit, videlicet perennitatem Orationis, siquidem in Urbe Romæ Orationem publicam ita instituit, ut in una incipiat Urbis ecclesia, priusquam in alia absolvatur, designatis per certum ordinem diversis Urbis ecclesiis ; et ita diu noctuque, quavis hora, toto vertente anno, sine intermissione Orationis incensum in conspectu Domini dirigatur.

Videtur ab initio Orationi coævam fuisse Expositionem SS. Sacramenti, quæ etsi ab initio in arbitrio forsan fuerit, vim postea legis obtinuit; nec amplius licet Orationem XL Horarum indicere, sine simultanea SS. Sacramenti Expositione, et perpetua adoratione.

Hujus sacræ actionis decori fuit consultum per edicta, diversis temporibus prout circumstantiæ exigebant edita : hæc sparsim statuta colligi jussit Summus Pontifex Clemens XI, anno 1705, præscribens celeberrimam methodum in hac Oratione servandam, quæ ab ejus auctore Instructio Clementina dicitur. In hac Clementina Instructione reperitur dilucidis regulis præscriptum, quid in Expositione, Oratione, Processione, et Repositione, cum ab ecclesiasticis, tum a laicis viris agendum sit. Quædam ea continet, quæ cum sint generalia, et ad essentiam pertineant cultus S. Eucharistiæ debiti, nedum Romæ in sola Oratione XL Horarum, sed etiam alibi, et quidem ubique, et in aliis omnibus Expositionibus quæ per annum fiunt, servanda omnino sunt. Cætera vim legis habent pro Urbe Roma tantum, et ad alias Ecclesias extra Urbem non extenduntur, licet laudabile multum sit, ut ubique serventur, nisi aliud ab Ordinariis locorum statuatur. Hanc Instructionem doctis annotationibus et commentariis illustrarunt Cavalieri, Tetamus, et præsertim Gardellini, cujus Commentaria excepta fuerunt in Collectione authentica Decretorum S. Rituum Congregationis.

Quod patriam nostram attinet, scribit Emus Dnus Card. Sterckx, Archiepiscopus Mechlin., in Litteris ad clerum mense Octobris 1862 datis (Cfr. Epistolæ Pastorales, T. III, p. 602), notum est Ill. Dominum Carolum, Episcopum Leodiensem, anno 1765, instituisse Confraternitatem Adorationis perpetuæ, qua diu noctuque SS. Sacramentum in sua Diœcesi adoraretur, quamque SS. Dominus Clemens XIII, eodem anno, confirmavit, variisque indulgentiis locupletavit. Ex variis Belgii Diœcesibus, continuo plurimi fideles, imo et integræ parochiæ, Confraternitati Leodiensi nomen dederunt; et quidem, anno 1791, Emus Dnus Joannes Henricus Cardinalis de Franckenberg, Archiepiscopus Mechlin., acerbissimis illius temporis calamitatibus commotus, gnaviter incubuit, ut ista devotio in Diœcesi sua magis magisque accresceret, eamque adeo Confraternitati Leodiensi aggregari, ejusque indulgentiis ditari curavit, ut patet ex ejus Epistola pastorali, data 26 Augusti 1791.

Ex ista autem Epistola, ex adjuncto elencho Ecclesiarum in quibus Adoratio per singulos anni dies fieri debebat, atque ex Instructionibus quæ eodem tempore cum Præsulis approbatione typis editæ fuerunt, abunde liquet, istud accurate servatum fuisse, quod huic institutioni proprium est, perpetuitatem scilicet adorationis; sollicite enim ordinatum fuit, ut singuli totius anni dies alicui parochiæ assignarentur, in unaquaque parochia pro omnibus diei noctisque horis adoratores designarentur, et statim ac in una parochia desineret, in altera inciperet adoratio.

Ita factum est quod hæc salutifera devotio in Diœcesi nostra maxime vigeat, et ad implorandam Dei opem, avertendasque

tam privatas quam publicas calamitates, non parum contribuat.

Per Epistolam 15 Januarii 1863, Emus Dnus Card. Sterckx, Archiepiscopus Mechlin., Adorationem perpetuam in Archidiœcesi de novo ordinavit, ut deinceps Adoratio vere perpetua seu continua in Diœcesi locum habeat; in quem finem, pro omnibus et singulis anni diebus, tales parochiæ taliaque monasteria designata fuerunt, in quibus, collatis consiliis, is adoratorum numerus facile reperiri possit, qui sufficiat ut diu noctuque adoratio sine interruptione fiat. Cum vero in singulis ecclesiis una tantum die etiam per noctem Adoratio perduret, et non sit vera Oratio XL Horarum, neque hujus privilegiis gaudeat, idem Emus Dnus a SS. Domino Pio PP. IX privilegium imploravit, vi cujus Missa solemnis Expositionis cani possit votiva SS. Sacramenti. Sanctitas sua precibus clementer annuere dignata est per sequens Indultum, 11 Decembris 1862.

MECHLINIEN.

Quum Emus et Rmus Dominus Cardinalis Engelbertus Sterckx, Archiepiscopus Mechlinien., omnia jam disposuerit, ut Adoratio perpetua sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, quæ modo exstabat in aliquibus Ecclesiis, locum habeat in omnibus Ecclesiis Parochialibus Diœcesis sibi commissæ, ita tamen ut una dumtaxat die, etiam per noctem, in singulis Ecclesiis Adoratio perduret, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX privilegium humillime imploravit, vi cujus Missa solemnis Expositionis cani possit votiva Sanctissimi Sacramenti, juxta Decretum sa : me : Clementis Papæ XII, diei 1ª Septembris 1730, quamvis non sit vera Oratio quadraginta horarum, Sanctitas sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, precibus clementer annuere dignata est : dummodo Rubricæ serventur : Contrariis nonobstantibus quibuscumque. Die 11 Decembris 1862.

C. Epus Portuen. et S. Rufinæ Card. Patrizi S. R. C. Præf.
D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

Pro hac Missa votiva cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, QQ. 278-281.

Hic notanda quædam veniunt de servandis, ubi dies Adorationis perpetuæ incidit, vel in Dominicam Palmarum, aut Festum Purificationis, aut Feriam IV Cinerum ; — vel in Triduum sacrum Majoris Hebdomadæ ; — vel in Festum S. Marci, et dies Rogationum ; — vel tandem in Commemorationem Fidelium Defunctorum. Pro quibus describitur Instructio specialis, in Directorio anni 1864 data.

1. Ubi dies Adorationis perpetuæ incidit in Dominicam Palmarum, non omittitur Adoratio ; sed « si fieri debeat, vel deceat ut fiat Benedictio Palmarum, hæc facienda erit in alio Sacello laterali, quo magis fert Ecclesiæ structura, distante ab Ara maxima, in qua SS. Sacramentum expositum est, servatis omnibus cæremoniis in Missali præscriptis, sed absque Processione. » (S. Rituum Congregatio, Decret. 17 Septembris 1822, n. 2621, ad 9, antiq. 4590, ad 10.) Quod si Ecclesia sit nimis angusta,

vel unum habeatur Altare, tunc expedit potius, ut Benedictio Palmarum omittatur, prout in civitatibus absque incommodo fieri potest, cum in aliis Ecclesiis palmæ benedicantur. Si autem omitti nequeat, SS. Sacramentum competenti velo interea occultari potest, ut fiat Benedictio absque Processione : vel cum Adoratio perpetua non requirat, ut SS. Sacramentum continuo exponatur, hoc potius in Tabernaculum reponitur, illudque clauditur; facta Benedictione Palmarum, et deinde Processione, SS. Sacramentum rursus exponitur, sed absque Benedictione.

Eodem modo procedendum est in Festo Purificationis, et Feria quarta Cinerum.

2. Feria quinta, in Cœna Domini, SS. Sacramentum tantum exponi potest usque ad initium Officii, seu Missæ solemnis : qua finita, fit Processio, et Calix cum S. Hostia portatur ad locum, ubi reponi tunc solet, ibique ardentibus semper cereis, adoratio continuatur. Vesperi autem Benedictio cum SS. Sacramento est omittenda.

Feria sexta, in Parasceve, adoratio coram SS. Sacramento in sacro sepulchro mane facienda est, Benedictio cum SS. Sacramento danda non est, neque ulla alia facienda expositio ; sed Missa præsanctificatorum finita, Altare denudandum est, et Adorationis horæ, sive domi, sive in Ecclesia implendæ sunt, sicut alias de nocte fieri oportet.

Sabbato Sancto, SS. Sacramentum tantum exponitur post Missam solemnem, deinde reliqua fiunt more solito, et vesperi Benedictio datur.

In Ecclesiis et Oratoriis, in quibus functiones Tridui sacri fieri non solent, aut defectu ministrorum fieri nequeunt, ab Altaris ornatu abstinendum, et ab Expositione SS. Sacramenti « omnino cessandum est a mane Feriæ quintæ usque ad mane Sabbati Sancti » (S. Rituum Congregatio, Decret. 12 Martii 1661, n. 1190, antiq. 2098); et Adoratio perpetua in Ecclesia, vel domi est prosequenda.

3. In Festo S. Marci, et diebus Rogationum, nihil obstat, quominus SS. Sacramentum patenter exponatur. Attamen, si Processio extra Ecclesiam fiat, curandum est, ut interea sufficiens adsit adorantium numerus ; et si intra Ecclesiam fieri soleat, præstat eamdem omittere, et genibus flexis Litanias cantare coram SS. Sacramento, nisi interim SS. Sacramentum in Tabernaculum reponatur, ut supra de Dominica Palmarum dictum est.

In his diebus, si fiat Processio, Missa Processionis de Rogationibus cum Commemoratione SS. Sacramenti cantanda est ; si autem Processio non fiat, et duplex 1 aut 2 cl. non occurrat, votiva SS. Sacramenti cantari potest.

4. In Commemoratione Fidelium Defunctorum, licet recitare Officium Defunctorum, et celebrare Missam solemnem, et etiam privatas de *Requiem* non autem ad Altare Expositionis. Si unicum sit Altare, tunc vel Officium et Missæ celebrantur in colore violaceo, vel SS. Sacramentum interea in Tabernaculo reconditur.

APPENDIX III

188. INSTRUCTIO CLEMENTINA

Sæpius in præcedentibus quæstio fuit de Instructione Clementina : quid sit, et unde nomen habeat, notatur in initio præcedentis Appendicis. Admodum utile visum fuit Instructionis textum hic submittere, quia præter certam quam præscribit methodum dilucidis regulis dispartitam, ad quam tuendam, servandamque omnes indistinctim tenentur Urbis Ecclesiæ, insuper quædam continet, quæ cum sint generalia, et ad essentiam pertineant cultus sacræ Eucharistiæ debiti, nedum Romæ in sola Oratione XL Horarum, sed etiam alibi, et in aliis omnibus Expositionibus, quæ per annum fiunt, servanda omnino sunt. Quod quidem procedit non ex præscripto Instructionis, quæ unam respicit Orationem XL Horarum pro Ecclesiis Urbis; verum ex Ecclesiæ instituto ac disciplina, et ex Sacrarum Congregationum decisionibus. Cætera vim legis habent quoad Urbem, sed ad alias Ecclesias non extenduntur, licet laudabile multum sit, ut ubique serventur. (Gardellini, *Commentaria ad Instructionem Clementinam,* n. 9.) Circa Instructionis obligationem sequens dedit Decretum S. Rituum Congregatio (12 Julii 1749, n. 2403, antiq. 4203) : Ad dubium : « An Instructio pro Oratione quadraginta horarum Romæ, jussu felic. record. Clementis XI primum edita, etiam extra Urbem servari possit, et debeat? » S. Congregratio respondit : « Prædictam Instructionem extra Urbem non obligare, laudandos tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statutum sit. » Instructio quæ primum auctorem habet Summum Pontificem Clementem XI, ab ejusdem successoribus, Innocentio XIII, Benedicto XIII, et Clemente XII, fuit confirmata ; edita fuit, de mandato Clementis XII, a Vicario Generali Summi Pontificis, italico sermone, ex quo hic redditur in latinum. (Cfr. Manuale Decretorum S. Rituum Congregationis, Editio Ratisbonen. anni 1873, pag. 844,)

INSTRUCTIO ET ORDO SERVANDUS IN ORATIONE CONTINUA QUADRAGINTA HORARUM, CUM EXPOSITIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI, PRO NECESSITATIBUS S. ECCLESIÆ, JUXTA PIAM MENTEM SUMMORUM PONTIFICUM, CONFIRMATA, ET ITERUM PUBLICATA DE MANDATO D. N. PAPÆ CLEMENTIS XII.

PROSPER, tituli S, Silvestri in capite S. R. E. Cardinalis Marefoschi, Sanctitatis Suæ Vicarius Generalis.

§ 1. Quum ab ipso tempore, quo introducta est SS. Sacramenti expositio pro XL Horarum Oratione continua, datæ fuerint plures ordinationes, hujusmodi sacræ functionis decorem spectantes, quumque easdem apprime observari, necnon abu-

susin quibusdam ecclesiis irreptos tolli curandum sit, de speciali mandato Sanctitatis Suæ, vivæ vocis oraculo nobis dato, in omnibus almæ Urbis ecclesiis, tam patriarchalibus quam collegiatis et parochialibus sicut et in quavis alia ecclesia, sive sæcularium, sive regularium, quolibet modo privilegiata, ac speciali mentione digna, in qua prædicta XL Horarum Oratio obtinebit, sub infrascriptis pœnis, quæcumque in hac novissima Instructione præscribuntur, inviolabiliter observare ordinamus et præcipimus.

§ 2. Supra januam ecclesiæ, in qua fit expositio, et a capite vicinæ viæ, ponatur signum SS. Sacramenti sertis festivis ornatum, ut transeuntibus innotescat, inibi fieri SS. Sacramenti expositionem.

§ 3. SS. Sacramentum exponendum erit in Altari majori (exceptis tamen Basilicis patriarchalibus, in quibus in alio Altari exponi consuevit), cooperienturque imagines vel statuæ quæ ibidem reperiuntur ; item tribunæ, parietes, Altariaque vicina, deficientibus ornamentis fixis, pannis cooperiantur ; verum caveatur ne inter apparatus sint historiæ, resve profanæ.

§ 4. In altari non ponantur Sanctorum reliquiæ aut statuæ (non exclusis tamen angelorum statuis quæ candelabrorum vicem gerunt) ; multo minus ponantur animarum purgatorii figuræ, cujusvis sint materiæ ; quod etiam prohibetur in omnibus expositionibus particularibus, imo etiam in iis, quæ in illarum animarum suffragium quandoque instituuntur.

§ 5. Super altare prædictum, et in eminenti situ, sit Tabernaculum, sive Thronus cum baldachino proportionato albi coloris ; supra cujus pedem ponatur corporale ad reponendum Ostensorium aut custodiam radiis circumfulgentem ; contra vero quivis absit ornatus, ex quo SS. Sacramenti aspectus impediatur.

§ 6. Ad Altare continuo ardeant viginti saltem lumina, sex nempe candelæ unius libræ, quarum tres ab unoquoque latere Crucis, et octo candelæ in superiori parte, cum aliis quatuor a lateribus Ostensorii, in cujus parte anteriori nullum omnino ponatur lumen ; adsint tandem duo candelabra cum cereis, quorum unusquisque trium saltem sit librarum. Idem quoque, clausa ecclesia, per noctem retineatur luminum numerus, quorum decem saltem sint ex cera : tempore autem vespertino tot in ecclesia ponantur lumina, quot ad vitandam confusionem sufficiant, accensaque remaneant usquedum januæ claudantur. Fenestræ Altari expositionis vicinæ, etiam per diem claudi aut cooperiri poterunt, ad fovendam fidelium in oratione recollectionem.

§ 7. Nemo sæcularis etsi cujusvis societatis sacco vestitus, ad Altare circumire audeat ad lumina curanda aut ad aliud quid agendum ; sed adesse debet Sacerdos, aut saltem clericus, cum superpelliceo, quod super propriam vestem regulares etiam cujuslibet religionis induant. Notandum præterea, ex Decreto S. Rit. C. Urbis, 19 Augusti 1651, a quibuscumque personis cujusvis conditionis et ordinis, transeuntibus ante SS. Sacra-

mentum expositum, in accessu et recessu, faciendam esse, flexis duobus genibus, reverentiam. Quod attinet ad Sacerdotem, Missam privatam celebrantem, sciendum, dari ejusdem S. Congr. Decretum Urbis, 7 Septembris 1638, quo præscribitur, ut transiens ante Altare in quo expositum manet SS. Sacramentum, adorationem faciat flexis genibus et capite detecto, dein surgat caput tegendo.

§ 8. Durante expositione, in ecclesiæ porta, sive ad intra, sive ad extra, prout commodius erit, appendatur tapetum in aulæi forma, cum aliquo tamen spatio a lateribus, pro populi commoditate, illudque ita disponatur, ut a via numquam possit aspici SS. Sacramentum.

§ 9. Per vices unus aut alter Sacerdos, vel saltem aliqui in alio sacro ordine constituti, superpelliceo vestiti, si fieri potest (etsi regulares sint), continuo adsint genuflexi, non supra genuflexoria, sed ad aliquod scamnum, tapeto, pannove rubro, aut alterius coloris et decentis qualitatis coopertum, prope infimum Altaris gradum, orantes die ac nocte. Ubi autem existit aliqua confraternitas, suis vicibus pariter assistant saltem duo confratres ad scamnum, panno viridi alteriusve decentis coloris coopertum, sed extra presbyterium, atque a dictis Sacerdotibus distantes, et cum omni devotione in adstantium ædificationem orent, sed submissa voce, ne cæteris distractiones afferant.

§ 10. In sacristia sit horologium, saltem pulveritium, ad singulorum adorationis tempus dignoscendum : de quo omni diei ac noctis hora dabitur signum cum majori campana.

§ 11. Pridie expositionis vespere, dato signo pro *Ave Maria*, ad commonendum populum solemni modo campanæ pulsentur; idemque fiat mane sub aurora, et, durante expositione, post alia omnia signa salutationis *Ave Maria ;* pariterque triplici vice de more pulsentur ante Missas solemnes.

§ 12. In Altari ubi est expositum SS. Sacramentum, nulla alia celebretur Missa præter solemnem in expositione et repositione. Hisce diebus præter conventualem (in ecclesiis in quibus datur obligatio eam cantandi), celebretur post Nonam Missa SS. Sacramenti votiva *pro re gravi*, exceptis tamen omnibus Dominicis 1æ aut 2æ classis, et omnibus diebus in quibus juxta calendarium tam universale quam particulare illius ecclesiæ in qua fit expositio, pariter fit officium 1æ aut 2æ classis, item excepta feria 4ª Cinerum, feria 2ª, 3ª et 4ª Majoris Hebdomadæ, omnibus diebus per octavas Paschæ et Pentecostes, vigiliis festorum Natalis Domini et Pentecostes, atque per octavam Epiphaniæ ; in hisce Dominicis, aliisque diebus et feriis exceptis, canetur Missa conventualis cum adjuncta oratione SS. Sacramenti *sub una conclusione*. Quæ omnia in omnibus ecclesiis, tum sæcularium, tum regularium servabuntur.

§ 13. Die autem medio, præter Missam conventualem, post Nonam cantari debet votiva Missa *pro pace*, vel alia a Sua Sanctitate præscripta, prout in elencho XL Horarum expressum fuerit, sed semper sub eadem exceptione quoad dies supra relatos, et sub eadem regula quoad orationem.

§ 14. Verum in ecclesiis non collegiatis, et ubi non datur obligatio Missam conventualem cantandi, in præfato die medio solemniter canenda est tantum prædicta Missa votiva, cum oratione et sub regula supra exposita pro Missa SS. Sacramenti. Ea autem Missa canenda est in Altari diverso ab eo in quo fit expositio, et ab eo in quo adsit Tabernaculum cum incluso Sacramento. In ecclesiis vero quæ obligationem habent Missam conventualem cantandi, ea quoque cantabitur in alio Altari, uti dictum est.

§ 15. Expresse jubetur ut in diebus expositionis, medio, et repositionis, Missæ canantur cum ministris paratis, et non aliter, etiam in ecclesiis regularium, non obstante quocumque eorum usu aut prætensa consuetudine in contrarium.

§ 16. In Missis privatis, quæ durante expositione celebrantur, non pulsetur campanula ad elevationem, sed tantum in egressu Celebrantis e sacristia detur tenue signum cum solita campanula.

§ 17. Non celebrentur Missæ *de Requiem* tempore quo peragitur Oratio XL Horarum; et Missæ SS. Sacramenti, quæ diebus a rubrica permissis celebrabuntur, simpliciter votivæ sint sine *Gloria* et *Credo*. In aliis vero Missis currentis diei, post orationes a rubrica præscriptas, addatur oratio SS. Sacramenti, ita mandante Sua Sanctitate.

§ 18. Celebrans, SS. Sacramentum in processione delaturus, pluviali albo indutus erit, quando non celebraverit cum paramentis alterius coloris; nam in hoc casu color Missæ retineretur. Velum autem humerale erit albi coloris in quocumque casu SS. Sacramentum deferendum est (etiam Feria VI in Parasceve); et sacrorum ministrorum paramenta ejusdem coloris ac Celebrantis, ut supra. Pariter pallium Altaris in quo fit expositio, semper erit albi coloris, quamvis diversi coloris sint paramenta Missæ solemnis quæ in hoc die celebratur. Item baldachinum inserviens processioni albi coloris esse debet.

§ 19. Finita Missa solemni pro expositione, Celebrans et ministri, factis Sacramento debitis reverentiis, ad latus Epistolæ recedunt, ibique Celebrans manipulum (pariterque ministri) deponit, planetam exuit pluvialeque assumet; incensum ibidem in duobus thuribulis ponet, illud non benedicendo, et postea cum ministris, in medio genuflexis, ter Sanctissimum adolebit. Postquam processio fuerit ordinata (quæ ordinari incipiet, facta Elevatione, aut prius, prout magis aut minus erit numerosa), Diaconus, congruo tempore, facta in suppedaneo genuflexione, Sacramentum assumet, illudque stans genuflexo dabit Sacerdoti; statimque Diacono genuflectente, Celebrans, manibus extremitate veli humeralis coopertis, illud assumet et surget. Incœpto dein a cantoribus hymno *Pange lingua* etc., sub baldachino procedit, submissa voce psalmos et hymnos recitans cum ministris pluvialis fimbrias sustinentibus.

§ 20. Processio ex toto ecclesiæ clero componetur; crucifer in hac functione non subdiaconali habitu, sed superpelliceo erit indutus. Intererunt, superpelliceo induti, et cum cereis ardentibus in manu, octo Sacerdotes, qui hinc inde a lateribus ante

baldachinum ibunt : post ipsos subsequentur duo acolythi cum thuribulis, continuo per viam Sanctissimum incensantes ; et, durante processione, campanæ solemniter pulsabuntur.

§ 21. Intra ecclesiam fiet processio : quod si ecclesiæ angustia id exigat, per plateam exire potest, sed non longius; priusquam vero ex ecclesia egrediatur, curandum erit ut plateæ via nitide fuerit mundata. Ubi vero occurrit officina, tempore processionis erit claudenda.

§ 22. Quod si existant sæcularium confraternitates, sive sacco sint induti, sive non, tam eorum guardiani et officiales, quam confratres, omnes simul in corpore progredientur ante ibi præsentem sæcularem et regularem clerum, cui semper digniorem locum cedere debebunt. Imo probibetur districte ne earum guardiani aliique officiales, sub quovis prætextu consuetudinis, aliove quocumque, audeant post baldachinum incedere, sub pœna, etc... Prælatus autem Primicerius talis confraternitatis ibit post baldachinum, non sacco, sed habitu suo prælatitio indutus, et rochetto, si eo utendi jus habet. Possunt tamen dicti officiales hastas baldachini portare, officium sane magni honoris, ut ait *Cæremoniale Episcoporum*, Lib. 2, Cap. 33 : *Deputentur nobiles viri, barones*, etc.

§ 23. Quinimo dicto clero tam sæculari quam regulari præcipimus, ut in propriis ecclesiis usum contrarium non permittat, sub pœnis in edicto anni 1689 expressis... Quod in omnibus processionibus et expositionibus particularibus pariter observandum est.

§ 24. Cum processio in ecclesiam regressa fuerit, jamque ad infimum Altaris majoris gradum Celebrans pervenerit, Diaconus genuflexus Sanctissimum recipiet ab eodem Celebrante (qui statim ipse genuflectet, velum humerale deponens), illudque in Throno reponet ac ad suum locum redibit, factis debitis reverentiis. Statim vero cantores in cantu pausato et devoto cantabunt *Tantum ergo* etc., et dum intonant *Genitori Genitoque*, Celebrans cum ministris erectus ibidem in medio et absque benedictione incensum ponit in thuribulo, et genuflexus ter Sacramentum adolebit. Hymno autem finito, omissoque *Panem de cælo,* etc., canentur a prædictis cantoribus Litaniæ positæ in libro pro XL Horarum Oratione edito. (Quo libro pariter, absque ulla immutatione, utendum erit in alia quavis Sanctissimi expositione particulari.) Precibus dictis, Celebrans (cui librum sustinebunt ministri) erectus, et absque nova genuflexione, manibus junctis, cantabit *Dominus vobiscum*, cum Orationibus subsequentibus ; quibus finitis, omnes genuflexi brevem instituent orationem, post quam recedunt, teguntque caput, dum e conspectu SS. Sacramenti recesserint; sicque incipiunt Preces XL Horarum.

§ 25. Juxta S. R. C. Decreta Celebrans uti non debet cubiculari sede, sed scamno (brachia non habente), cujus ornetur pars posterior rubri alteriusve decentis coloris panno, et in eo simul cum ministris sedeat. Multo minus sedibus cubiculariis uti debent in ecclesiis guardiani, deputati et officiales confra-

ternitatum, societatum aut congregationum laicalium; sed sedebunt in scamno cum dorso, brachia tamen a lateribus non habente, et absque ullo usu cussinorum, sicuti et absque gradibus et genuflexorio coram ipsis; illud autem scamnum tegi debet panno, non vero serico operimento, et omnino extra presbyterium collocabitur, quando prædicti Missis aut Vesperis solemnibus assistent, aut quando in presbyterio a clero celebrabitur aliqua sacra functio, juxta pluries declarata a S. C. R., et in particulari per Decretum generale, diei 13 Martii 1688. Prælatus Primicerius vero in habitu prælatitio intra presbyterium a latere Evangelii sedebit super scamno, quod panno aliquo ornetur, ut supra n. 22 dictum est.

§ 26. Attamen, si ob ecclesiæ formam conveniens locus non daretur extra presbyterium, tunc... indulgebitur, ut prædictum guardianorum scamnum collocetur e conspectu in uno latere, extra terminum presbyterii.

§ 27. Viris et mulieribus cujuslibet status aut conditionis (exceptis regiis personis, ubi adsunt) districte prohibetur, ne in presbyterium seu circuitum Altaris, in quo expositum est Venerabile, ingrediantur et orent, quum præfatus locus occupari solum debeat ab ecclesiasticis, divino ministerio aut adorationis officio addictis. Idque observandum est non solum in ecclesiis in quibus ordinaria recurrit expositio, sed etiam in aliis omnibus, in quibus ex Indulto Apostolico, aut ex alia legitima facultate, expositio fieri, licet per breve tempus, contingat. Rem ita exsequi providebunt superiores aut sacellani, occludendo presbyterium etiam scamnorum congerie, si opus fuerit. Mandamus præterea ac præcipimus rectoribus et superioribus cujusvis ecclesiæ, tam sæcularibus quam regularibus, ut, durante expositione, non præsumant quolibet sedium genus cuipiam personæ cujusvis sexus, gradus et conditionis, in ecclesiis afferendum concedere, sub pœna, etc.

§ 28. Tempore expositionis, licet particularis, non apponantur in ecclesiis lances ad eleemosynas deponendas, neque stabunt ad eas recipiendas religiosi aliive ecclesiastici, neque laici; sicuti neque clerici, confratres, mandatarii, aliæve personæ quæstuantes per ecclesiam circuibunt. Multo minus id agere poterunt pauperes, qui ab ecclesiæ januis decem cannis distantes stabunt, sub pœnis etc. Idcirco cura pariter erit superioribus et sacellanis, aliisque assistentibus, custodibus, orantium scilicet fidelium distractionis vitandæ gratia, invigilare, ne ecclesiam ingrediantur pauperes (eleemosynam petentes); cum rite possint benefici extra ecclesiam eleemosynas dare, prout ordinavit S. Sanctitas Clemens XI in speciali edicto, in quo omnibus fidelibus prohibet, ne in ecclesiis eleemosynam distribuant.

§ 29. Notandum, orationi finem in una ecclesia imponi non licere, nisi postquam eadem in altera jam incœperit; idque servabitur ab unaque ecclesia, etsi Basilica aut collegiata, aut quolibet modo privilegiata.

§ 30. Finita repositionis Missa, Celebrans assumet pluviale (observando ritum respective supra descriptum pro Missa

expositionis), et cum ministris coram SS. Sacramento in medio super infimum Altaris gradum genuflectet. Cantores statim intonabunt Litanias, quæ continuabuntur usque ad *Domine, exaudi orationem meam*, inclusive. Deinde erectus Celebrans cum ministris in medio, ponet incensum absque benedictione, et genuflexus ter SS. Sacramentum adolebit, atque assumet velum humerale.

Incensatione peracta, Diaconus, cum debitis reverentiis, Sacramentum e Throno levabit, statimque pedibus stans genuflexo Celebranti illud consignabit, ipso genuflectente Diacono statim ac Sacramentum consignaverit. Cæterum observanda veniunt respective quæ supra, ubi de expositione agebatur, de cæremoniis ac ritu processionis etc., dicta fuere.

§ 31. Post processionem, Celebrante ad infimum Altaris gradum regresso, Diaconus genuflexus ab ipso Celebrante stante recipiet Sanctissimum, coram quo idem Celebrans immediate genuflectet, velumque humerale deponet. Diaconus autem illud in medio Altaris supra corporale reponet, et ad suum locum redibit. Celebrans vero, ad versum *Genitori Genitoque* cum ministris erectus, absque benedictione incensum ponet, ut supra, et Sacramentum incensabit. Cantores dicent versiculum *Panem de cœlo* etc., (cui adjiciendum *Alleluja* tempore paschali ac per totam octavam Corporis Christi, in qualibet expositione). Tunc Celebrans erectus, nec iterum genuflectens, sustinentibus librum ministris (omisso *Dominus vobiscum*, ex Decreto S. R. C.), orationes, manibus junctis, cantabit ; quibus finitis, genuflexus humerale velum assumet, atque solus ad Altare ascendens, debitis factis reverentiis, manibus, uti dictum jam fuit, veli humeralis extremitatibus coopertis, Ostensorium capiet, quocum populo benedictionem impertietur; atque Sacramento supra corporale reposito, descendet, suoque loco genuflexus manebit. Statim Diaconus, aut Sacerdos cum stola, debitis factis reverentiis, Sacramentum includet in Tabernaculo, quod ad hunc finem in Altari expositionis retinendum erit ; hostia autem consecrata in Missa consumenda est, sive hac eadem sive insequenti die. His peractis, ab Altari discedent, sicque finem obtinebit Oratio XL Horarum.

§ 32. Tempore quo durabit eadem Oratio, districte interdicitur prædicare ; verum si quis, ad fovendam fidelium erga SS. Sacramentum devotionem, brevem concionem post Vesperas instituere velit, licentiam a Nobis, aut a Rmo Nostro Vice-Gerente, etiam pro ecclesiis regularium, et quomodocumque privilegiatis, petere debebit : et non modo in expositione XL Horarum, sed etiam in qualibet expositione ; quæ licentia dari debet in scriptis. Prædicaturus autem in ordine saltem diaconali erit, atque sermonem habebit superpelliceo indutus, quamvis regularis sit, sed sine stola, capite discooperto, prope Altare in quo Sanctissimum manet expositum, atque in eo situ, ut auditores non adducat ad actus irreverentiæ, convertendo terga ad Sacramentum.

§ 33. Ecclesiæ, in quibus instituetur XL Horarum Oratio,

vespere donec aderit populus ad orandum, apertæ manere debebunt ; quoniam tamen hac in re aliqua determinata hora stabiliri nequit, tum ob ecclesiarum situm, tum ob temporum mutationem, ideo circa horam tertiam in æstivo, et circa quintam in hiemali tempore claudi poterunt. (Respondet hora in Instructione indicata circiter nostræ horæ 9 aut 10 vespertinæ.) Advertendum interea, quod, etiam januis clausis, continuari debet Oratio, prout dictum fuit n. 10, quum dicta Oratio numquam interrumpi potest, ex Decreto S. R. C.

§ 34. Romæ in qualibet ecclesia, ad informationem fidelium, in apparenti loco affixus remanebit Elenchus XL Horarum.

§ 35. Pariter in quavis ecclesia, in qua expositionem institui statutum est, in sacristia continuo affixa erit præsens Instructio, ut nemo valeat regularum ac præscriptorum in ea traditorum ignorantiam prætendere.

§ 36. Extra ordinem in Elencho XL Horarum assignatum, nullus rector curatus, aut sacellanus, exponere SS. Sacramentum audeat, sub quovis prætextu aut consuetudine, neque ob causam gravem, aut pro infirmis, absque speciali Brevi Sanctitatis Suæ, aut saltem absque licentia a Nobis vel a Rmo Vice-Gerente et a Deputato XL Horarum subscripta ; qua obtenta exponetur Venerabile in Altari aut in capella, obducto velo, et servato supra dicto viginti luminum numero. Observandum item adamussim tempus quo expositio durare potest, prout in dicta licentia assignatur, sub pœnis etc.

§ 37. Tandem districte præcipitur, ut omnia supra enunciati Ordinis mandata inviolabiliter observentur ; sub pœnis etc.

Datum ex residentia Nostra, hac prima die Septembris 1736.

Prosper, Card. Vicarius.

Uti patet ex Instructionis § 12, Missa in Oratione XL Horarum, tam pro Expositione quam pro Repositione, pluribus gaudet privilegiis, dummodo Oratio juxta Instructionem Clementinam adamussim peragatur, et etiam nocte non interrumpatur.

« Quod si alicubi fiat hujusmodi Expositio ad formam quidem Orationis quadraginta horarum, ita ut ad tertium usque diem protrahatur, nocte tamen recondatur Sacramentum, non amplius locum habebunt sanctionis regulæ, quæ tantummodo obligant ecclesias per turnum designatas pro Oratione quadraginta horarum. Improprie namque dicitur ad formam quadraginta horarum, cum desit id, quod præcipuum est Instituti ; perpetuitas scilicet Orationis per quadraginta successivas horas numquam interruptas, licet per tres dies fiat. » (Gardellini, *Commentaria*, § 33, n. 4.)

Ubi autem Instructio Clementina non observatur, privilegia pro Missa non sunt concessa,uti rescripsit S. Rituum Congregatio, per Decretum 12 Septembris 1840 (in Brugen. n. 2814, ad 3, antiq. 4897, ad 6), sine speciali Indulto sanctæ Sedis ; quale

concessum fuisse nostræ Diœcesi, pro die Adorationis perpetuæ tantum, in superius descriptis in Appendice II, videre est.

Quoad indulgentiam, occassione Orationis XL Horarum lucrandam, hæc notare juvat. Quamvis per S. Congregationem Episcoporum et Regularium, Decreto 5 Aprilis 1657, declaratum sit, indulgentias in Oratione XL Horarum lucrari non posse, nisi Expositio SS. Sacramenti continua sit diu noctuque, tamen Benedictus XIV, ne populus spirituali illo bono privetur, Episcopo Warmiensi, in Constitutione *Accepimus*, die 16 Aprilis 1746, rescripsit:

« Equidem veteris disciplinæ severitate remissa, nunc easdem indulgentias concedi intelligitur, etiamsi Sacramentum Eucharistiæ per horas quadraginta continuas gravissimis de causis minime prostet, modo tamen horis diurnis semper expositum publice relinquatur. » Porro triduo Septuagesimæ, vel Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ.imo etiam sola Feria quinta infra hebdomadam Sexagesimæ, universis Christi fidelibus, confessis et sacra Communione refectis, qui eas Ecclesias, in quibus Expositio SS. Sacramenti his diebus instituitur, devote visitaverint, et per tempus quoddam pias ad Deum preces effuderint, plenaria indulgentia conceditur. Ad hanc indulgentiam consequendam requiritur, ut Expositio fiat diebus dictis, et per tres dies, nisi sit Feria V Sexagesimæ, non autem ut per XL Horas, vel diu noctuque SS. Sacramentum exponatur, ut patet ex Constitutione Benedicti XIV, *Inter cetera*, de die 1 Januarii 1748. (Cfr. Schober, S. Alphonsi Liber de cæremoniis Missæ, Appendix III, Caput V, n. 5, nota 15.)

SECTIO III

De administratione SS. Eucharistiae Sacramenti

CAPUT I

DE TEMPORE DISPENSANDÆ SS. EUCHARISTIÆ

Q. 189. *Quo tempore potest fidelibus in ecclesia distribui S. Communio ?*

R. 1° Omnibus diebus potest S. Communio in ecclesia fidelibus distribui, si excipias diem Parasceves. Sabbato Sancto non licet SS. Eucharistiam distribuere ante Missam ; sed potest fieri intra Missam, et etiam post eam. De Communione intra Missam, sequens Decretum exstat : « An liceat in Sabbato Sancto inter Missarum solemnia Sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et num per eamdem sumptionem sa-

cræ Communionis præceptum Paschale adimpleatur ?» S. Rituum Congregatio respondit : « Affirmative in utroque. » (Decret. 22 Martii 1806, n. 2561, antiq. 4499. Cfr. Ephemerides Liturgicæ, III, 1889, pag. 153.)

Regulares SS. Eucharistiæ Sacramentum in ecclesiis suis ministrare possunt, etiam a Dominica Palmarum usque ad totam Dominicam in Albis, excepto die Paschatis ; ita tamen, ut in aliis diebus, sæculares sumentes Eucharistiam a Regularibus intra duas hebdomadas Palmarum et Paschatis, præceptum Paschale non impleant. (S. Congregatio Concilii, Decr. 31 Januarii 1632.)

2° De diei parte qua ministrari in ecclesia fidelibus potest SS. Eucharistia, declaravit S. Rituum Congregatio, id licere a tempore ad tempus quo Missæ celebrantur. (Decr. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 23, antiq. 4526, ad 37.) De nocte non licet ; et expresse prohibetur, sine Indulto speciali, S. Communionem distribuere in nocte Nativitatis Domini, in prima Missa solemni media nocte decantata, aut post eam. Plura hujusmodi Indulta his ultimis annis concessa fuerunt, præsertim pro Religiosis et Monialibus, et etiam pro laicis.

3° « Communio populi intra Missam statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda), cum Orationes, quæ in Missa post Communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent. » Ita Rituale, in Ordine administrandi S. Communionem.

Rationabilis causa, temporum nostrorum conditione perpensa, facile adest ; eamque semper generaliter adesse censendum est, quando Communio petitur. Communionem dare petentibus, immediate post Missam, et etiam ante Missam, est communis et laudabilis praxis Urbis ; hic est Ecclesiæ sensus ; hoc omnino tenendum, atque ita se gerendum. (Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 710.)

Olim Communio populi semper locum habebat post Communionem Celebrantis ; usus autem ministrandi

Eucharistiam extra Missam cœpit Hierosolymæ, a Sancti Cyrilli temporibus : confluente enim magna advenarum multitudine sacram deposcentium Eucharistiam, in ecclesia fieri minime poterat, ut quoties distribuendum esset Sacramentum, Missa celebraretur. Ab Ecclesia Orientali in Occidentalem ea consuetudo manavit.

De S. Communione distribuenda intra Missam, cfr. Benedictus XIV : *De SS. Missæ Sacrificio,* Lib. III, Cap. 18, nn. 9 et sqq. ; et opusculum : *La Communion des fidèles pendant la Messe*, par le R. P. Dom Gérard Van Caloen, O. S. B., 1884.)

Q. 190. *An sacra Communio potest distribui a Sacerdote qui celebraturus est, aut celebrat, aut celebravit Missam de « Requiem » in paramentis nigris ?*

R. Pro responso ad hanc quæstionem, juvat describere sequens S. Rituum Congregationis Decretum Generale, datum 27 Junii 1868, et approbatum 23 Julii ejusdem anni (n. 3177, antiq. 5403), in quo controversia simul ejusque solutio dilucide proponuntur :

Post liturgicas recentiores leges, a Summis Pontificibus Pio V, Clemente VIII, Paulo V, et Urbano VIII conditas, gravis exarsit controversia inter Doctores et Rubricistas :

« An in Missis defunctorum aperiri possit Tabernaculum ad fideles pane Eucharistico reficiendos. » Sacrorum Rituum Congregatio prima vice interrogata, in una Albinganen., 24 Julii 1683, ad 2, respondit : « Non esse contra ritum, ministrare Communionem in Missa de Requie, vel post illam, cum paramentis nigris, omissa benedictione, si administraretur post Missam.»

Verum controversia nondum composita, identidem Sacra Rituum Congregatio peculiaribus in casibus responsa dedit, quin umquam ad generale Decretum deveniret. Interea ex nonnullorum Doctorum placitis, tum pervasit opinio, posse nempe fidelibus Sanctam Eucharistiam ministrari particulis tantum in Missa pro defunctis consecratis ; tum in aliquibus locis mos invaluit Missas defunctorum celebrandi in paramentis violaceis, ut non solum intra Missam, sed etiam ante

vel post eamdem pietati fidelium Sacra Eucharistia refici cupientium satisfieret. Quapropter, Episcopis præsertim Sacrorum Rituum Congregationem sæpissime rogantibus, ut per generale Decretum quid hac in re faciendum sit statueret ;

Sacra eadem Congregatio, anno 1823, edixit, ut gravis hæc quæstio videretur peculiariter et ex Officio. Quod iterum obtinuit anno 1837, ad Dubium : « An mos qui perdurat adhuc, communicandi in Missis defunctorum cum particulis præconsecratis, possit permitti ? » responsum est : « Dilata. » Nihilominus ob temporum ac rerum circumstantias, isthæc peculiaris negotii hujusmodi salebrosi disquisitio ad ætatem usque nostram dilata fuit ; siquidem in Conventu, die 16 Septembris, anni 1865, collecto, cum ageretur de usu coloris violacei in Missis defunctorum in Altari ubi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur, responsum fuit tertio : « Dilata, et reproponatur una cum alio Dubio : An Sacerdos possit aperire Ciborium ad communicandos fideles cum paramentis nigris. »

Tandem novis supervenientibus Sacrorum Antistitum precibus, die 3 Martii, anni 1866, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, propositum fuit Dubium una cum sententia, quam ex officio aperuit alter e Consultoribus : « An Sacerdos possit aperire Ciborium ad communicandos fideles in paramentis nigris ? » Verum Emi et Rmi Patres Cardinales responderunt : « Dilata ; et scribat alter Consultor, nec non Assessor, reassumptis omnibus ad rem facientibus, habita præsertim ratione relate ad opportunitatem. »

Typis traditis communicatisque hisce sententiis, tum Rmi Assessoris, tum alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris specialiter deputati, Sacrorum Rituum Congregatio in Ordinario Cœtu hodierna die ad Vaticanum coadunata est : ubi Emus et Rmus Dominus Cardinalis Nicolaus Clarelli Paracciani, loco et vice Emi et Rmi Cardinalis Constantini Patrizi Præfecti absentis, idem proposuit Dubium ;

Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi, re mature accurateque perpensa etiam quoad opportunitatem, responderunt : « Affirmative, seu posse

in Missis defunctorum, cum paramentis nigris, Sacram Communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis præconsecratis, extrahendo pyxidem a Tabernaculo. Posse item in paramentis nigris, ministrari Communionem immediate post Missam defunctorum ; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam ; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu, quo die 2 Novembris, Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum publicæ fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione Quadraginta Horarum. »

Et ita decreverunt, ac ubique locorum, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, servari mandarunt die 27 Junii 1868.

Facta autem per Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX relatione, Sanctitas Sua Decretum Sacræ Congregationis approbavit et confirmavit, die 23 Julii ejusdem anni 1868.

CAPUT II

DE LOCO DISPENSANDÆ SS. EUCHARISTIÆ

Q. 191. *A quo, et in quo loco dispensanda est fidelibus S. Communio ?*

R. ad I. Solus Sacerdos est minister ordinarius SS. Eucharistiæ, et ipsi soli licet eam fidelibus dispensare: illi enim tantum de jure competit distributio S. Communionis, cui ejusdem competit Consecratio, quæ ad sumptionem dicit ordinem.

Diaconus vero, primus minister Sacerdotis, vi suæ ordinationis id etiam habet, ut committi ipsi possit distributio SS. Eucharistiæ, et est ejusdem minister extraordinarius ; in præsenti Ecclesiæ disciplina, licet Viatici administratio in periculo, absente Presbytero, a Diacono, etiam absque ulla commissione, fieri possit et debeat, alias tamen eidem Diacono SS. Eucharistiæ dispensatio nonnisi in vera gravique alicujus casus necessitate committi potest.

R. ad II. Primis Ecclesiæ sæculis, tempore persecutionum, frequenter fideles communicabant in domibus suis, sibimetipsis administrantes Panem sanctum, quem ex ecclesia in capsis asportabant. Pace Ecclesiæ data, hic usus remansit, per aliquot sæcula, pro solitariis, pro monasteriis in quibus non aderat Sacerdos, aliisque qui longius ab ecclesiis aberant.

In præsenti disciplina, Sacra Communio administranda est in Ecclesiis, vel in Oratoriis publicis, et etiam in semipublicis. In privato alicujus domus Oratorio dari non potest, nequidem cum particulis in Missa consecratis, sine licentia expressa Episcopi Ordinarii.

« Si Sacerdotibus, vel aliis ex Clero danda sit Communio, iis ad gradus Altaris genuflexis præbeatur, vel si commode fieri potest, intra sepimentum Altaris sint a laicis distincti. »

Sacerdotes communicant cum stola ejusdem coloris ac Sacerdos qui SS. Eucharistiam ministrat ; item Diaconi, qui assumunt stolam transversam.

Laicus qui Missæ inservit, communicatur ante alios, quamvis digniores, ratione ministerii. (S. Rituum Congregatio, Decret. 13 Julii 1658, n. 1074, antiq. 1907.) Ante ipsum tamen communicantur Clerici.

Pro Communione laici genuflectunt ad balaustrium, vel ad mensam ad cancellos presbyterii positam. Ante communicandos extenditur linteum mundum, dictum Dominicale.

Q. 192. *An sacra Communio potest distribui ad Altare, in quo Missa celebratur ? Si ad hoc Altare distribuitur, quid tunc a Celebrante, et sacram Communionem distribuente observandum est ?*

R. ad I. Negative, nisi aliud desit Altare, ad quod celebrari possit, et celebrandi habeatur necessitas, v. g. in ecclesia, in qua unicum est Altare, dies Adorationis perpetuæ in Dominica occurrit, magna multitudo Communionem exspectat, et populus congregatus est ad Missam audiendam. Missæ enim celebratio et Communionis distributio sunt actiones, quarum utraque Altaris usum requirit, et una alteram impedit. Item reverentiæ, quæ SS. Sacramento juxta Rubricas

præceptivas debentur, neque a Celebrante, neque a distribuente Communionem exhiberi possunt, sicut oportet. Consuetudo etiam quæ in aliqua ecclesia forte existit, celebrandi ad Altare, ad quod sacra Communio interim distribuitur, hanc praxim excusare et probare non valet ; hæc enim consuetudo numquam rationabilis et laudabilis dici potest, cum sit contra reverentiam SS. Sacramento debitam, et impediat quominus Rubricæ præscriptæ observentur.

Ad II. Celebranti servanda sunt sequentia : juxta plures auctores se gerit, ac si coram Summo Pontifice celebraret ; et proinde ter ante SS. Sacramentum genuflectit utroque genu, 1° in accessu ad Altare, 2° cum ab Altari descenderit, ut Missam incipiat, 3° finita Missa, antequam ad sacristiam discedat ; et bis unico genu, 1° facta Confessione, priusquam ad Altare ascendat, dicturus *Aufer a nobis*, et 2° in fine Missæ, antequam populo benedicat, se convertit ad Sacerdotem distribuentem sacram Communionem, flectit unico genu, statim surgit, dicit *Pater et Filius* etc. benedicens adstantes a parte, a qua non adest Sacerdos Communionem distribuens.

Si distributio inchoetur, cum Celebrans ad Altare pervenerit, antequam dicere inceperit *In nomine Patris* etc., tunc ad unum aut alterum latus Altaris genuflectit utroque genu, donec distributio finita, et Tabernaculum clausum fuerit ; vel saltem donec Sacerdos Communionem distribuere inceperit, si ea communicantium sit multitudo, ut exspectare non possit ; in quo casu, incepta distributione erigit se, et stans aliquantulum versus ad Altare incipit Missam. Item si distributio inchoetur finito Evangelio ultimo, similiter ad latus Altaris genuflectit utroque genu, donec distributio finita et Tabernaculum clausum fuerit ; vel, si plures sint communicandi, debitis factis reverentiis discedere potest. Si autem distributio inchoetur, postquam Celebrans dixerit *In nomine Patris*, tunc, Sacerdote accedente ad Tabernaculum aperiendum, genuflectit utroque genu, modo Canonem non inceperit ; si enim Canonem inceperit, illum prosequitur et non genuflectit ; et si Orationem, Epistolam, Evangelium,

aut aliam partem inceperit, præstat etiam non genuflectere, donec finierit : in omni autem casu, quo est in medio Altaris, aliquantulum e medio recedere potest, nisi per Consecrationem, Communionem, aliamve actionem impediatur.

Distribuenti Communionem, sive Parocho, sive cuilibet alii, notanda et servanda sunt sequentia : caveat quantum potest, ne Missam interrumpat, nec Celebrantem impediat aut perturbet ; ideoque ad Altare aut Tabernaculum non accedat tempore quo Celebrans aliquam exercet actionem quam interrumpere non potest, sed exspectet, donec Celebrans e medio commode recedere possit.

Infra distributionem solummodo attendit ad Sacramentum, quod in manibus tenet, præterquam sub Consecratione et Elevatione ; tunc non quidem genuflectit, sed se sistit versus Altare cum pyxide in manibus, donec peracta sit elevatio. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechlinien., anni 1871 ; ex Liturgia Q. III.)

Q. 193. *An sacra Communio recte distribuitur ad Altare in quo SS. Sacramentum publice exponitur ; et si fiat, quid observandum est ?*

R. Distinguendo : vel enim SS. Sacramentum exponitur in Tabernaculo solito, quod claudi potest ; vel in Throno eminenti, unde deponi nequit. In priori casu S. Communio ad idem Altare recte distribui potest, modo Tabernaculum claudatur eo tempore, quo Communio distribuitur, quod sine ullo inconvenienti fieri potest, etiam in die Adorationis perpetuæ, quia, sicut adoratio continuatur diu noctuque, etiamsi SS. Sacramentum horis diurnis tantum exponatur, sic etiam, et multo magis quidem, continuatur ipso tempore quo sub Communionis distributione SS. Sacramentum præsentium oculis continuo exhibetur.

In hoc casu servanda sunt sequentia : Sacerdos aperto capite accedit, in accessu ad Altare genuflectit in plano utroque genu, deinde adorat SS. Sacramentum in infimo gradu ; tum surgit, et ad Altare accedit, ibidem genuflectit, et Tabernaculum claudit ; tum more

solito sacram Communionem distribuit; qua distributa, et pyxide in Tabernaculo occlusa, ac Benedictione data, SS. Sacramentum iterum exponit, genuflectit, in infimo gradu adorat; deinde genuflectit utroque genu in plano, et discedit aperto capite.

Idem observandum est, ubi duo in Tabernaculo posita sunt vasa, in quibus S. Species continentur: accepto scilicet Ciborio, Tabernaculum claudi debet, ne si apertum relinquatur, idem sit, ac si Communio coram SS. Sacramento exposito distribuatur, de quo casu mox dicetur.

In posteriori casu, in quo SS. Sacramentum in Throno eminenti exponitur, S. Communio ad idem Altare non recte distribuitur: Missa enim celebranda non est ad Altare, in quo SS. Sacramentum exponitur; adeoque nec etiam sacra Communio distribuenda, et multo minus quidem; nam ad preces pro facultate celebrandi Missam ad Altare, ubi SS. Sacramenti expositio peragebatur, S. Rituum Congregatio, 12 Novembris 1831, in *Tarentina*, rescripsit: *pro gratia, dummodo in Missa Sacra Eucharistia non distribuatur.* Sacræ enim Eucharistiæ distributio, ut notat Gardellini in idem Decretum, in hac Missa omnino prohibetur. Quod dicendum est etiam non obstante consuetudine, quæ numquam rationabilis et laudabilis dici poterit; ut enim talis esset, deberet cedere in cultum SS. Sacramenti, eumdem augere vel saltem non minuere; qualis hæc esse nequit, quia distributio impedit quominus debitæ fiant reverentiæ quæ, exposito SS. Sacramento, ad unguem servandæ præscribuntur.

Hæc tamen responsio limitanda est ad ecclesias, in quibus aliud datur Altare, ad quod S. Communio recte distribui potest: si enim aliud non habeatur, necessitas exigere potest, ut ad idem etiam Altare distribuatur Communio. In hoc casu servanda sunt sequentia: Sacerdos accedit ad Altare, et ab eo discedit, ut supra dictum est; accedens ad Tabernaculum, more solito se gerit, et infra distributionem solummodo attendit ad Sacramentum, quod præ manibus tenet, cavendo tamen, quantum fieri potest, ne tergum vertat SS. Sacramento exposito, ideoque ab Altari descendit per

gradus versus cornu Evangelii, in utroque latere mensæ Communionis se vertit uti ad *Lavabo* in Missa Expositionis, facie ad Altare et tergo ad populum conversis, et finita distributione, ac Pyxide in Tabernaculo recondita eoque clauso, dat Benedictionem in cornu Evangelii. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechlinien., anni 1871 ; ex Liturgia Q. IV.)

Ita responsum fuit in Conferentiis ecclesiasticis supra indicatis. Eodem circiter tempore quo hoc responsum fuit scriptum, sequens dedit Decretum S. Rituum Congregatio : « In plerisque Capellis Monasteriorum, et pluribus Ecclesiis Parochialibus Diœceseos Rhemensis, unicum reperitur Altare, ubi distribui possit Sacra Communio. Quæritur, utrum, si per Preces Quadraginta Horarum, vel quando venerationi fidelium exponitur SS. Sacramentum, permitti possit distributio Sacræ Communionis intra vel extra Missam coram Sanctissimo super Altari exposito, ratione maximæ difficultatis aliter agendi, ne Sacra Communio fidelibus denegetur. » Sacra Congregatio rescribere censuit : « Servetur consuetudo. Atque ita rescripsit, die 26 Septembris 1868. » (Decret. n. antiq. 5411.)

Utrumque Decretum, illud quod in responso Conferentiarum citatur (12 Novembris 1831, n. antiq. 4677), et illud quod supra refertur, e nova Collectione Decretorum, anni 1898, fuit expunctum, et quo momento hæc scribuntur (Februario 1900), difficile est dicere quæ sit S. Congregationis Rituum mens.

Juvat sequentia hac de re referre ex Dissertatione Academiæ Liturgicæ Romanæ, habita 22 Februarii 1893 : « In sententiam venimus asserentium, generali regula in suo robore permanente, quibusdam in casibus, fidelium Communionem infra Missam, coram Sanctissimo exposito tolerandam esse..... Sed sententia quam sustinemus maxime roboratur a summa illa fidelium pietate ac religione, qua ad Sacrosanctum Christi Corpus suscipiendum accedunt, Sanctissimo exposito ; pietatem inquam et religionem, quam ex immaculata amoris victima, in Sacramento amoris solemniter publicæ venerationi exposita, potissimum hauriunt. Summa ergo cautela in consuetudinibus improbandis

procedendum est, quibus abrogatis, pietas et fervor christianæ plebis remitteret. »

« Neque tandem plurimi facienda est difficultas opponentium, irreverentiam sapere, eo quod terga vertere deberet Sacerdos Sanctissimo, nec non quia deberet recedere ab Altari ad loricæ septum usque, cum Eucharistiam administraturus est. Nulla enim irreverentia inveniri potest in actione, quæ pro objecto eumdem habet Jesum Christum, qui in Sacramento expositus manet. » (Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 208.)

Q. 194. *Quænam notanda sunt de linteo ante communicandos extendendo ?*

R. 1° Linteum debet esse ex lino vel cannabe, totum albi coloris, mundum et nitidum.

2° Cum adhibeatur in reverentiam SS. Sacramenti, ne sacra Hostia vel ejus fragmenta forte in terram labantur sed super linteum recipiantur, debet esse vera mappa seu tobalea, non autem denticulatum textum aut ad instar retis ; minuta fimbria tamen ex textu denticulato apponi potest. Ob eumdem finem, opportuno modo tenenda est a communicantibus mappa ; non enim sufficit, ut quidam faciunt, quod manus junctas aut pectori applicatas linteoque opertas teneant, sed debent fideles linteum illud tenere ambabus manibus apertis, ad distantiam circiter humerorum separatis, contra pectus et sub mento, ita ut efformet sub mento parvam mensulam.

3° Loco mappæ Communionis, cujus usus præ omnibus aliis rebus commendandus et retinendus est, licite uti possunt communicantes aliqua patena grandiori inaurata, dummodo sit diversa a patena quæ pro Missæ Sacrificio usuvenit, et ad Communionis usum tantum sit destinata (cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 92) ; item tabellis ex metallo, ubi ejusmodi usus introductus est (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Martii 1875, apud Acta Sanctæ Sedis, VIII, 1874, pag. 425) ; item parvo linteo, seu panniculo, ad instar magnæ pallæ. Hæc adhiberi possunt ubi mensa Communionis cum linteo non adest. Qui communicat,

hanc patenam, vel hunc panniculum accipit, et ambabus manibus infra mentum tenet ; deinde tradit sequenti communicando ; ultimus vero reddit ministro. — Abusus est, omnino eliminandus, accipere extremitatem superpellicei, vel casulæ, vel stolæ Sacerdotis administrantis, eamque loco lintei, seu veli, mento supponere. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 482-506.)

4° Cæremoniale Episcoporum describit (Lib. II, Cap. 29) Communionem generalem in Missa Pontificali, et ritum quo Episcopus Christi Corpus tradit. Ex eo notantur sequentia : cum Episcopus tradit Communionem, Diaconus ad ejus dexteram tenet Pyxidem cum Particulis consecratis, et Subdiaconus ad ejus sinistram Patenam supponit mento communicantium ; nihilominus duo Acolythi sustinent ambabus manibus, per quatuor angulos, mappam seu linteum ante communicandos.

CAPUT III

DE ORDINE ADMINISTRANDI S. COMMUNIONEM IN ECCLESIA

Q. 195. *Paucis describe ritum S. Communionis olim in Ecclesia usitatum.*

R. Ex antiquis documentis, et ex variis Sanctis Patribus, constat sequentem ritum per plura sæcula in Ecclesia pro S. Communione fuisse servatum.

Episcopus, vel Sacerdos celebrans, postquam ex Sacrificio ipse jam participasset, elevans Sacrosanctam Hostiam, ostendensque præsentibus, alta voce clamabat : « Sancta sanctis ; » ac si diceret : « Qui non est sanctus, non accedat. » Ad quam monitionem simul et provocationem, responsum intonuit : « Unus sanctus, unus Dominus, Jesus Christus. »

Tunc statim communicabat Celebrans primo quidem Presbyteros simul cum ipso sacrificantes, in circuitu Altaris ; deinde Diaconos, retro Altare ; tum Subdiaconos et reliquos Clericos, in limine Sanctuarii, seu in Choro ; demum, extra cancellos Sanctuarii, omnem po-

pulum, viros primum, postea mulieres. Accedens nempe ad singulum horum, tradebat cuilibet particulam SS. Hostiæ in manum dexteram, quæ concava atque ita teneri debuit super sinistram, ut cum ea formam Crucis exhiberet. In tradendo taliter Sacramento dicebat Sacerdos : « Corpus Christi. » Quæ formula antiquissima est. Ætate S. Gregorii Magni jam hæc viguit : « Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam. » Qui Christi Corpus Sacrum sic accipiebat, respondebat : « Amen ; » sacrumque donum ori reverenter admovebat, ac sumebat.

Legimus in Breviario,ex Libro S. Ambrosii Episcopi, de Sacramentis : « Non otiose, cum accipis, tu dicis : Amen ; jam in spiritu confitens quod accipias Corpus Christi. Dicit tibi Sacerdos : Corpus Christi ; et tu dicis : Amen ; hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus. » (Cfr. Lectio VI, Feria IV infra Octavam SS. Corporis Christi ; et in Officio Votivo de SS. Eucharistiæ Sacramento, pro mensibus Septembri et Octobri.)

Tradebatur autem hac ratione Panis Eucharisticus, principio quidem in manus nudas omnibus ; (hinc nemini licuit, nisi lotis manibus Ecclesiam ingredi ; quapropter Cantharus aquæ aderat in ipsa Ecclesiæ porticu, pro lotione manuum ; quamvis hæc lotio ex mystica etiam causa fieret) ; sed subinde præceptum fuit in Occidente : ut mulieres illum mundo exciperent linteolo, quod apud veteres Dominicale audit.

Iste tamen Eucharistiam in manus communicantium tradendi mos, propter multos abusus, Romæ jam sæculo sexto, in Gallia sæculo nono, et sensim ubique, sublatus est ; severisque legibus statutum fuit, ut Corpus Christi in os communicantium per ipsum Sacerdotem immitteretur. (Cfr. Kozma di Papi, *Liturgica Sacra*, § 124 ; et Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 81-92.)

Q. 196. *Quo præmisso, et quomodo indutus procedit Sacerdos ad ministrandum S. Communionem extra Missam ? Quid notandum est de colore stolæ ?*

R. I. Sacerdos extra Missam Communionem mini-

strans, debet prius lavare manus ; et habitu decenti, id est superpelliceo, et stola indutus sit oportet ; potest etiam, loco superpellicei, induere albam cum stola in pectus transversa. (S. Rituum Congregatio, Decret. 31 Augusti 1867, n. 3158, ad 3, antiq. 5382, ad 5.) Grave communiter reputatur peccatum, extra casum necessitatis, Communionem distribuere sine ulla veste sacra ; veniale vero, si sine stola tantum administratur.

II. Stola autem debet esse « coloris Officio illius diei convenientis ; » itaque non semper coloris albi, sed coloris vel albi, vel rubri, vel viridis, vel violacei, prout Officio illius diei conveniet. Hoc autem ita constitutum est, ex Ritualis Romani præscripto, ut significetur vetus Ecclesiæ ritus Communionem ministrandi intra Missam statim post Communionem Celebrantis.

In illis diebus, in quibus color Officii diversus est a colore Missæ, e. g. quando Officium dicitur de aliqua Octava,et Missa de Vigilia celebratur; aut in Feria V in Cœna Domini ; declaravit S. Rituum Congregatio, servandam esse Ritualis rubricam, qua præscribitur stola coloris Officio diei convenientis. Adjunxit tamen eadem S. Rituum Congregatio, quod, ubi viget consuetudo administrandi S. Eucharistiam, cum stola albi coloris, fidelibus Paschale præceptum adimplentibus, hæc est toleranda. (Decr. 11 Augusti 1877, n. antiq. 5706.)

Q. 197. *Indica ordinem cæremoniarum, inde ab accessu Sacerdotis ad Altare usque ad distributionem.*

R. Prænotatur, quod in Altari, in quo asservatur SS. Sacramentum et distribuitur S. Communio, duo accendendi sunt cerei ; super mensam in medio explicari debet corporale; non enim tolerari potest consuetudo, loco corporalis adhibendi pallam, super qua deponeretur Pyxis (S. Rituum Congregatio, Decret. 27 Februarii 1847, n. 2932, antiq. 5068, ad 4) ; et versus cornu Epistolæ, prope Tabernaculum, paratum sit oportet vasculum ex argento, vel crystallo, mundum, cum aqua munda, et purificatorio, ad Sacerdotis digitos purificandos. Clavis Tabernaculi immediate ante distributionem ibi etiam deponatur.

Si corporale non fuerit præparatum in Altari,Clericus

qui Sacerdotem præcedit, bursam cum corporali afferre potest ; si autem minister Clericus non fuerit, Sacerdos ipse bursam cum corporali ad pectus elevatam ambabus manibus afferat ; S. Rituum Congregatio enim rescripsit « decere ut a Sacerdote deferatur. » (Decret. 24 Septembris 1842, n. 2850, antiq. 4950, ad 3.)

Convenit ut bursa sit ejusdem coloris ac stola a Sacerdote deferenda. (S. Rituum Congregatio, Decret. 11 Junii 1880, n. 3515, antiq. 5809, ad 1.)

1° Sacerdos, manibus junctis accedens ad Altare, genuflectit in plano, ascendit ad suppedaneum, et explicat corporale super mensam.

2° Accensis duobus in Altari cereis, Sacerdos Tabernaculum aperit, genuflectit, manibus super Altare extra corporale positis ; extrahit Pyxidem e Tabernaculo, eamque super corporale deponit, et Tabernaculum claudit.

3° Dicta a ministro Confessione, Sacerdos discooperit Pyxidem, ablato velo serico, et cooperculo, quod ponit super corporale, genuflectit manus super Altare extra corporale extendens; erectus, manus ante pectus jungens, per dexteram suam vertit se ad populum, advertens ne tergum vertat Sacramento, recedens ideo paulum ad cornu Evangelii, facie versa partim ad populum partim ad latus Epistolæ, et manibus adhuc junctis, clara voce dicit : *Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.* Minister respondet : *Amen.* Mox Sacerdos subjungit : *Indulgentiam, absolutionem* †, *et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens, et misericors Dominus.* Minister respondet : *Amen.* Sinistram ponens infra pectus, Sacerdos dextera Crucis signum efficiet versus communicandos, lineam rectam efformans ad verba *Indulgentiam, absolutionem ;* — lineam transversam ad verba *et remissionem peccatorum vestrorum ;* et manus jungens ante pectus, cum prosequitur *tribuat vobis, etc.* Hæc semper dicuntur in plurali, etiamsi unus tantum adesset communicandus.

Nota. Deficiente omnino ministro idoneo, ipse Sacerdos recitabit Confessionem (S. Rituum Congregatio, Decret. 31 Martii 1879, n. 3488, antiq. 5775, ad 3) ;

quidam dicunt Sacerdotem in casu ipsam recitare genuflexum super ultimo Altaris gradu, vel in labio suppedanei ; consultius videtur Sacerdotem ipsam recitare stantem, utique profunde inclinatum, ante Altaris gradus : in Missa solemni enim, Diaconus, qui est minister tantum, Confessionem facit stans inclinatus. (Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 589.)

4° Absoluta hac prece, Sacerdos convertit se ad Altaris medium, manusque super Altare extra corporale extendens, genuflectit. Erectus accipit inter pollicem et reliquos digitos sinistræ manus Pyxidem, super vel ad nodum ; et indice ac pollice dexteræ sumit Particulam unam, et elevat paulum, id est, ad unum aut alterum digitum supra cuppam, clausis interea reliquis digitis ejusdem manus.

Nullibi præscribitur iste quorumdam agendi modus, accipiendi nempe Pyxidem simulque sinistra sustinendi purificatorium ; Sacerdos, qui purificatorio abstergeret identidem pollicem aut indicem dextræ manus , facillime posset fragmenta fortasse digitis prædictis adhærentia purificatorio abstergere, quod contra reverentiam Sacramento debitam est.

5° Convertit se Sacerdos per dexteram suam ad populum, remanens in medio Altaris, et oculos in SS. Sacramentum defixos tenens, clara voce dicit : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi ;* et ter adjungit : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.* Nulla hujus formulæ mutatio permittitur, etiam cum feminæ Communio administratur.

6° Absoluta tertio prece, si Sacerdotibus,aut Clericis danda sit Communio, prius iis ad gradus Altaris genuflexis Sacerdos eam præbet ; si non, eodem semper modo tenens Pyxidem et Particulam, descendit de Altari per gradus anteriores, et tendit ad mensam. Incipit distributionem ad partem Epistolæ, et cum ad mensæ finem pervenit, et supersunt communicandi, iterum tendit ad partem Epistolæ, ibique distributionem reincipit. Dum tendit a fine mensæ ad partem Epistolæ, Pyxidem ante pectus, digitosque dexteræ indicem et pollicem junctos supra cuppam tenet. Si

aliquando communicaturis præbendum esset tempus ad accedendum, Sacerdos exspectans interim se convertit ad Altare.

Q. 198. *Quænam servanda sunt in ipsa distributione S. Communionis ?*

R. 1° Stans ante communicandum, Sacerdos Crucis signum cum Particula efficit super Pyxidem, intra circumferentiam cuppæ, quasi benedicens communicaturum, efformans lineam rectam ad verbum *Corpus*, transversam ad *Domini nostri ;* caput inclinat cum dicit *Jesu Christi.*

2° Post signum Crucis, Particulam porrigit communicando, eam linguæ imponens, et linguam leviter premens extremitate Hostiæ, et confestim digitos retrahens. Interea dicit : *custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.* Tota hæc formula : *Corpus Domini, etc.*, clara voce dici debet. Advertat Sacerdos, ut e Pyxide Particulam accipiat regulariter non in hujus medio, sed in extremitate : caveat etiam ne reliquis digitis tangat communicandi faciem, et ideo tempore distributionis digiti isti replicentur in palma manus.

Nota. Cum Episcopus, juxta Pontificale Romanum, Ordinato S. Communionem præbet, utitur formula sequenti : *Corpus.... custodiat te in vitam æternam ;* et Ordinatus respondet : *Amen.* Formula hæc ab Episcopo extra casum Ordinationis non est adhibenda ; sed quotiescumque fidelibus S. Communionem ministrat, dicere debet formulam ordinariam, ut supra. (S. Rituum Congregatio, Decret. 7 Maji 1853, n. 3012, antiq. n. 5186, ad 3.)

3° Cum hoc ministerium sit sanctissimum, Sacerdos ab omni præcipitantia abhorreat, ac cum omni possibili attentione et devotione procedat ; non obstante maximo communicantium numero, ad unumquemque illorum integra formula pronuntianda est, et Crucis signum cum S. Hostia exacte et reverenter est formandum.

4° Cautelæ etiam adhibendæ sunt, ad præcavendum ne Sacra Hostia cadat extra Pyxidem, aut os communicantis. Alii supponunt Pyxidem sub mento com-

municantis ; sed magis inde periculum timendum est, nempe ne communicantis halitus avolare faciat Sacras Hostias in Pyxide positas. Quidam apertos tenent manus dextræ digitos medium, annularem et parvum, suppositosque S. Hostiæ ; verum animadvertendum est hunc modum ab auctoribus non probari, quia periculum est ne aliquando tangatur communicantis facies, non sine ejusdem perturbatione.

Dicendum, quod quo magis naturali ac minus anxio modo distributio fiat, eo rarius periculum timendum sit. Maxima autem in hoc sanctissimo ministerio cautela erit reverentia Sacerdotis ejusque « solertia et cura, » ut dicit S. Rituum Congregatio (in Decreto 12 Augusti 1854, ad 21, in Lucionen.) ; nempe ut cum spiritu devotionis, ac ædificationis proposito Sacramentum ministret, et cum diligentia ac gravitate, sancte, caute, et proinde absque omni periculo agat ; omnem levitatem animi, oculorum, gestuum et verborum, omnemque præcipitantiam, præcipuas periculi causas, præcavendo.

A parte communicantium quoque adhibendæ sunt cautelæ, ut huic periculo obvietur ; quas cautelas populum docere Sacerdotum munus est. Sequentes indicat S. Carolus Borromæus in Actis Ecclesiæ Mediolanensis (Pars IV, Sect. V, de Sacra Communione) : « SS. Sacramentum excipiens non aut nimium admoveatur aut retrocedat præpropere, ut, non sine periculo casus, solent aliqui facere.... Vultum paulo elevatum habeat, utpote excipiendo commodiorem.... Facta autem ab aliquo Communione, caput ille paululum inclinet, non celeriter, sed cum Sacerdos manum subtraxerit a communicantis capite. »

5° Cum Episcopus distribuit Sacram Communionem, omnes communicantes, tam de clero quam de populo, antequam accipiant S. Hostiam, osculantur Episcopi manum.

6° Si in eodem aut proximo Altari Missa celebratur, et SS. Sacramentum elevatur, non genuflectit Sacerdos distribuens, sed conversus ad Altare ad quod Communionem distribuit, et erectus Pyxidem tenens subsistit donec Elevatio sit peracta.

7° Non possunt dari plures Particulæ uni communicanti, neque una major, quod expresse prohibuit S. Congregatio Concilii, per Decretum, ab Innocentio XI approbatum, 12 Februarii 1679. Illicitum pariter est laico dare partem Hostiæ majoris quæ in Sacrificio adhibetur a Sacerdote celebrante, nisi in casu necessitatis, deficientibus Hostiis minoribus, quando e. g. Viaticum esset ministrandum moribundo.

Si, quando Communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, poterunt aliquot Hostiæ dividi in plures Particulas, quæ singulis distribuantur, si adsit necessitas. (S. Rituum Congregatio, Decr. 16 Martii 1833, n. 2704, antiq. 4707, ad 1.)

8° Rituale Romanum, et etiam Missale, adnotant quod in distributione Sacræ Communionis præparantur unum vel plura vascula, cum vino et aqua, ad purificationem eorum qui Communionem sumpserint, et minister dextra manu tenens vas cum vino et aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post Sacerdotem communicatis porrigit purificationem, et mappulam ad os abstergendum. Hujus Rubricæ observatio, aiunt auctores, jam generatim loquendo obsolevit, et juxta rescriptum S. Rituum Congregationis non amplius obligat. (Decret. 12 Augusti 1854, ad 24, in Lucionen.)

Q. 199. *Indica ordinem cæremoniarum, inde a regressu post distributionem ad Altare usque ad finem functionis.*

R. 1° Omnibus communicatis, revertitur Sacerdos ad Altare per gradus anteriores; sinistra tenet Pyxidem ante pectus; dexteram ponit ad oram Pyxidis, ita ut pollex et index uniti sint supra cuppam, reliqui autem digiti teneantur extra cuppam. Ad Altare reversus reponit Sacramentum super corporale, et manibus super Altare intra limites corporalis positis, genuflectit et statim assurgit.

2° Erectus, Sacerdos mox claudit Pyxidem, tegens illam cooperculo et velo serico.

3° Quo facto, Sacerdos abluit pollicem et indicem dextræ manus aqua, in vase ad hoc prope Tabernaculum parato, easque purificatorio abstergit.

Interea dicit intelligibili voce sequentes preces :

A) *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. (Alleluja,* tempore Paschali.)

Nota. Rituale Romanum equidem optioni administrantis S. Communionem relinquit, utrum Antiphonam *O sacrum etc.* recitare velit necne ; ait enim : « dicere poterit » ; ast, sequentes Versiculi, et Oratio sunt de præcepto, et pro iis optioni non relinquitur locus, uti declaravit S. Rituum Congregatio. (Decret. 30 Augusti 1892, n. 3792, ad 10. Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 9 et 13 ; et easdem Ephemerides super hoc Decreto, VI, 1892, pag. 589.) Utique recitabit Sacerdos convenientissime tam Antiphonam, quam sequentia.

B) ℣. *Panem de cœlo præstitisti eis. (Alleluja,* tempore Paschali.) Minister respondet : *Omne delectamentum in se habentem. (Alleluja.)*

Mox Sacerdos dicit : ℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti : tribue, quæsumus ; ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus : Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* Notatur, a Rituali Romano præscribi in hac Oratione longiorem conclusionem.

Tempore Paschali, quo hic intelligitur, non tantum tempus quando fideles communicant pro Paschali præcepto, sed totum Tempus Paschale, usque ad Festum SS. Trinitatis exclusive, dicitur sequens Oratio :

Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde : ut quos Sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Nota. Preces istas, clausa jam et operta Pyxide, esse dicendas, patet ex sequenti S. Rituum Congregationis Decreto (14 Januarii 1898, n. 3975, ad 3) : « Quæritur : Utrum istæ preces convenienter dicantur junctis ma-

nibus, antequam cooperiatur Pyxis, et digiti abluantur ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative ; et preces dicendæ sunt infra ablutionem et extersionem digitorum. »

4° Circa finem Orationis SS. Sacramenti, Sacerdos Tabernaculum dextera aperit, ponitque dextera in eo Pyxidem ; genuflectit, et Tabernaculum mox claudit, clave illud obserans.

Nota. A) Digitos debere ablui antequam reponatur Pyxis in Tabernaculo, et non clauso jam Tabernaculo, aperte patet ex rubrica Ritualis, quæ dicit : « Antequam reponat Sacramentum,.... digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat, et abstergat purificatorio.... Postea genuflectens reponit Sacramentum in Tabernaculo, et clave obserat. »

B) Pro genuflexionibus præscriptis tam ante (cfr. Q. 197), quam post distributionem Sacræ Communionis, regula desumpta fuit ex sequentibus Decretis S. Rituum Congregationis :

I. « Quum nec Missalis nec Ritualis Rubricæ determinent numerum genuflexionum, quæ a Sacerdote fieri debent, dum ad Altare revertitur cum Sanctissimo Sacramento post distributam fidelibus Sacram Communionem, alter ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris de sententia desuper requisitus, post accuratum omnium examen, censuit regulam in casu desumendam a Rubricis determinantibus duplicem genuflexionem, antequam Sacerdos Communionem ipsam administret ; nimirum : primam, antequam extrahat a Tabernaculo Pyxidem ; alteram vero post discoopertam super Altare eamdem Pyxidem. Quum enim agatur de cultu debito Sanctissimæ Eucharistiæ, congruum profecto est, ut eodem prorsus modo iste cultus præstetur a Sacerdote ad Altare redeunte ; nimirum : genuflectendo primo, antequam Pyxidem cooperiat ; et iterum, postquam illam in Tabernaculo recondidit, et antequam Tabernaculi ostiolum claudat.

Hanc porro sententiam, quum subscriptus Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius retulerit in Ordinario Cœtu Sacrorum Rituum subsignata die ad Vaticanum coadunato ; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis

Ritibus præpositi rescribendum censuerunt : Placere, seu juxta votum Magistri Cæremoniarum ; ac proinde decreverunt : « A Sacerdote redeunte ad Altare post fidelium Communionem, genuflectendum antequam cooperiat Sacram Pyxidem ; et iterum genuflectendum antequam, Pyxide in Tabernaculo reposita, ipsius Tabernaculi ostiolum claudat ». Atque ita ubique servandum mandarunt.» (Decret. 23 Decembris 1862, n.3116, antiq. 5324.)

II. « Quæritur : Utrum Sacerdos duas genuflexiones facere debeat, unam statim ac deposuit Pyxidem super Altari et antequam eam cooperiat ; alteram, priusquam, reposita in Tabernaculo Pyxide, ipsius Tabernaculi ostium claudat ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative ; juxta Decretum *in Romana*, diei 23 Decembris 1862, et praxim Basilicarum Urbis. » (Decret. 14 Januarii 1898, n. 3975, ad 3.)

5° Sacerdos, extendens manus, easque et oculos ad Crucem elevans, ac statim demittens, et caput inclinans, dicit : *Benedictio Dei omnipotentis ;* deinde, manibus junctis, convertit se ad communicatos, eisque, sinistra infra pectus posita, dextera benedicit, sicut in Missa, dicens : *Patris* †, *et Filii, et Spiritus sancti ;* manibusque iterum junctis prosequitur : *descendat super vos, et maneat semper.*

Minister respondet : *Amen.*

Elevatio manuum et oculorum, capitisque inclinatio ad verba : *Benedictio Dei omnipotentis,* a Rituali non præscribitur, sed S. Rituum Congregatio, per Decretum 12 Augusti 1854 (in Lucionen. ad 76), rescribere rata est, ad hæc verba debere extendi manus eodem ritu ac dum dicitur in fine Missæ : *Benedicat vos omnipotens Deus.*

6° Sacerdos convertit se iterum ad Altare per eamdem viam (itaque non perficiens circulum), complicat corporale, illudque in bursa reponit. Descendit, manibus ante pectus junctis, vel bursam deferens ; genuflectit in plano, et ad sacristiam revertitur.

Q. 200. *Quænam observanda sunt, cum Sacra Communio distribuitur immediate ante, vel post Missam ? Quomo-*

do aget Sacerdos qui Sacram Communionem distribuit intra Missam?

R. ad I. Si ante Missam distribuit Sacram Communionem, Sacerdos, omnibus paramentis pro Missa celebranda indutus, in accessu ad Altare, deposito super mensa Calice a parte Evangelii, et explicato corporali, aperit Tabernaculum, et reliqua facit ut supra (QQ. 197-199) exponuntur. Omnibus absolutis quæ spectant S. Communionis distributionem, accipit Calicem eumque collocat super corporale, et prosequitur.

Notandum hic est, quod Sacerdos non debet omittere Benedictionem, post S. Communionis distributionem ante, vel etiam post Missam; nisi sit in paramentis nigris, ut infra dicetur. Praxis Romana, et spiritui Ritualis Romani ac Decretorum conformis, est, quod in casu detur Benedictio. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 57, ubi afferuntur rationes, et refutatur sententia de omittenda Benedictione.)

Si post Missam ministrat Sacram Communionem, dicto ultimo Evangelio, et dictis precibus imperatis, statim accedit ad medium Altaris, accipit Calicem eumque seponit a parte Evangelii; accipit bursam et corporale expandit, dein aperit Tabernaculum. Omnibus absolutis pro S. Communionis distributione, complicat corporale, et in bursam includit; bursam reponit super Calicem, et accepto Calice discedit.

Præcipue observabit in hoc casu Sacerdos, quod si Sacram Communionem distribuat cum paramentis nigris, immediate ante, aut post Missam de *Requiem*, in utroque casu omittere debeat: 1° *Alleluja*, tempore Paschali addendum ad Versiculum *Panem de cœlo, etc.* (S. Rituum Congregatio, Decr. 26 Novembris 1878, n. 3465, antiq. 5747); 2° Benedictionem alias datam iis qui communicarunt, uti dictum fuit in Decreto S. Rituum Congregationis, 27 Junii 1868, citato ad Quæst. 190. Si autem paramenta defert alterius coloris quam nigri, semper, facta distributione, Benedictionem communicatis dabit, tam ante quam post Missam.

Hic subjungitur Decretum S. Rituum Congregationis, spectans distributionem Sacræ Communionis ante vel post Missam: « An toleranda sit, vel eliminanda

consuetudo inveterata, qua Sacerdos, qui ad Altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit, sic sacris vestibus Sacrificii indutus, et præ manibus Calicem tenens, ascendat in transitu ad Altare, in quo adest SS. Eucharistia, ut ibi Sacram Communionem fidelibus distribuat? » Et S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Si adsit necessitas, posse tolerari. » (Decret. 12 Martii 1836, n. 2740, ad 11, antiq. 4777, ad 12.)

Si autem Sacerdos in casu esset indutus sacris Sacrificii vestibus nigri coloris, hoc non licere dicendum est; quia contra mentem S. Rituum Congregationis ageret Sacerdos, qui in nigris paramentis administraret S. Communionem ad Altare in quo Missam non celebrat. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, ubi rationes afferuntur et exponuntur, IV, 1890, pag. 210; et VI, 1892, pag. 108.)

R. ad II. Sacerdos, post sumptionem Sacratissimi Sanguinis, antequam se purificet, Sacram Communionem fidelibus præbet. Et quidem, si distribuit Particulas in ipsa Missa consecratas, agit quemadmodum describitur in Tractatu de Celebratione SS. Missæ Sacrificii (Liber II, Appendix II, Art. 1, § 4). Si vero Particulæ jam consecratæ sunt, et in Pyxide intra Tabernaculum servantur, Celebrans, sumpto Sanguine, Calicem et Patenam super corporale versus partem Evangelii collocat, et Calicem palla cooperit, dein amovet tabellam secretarum, si necesse fuerit, et nisi minister id jam fecerit. Tenens pollices et indices unitos, Tabernaculum aperit, genuflectit, extrahit Pyxidem, eamque in medio Altaris deponit, et Tabernaculum claudit. Interea Minister dicit : *Confiteor, etc.* Sacerdos discooperit Pyxidem, iterum genuflectit, et convertit se ad communicandos, ut dicat Orationes *Misereatur* et *Indulgentiam*, et dat Communionem modo supra dicto; advertens tamen, ut teneat Pyxidem inter indicem pollici junctum et reliquos digitos sinistræ manus. (Pro ordine communicantium hic iterum notare juvat, quod minister Missæ inserviens et communicans præferendus sit omnibus cæteris, quamvis dignioribus, ratione ministerii (Cfr. Q. 191, ad II);

minister in casu genuflectit pro Communione in supremo gradu, tenens mappam mento supponendam.) Finita distributione, Sacerdos, cum reversus est ad Altare, Pyxidem deponit super Altare, et genuflectit ; cooperit Pyxidem operculo et velo, Tabernaculum aperit, reponit intus Pyxidem, genuflectit, Tabernaculum occludit, et tabellam secretarum suo loco reponit, si minister id non facit. Nihil interea dicit ; omittuntur enim in distributione intra Missam Antiphona *O sacrum*, cum Versiculis et Oratione.

Facta distributione, non dat communicatis Benedictionem, quia illam dabit in fine Missæ ; eamque etiam omittet in Missa de *Requiem*, etiamsi in fine hujus Missæ Benedictio non detur. Clauso Tabernaculo, se purificat, et Missam absolvit.

Q. 201. *Indica quædam particularia, aliquando observanda in distributione Sacræ Communionis Religiosis.*

R. I. Sunt non paucæ Moniales, quæ Sacram Communionem accipiunt ad fenestellam, quæ plerumque habetur in muro Ecclesiæ, vel Oratorii, a parte Altaris laterali, vel Evangelii, vel Epistolæ, aliquando etiam retro post Altare, juxta dispositionem Chori proprii Monialium.

Sacerdos, qui ipsis Sacram Communionem distribuit, observare in casu debet, quod omnes preces quæ præcedunt distributionem, nempe *Misereatur, etc.*, et *Ecce Agnus Dei, etc.* dicendæ sunt ad Altare, versus populum, uti de more, et non versus Chorum Monialium ; et quod semper per medium Altaris debet descendere, et ita accedere ad fenestellam ; etiamsi solis Monialibus distribuenda sit Sacra Communio. (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 14.)

Quod si simul fideles in Ecclesia, aut Oratorio ad mensam Sacra Communione reficiendi habentur, cum plerumque Monialium fenestella non nimis ab ipso Altari distet, tunc, administrata prius Monialibus Sacra Communione, pergit Sacerdos sine mora ad mensam, ut fidelibus eam distribuat. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 166, 167.)

II. Non raro Religiosi utriusque sexus profitentur, vel etiam renovant sua vota intra Missam, ad Sacram Communionem. Super quo dedit S. Rituum Congregatio sequens Decretum Generale (n. 3836) :

« Non semel a S. Rituum Congregatione exquisitum fuit : Utrum, et quomodo solemnis professio, aut votorum renovatio, quæ in plerisque Religiosis tam virorum quam mulierum Congregationibus locum habet, intra Missam peragi valeat. Porro in peculiaribus casibus non una eademque fuit responsionis ratio, quin umquam Generale Decretum hac de re editum fuerit. Quapropter, ad omnem ambiguitatem de medio tollendam, et uniformitatem inducendam, eadem Sacra Rituum Congregatio, referente Emo et Rmo Domino Cardinali eidem Præfecto, cunctis mature perpensis, atque iis præsertim, quæ in Bulla sa. me. Gregorii Papæ XIII « *Quanto fructuosius* », data Kalendis Februarii 1583, pro approbatione Constitutionum Societatis Jesu, hac de re continentur, in Ordinariis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, sequentem methodum servari posse constituit : « Celebrans profitentium vota excepturus, sumpto Ssmo Eucharistiæ Sacramento, absoluta Confessione, ac verbis quæ ante fidelium Communionem dici solent, Sacram Hostiam manu tenens, ad profitentes sese convertet : hi vero singuli, alta voce, professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim Ssmum Eucharistiæ Sacramentum sumet. In renovatione autem votorum, Celebrans ad Altare conversus exspectet, donec renovantes votorum formulam protulerint ; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno præeunte formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine Ssmum Corpus Domini accipient. Hæc tamen methodus, cum recepta fuerit, in respectivis Congregationum Constitutionibus minime apponenda est. Non obstantibus quibuscumque particularibus Decretis in contrarium facientibus, quæ prorsus revocata atque abrogata censeantur. » Die 14 Augusti 1894.

Facta autem SS. D. N. Leoni Papæ XIII per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Præfectum de præmissis relatione, idem Sanctissimus Dominus No-

ster sententiam Sacræ Congregationis approbavit, ratam habuit, ac Decreta in contrarium facientia per præsens penitus abrogata esse declaravit. Die 27, iisdem mense et anno. »

Animadvertere juvat, juxta præfatum Decretum distinguendum esse inter professionem et votorum renovationem : In professione, Sacerdos, ad profitentes conversus, Pyxidem manu tenens, post uniuscujusque professionem elata voce emissam, Sacram Communionem singulis impertitur. In votorum renovatione vero, interea dum omnes simul formulam renovationis recitant, Sacerdos manet ad Altare conversus, et post recitationem tantum omnibus Sacram Communionem distribuit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 669.)

Rescripsit S. Congregatio Rituum, per subsequens Decretum, 5 Junii 1896 (n. 3912), præfatum Decretum obligare penes quaslibet religiosas utriusque sexus Congregationes, ubi vota nuncupantur, vel renovantur intra Missam.

Q. 202. *Quid fit de aqua, quacum Sacerdos digitos abluit ?*

R. Aquam hanc, quæ continetur in vase crystallino aut argenteo, in Altari prope Tabernaculum a parte Epistolæ apposito, juxta Rituale, vel sumit Sacerdos si celebraverit, vel sumendam tradit uni ex iis qui tunc communicarunt, vel saltem in sacrarium injicit. Hoc autem non post singulas digitorum ablutiones est faciendum, sed tantum quoties aqua in vase debet renovari, ut omnino munda semper habeatur ; et animadvertant sedulo Parochi, iique quorum curæ ea quæ SS. Eucharistiam spectant committuntur, ut sæpissime renovetur.

Q. 203. *Ostende congruitatem, et significationem rituum, qui pro ministranda S. Communione præscribuntur.*

R. 1° Ritus qui distributionem præcedunt, optime inserviunt præparationi proximæ ad Sacram Communionem; nimirum : a) **confessio generalis,** cum dolore de peccatis, et **absolutio** deprecatoria, quæ ex opere operantis producere valet effectum ; b) **ostensio SS.**

Sacramenti, et verba : *Ecce Agnus Dei, etc.*, ad innovandam fidem in Christum realiter præsentem, et memoriam passionis ejus, simul atque ad excitandum desiderium suscipiendi Ipsum ; c) verba : *Domine, non sum dignus, etc.*, ad eliciendum actum humilitatis profundæ, cum spe fiduciali conjunctæ, ad instar centurionis.

2° Verba, quæ in distributione Sacræ Communionis a Sacerdote proferuntur : *Corpus Domini, etc.*, significant, hoc Sacramentum non solum alimoniam, sed simul custodiam esse singularem, atque pignus futuræ gloriæ. **Signum Crucis**, quod in distributione, instar Benedictionis, supra Ciborium formatur, indicat idem esse Corpus, quod Cruci affixum erat pro nostra salute ; exprimit etiam benedictiones et gratias, quibus abundat hoc Sacramentum, quasque Christus large cupit in nos effundere, nisi nostris peccatis præpediatur ; et fit quoque ad benedicendum communicantem, ut devote Sacramentum suscipiat. (Muller, *Theologia moralis*, Lib. III, §. 96.)

CAPUT IV

DE MODO DEFERENDI SS. SACRAMENTUM AD INFIRMOS

Q. 204. *In quibus casibus defertur S. Communio ad infirmum ?*

R. 1° Sacra Communio defertur ad infirmum et ministratur ei pro Viatico, tamquam cibus animam confortans in itinere ad æternitatem, quando est in periculo mortis, et « probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. » Ecclesia enim semper maximopere fuit sollicita, ut nemo fidelium, nisi SS. Sacramento munitus, e vita excedat.

2° Defertur ad infirmum qui, « etiam si graviter non ægrotet, aut mortis periculum non immineat, » communicare vult ob devotionem, pro spirituali animæ refectione, « maxime si festi alicujus celebritas id suadeat, » ad quod infirmum hortari debet Parochus ; et etiam ad infirmum qui, « sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, et communicare

voluerit. » Horum omnium pio desiderio Parochus satisfacere non omittat, et quidem eos hortetur ut Sacram Communionem sumant. Præscribunt etiam hac de re Statuta Diœcesana (n. 251), ut « Parochi quater saltem in anno SS. Eucharistiam ad infirmorum Communionem solemni ritu deferant ; quam delationem e suggestu fidelibus annuntient die dominica præcedente. »

Q. 205. *Quas conditiones præscribit Rituale pro debita delatione S. Communionis ad infirmos ? Singulas explica.*

R. Rituale eas sequentibus verbis exprimit : « Deferri autem debet hoc Sanctum Sacramentum ab Ecclesia ad privatas ægrotantium domos, (1) decenti habitu, superposito mundo velamine, (2) manifeste, atque (3) honorifice, ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine præcedente. » (Tit. IV, Cap. 4, n. 6.)

1° **Decenti habitu, superposito mundo velamine.** Sacerdos, juxta Rituale, induit superpelliceum et stolam « albi coloris. » In delationibus generalibus solemnioribus, in locis insignioribus, et pro personis dignioribus, convenit ut etiam induat pluviale albi coloris (ibid. n.9). — Pyxidem, seu parvam Custodiam, coopertam suo velo serico, insuper Sacerdos in delatione cooperit oblongo velo albi coloris humeris imposito.

Superpelliceum et stola in dispensatione S. Eucharistiæ sunt de præcepto, et ita quidem ut contraria consuetudo nequeat tolerari. Sine omni veste sacra eam dispensare communiter censent auctores esse peccatum grave ; id tamen in rarissimo casu necessitatis, ne moribundus absque Viatico decedat, S. Alphonsus arbitratur permittendum. (Theologia moralis, Lib. VI, n. 241.)

Sacerdos SS. Sacramentum deferre debet « nudo capite » (ibid. n. 9). Absque speciali Sanctæ Sedis gratia non licet uti pileo (bireto), neque pileolo parvo. (S. Rituum Congregatio, Decret., 13 Augusti 1695, n. 1931, antiq. 3368.) Exempla tamen dantur, in quibus S. Congregatio commisit Episcopo, ut pro suo arbitrio et prudentia indulgeat, quod Parochi capite pileolo cooperto Viaticum deferre valeant, propter viarum asperitatem, ac ventorum, nivium glacierumque incom-

moda. (S. Rituum Congregatio, Decret. 23 Maji 1846, n. 2908, antiq. 5036 ; 12 Septembris 1857, n. 3059, ad 19, antiq. 5251, ad 23.)

2° **Manifeste.** De hac conditione præscribunt Statuta nostra Diœcesana (n. 249) : « Monemus Parochos, decretis S. Rituum Congregationis prohiberi, ne Viaticum deferatur absque superpelliceo et stola alba, etiam cum longius iter faciendum est ruri, vel per vias difficiles incedendum. Licet quidem tunc unicam Hostiam, in Pyxide aut parva Custodia positam, includere in bursa albi coloris, ad collum appendenda et ad pectus alliganda ; sed delatio sine superpelliceo (saltem sub pallio), aut omnino occulta, quæ fit sine ullis vestibus sacris, et sine lumine apparente, non permittitur, nisi in casu gravis necessitatis, seu quando rubricarum observatio moraliter est impossibilis. »

3° **Honorifice.** Pro quo sequentia præscribunt eadem Statuta (n. 250) : « Cum ad honorem hujus augustissimi Sacramenti spectet, ut portetur sub baldachino seu umbella, et ut præter custodem cum laterna, pii fideles, vel etiam ecclesiastici viri comitentur cum cereis seu intorticiis accensis, ideo conentur Parochi, præsertim in civitatibus et pagis majoribus, ubi baldachinum seu umbella hactenus non adhibetur, ejus usum introducere ; et provideant, ut, quantum locus et tempus ferant, numquam desit comitatus decens. »

Laudanda et retinenda existit in hunc finem consuetudo, a Rituali Romano etiam præscripta, dandi campanæ aliquot ictibus signum, ut convocentur fideles SS. Sacramentum comitantes ; quo etiam invitantur cæteri fideles, ut orent pro eo qui Viatico muniendus est.

Juvat ex Decretis invocatis S. Rituum Congregationis, unum referre, diei 16 Decembris 1826, in Gandaven. (n. 2650, antiq. 4623, ad II) : « In Parochiis ruralibus, ubi longum faciendum est iter, plerumque portatur SS. Sacramentum Eucharistiæ ad ægrotos, eisque administratur cum stola super vestem communem, absque cotta, sive superpelliceo. Quæritur : An praxis illa, ubi invaluit, et Ordinarii locorum non contradi-

cunt, retineri possit ? » et S. Congregatio respondendum esse censuit : « Negative ; et eliminata consuetudine, servetur Ritualis Romani præscriptum. »

Q. 206. *Quænam pro delatione SS. Sacramenti ad infirmos præparanda sunt, tum apud infirmum, tum in Ecclesia ?*

R. A) **Apud infirmum.** — Rituale dicit : Parochus « præmoneat, ut ægri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in quo SS. Sacramentum decenter deponatur. » Itaque :

1° Accessus ad cubiculum, ipsum cubiculum, et cubile mundanda sunt,et ornanda pro cujusque facultate, ob reverentiam erga SS. Sacramentum.

2° Mensa paratur prope lectum infirmi, linteo mundo cooperta, in qua SS. Sacramentum decenter deponatur. In ea ponuntur duo saltem cerei ardentes, et vasculum cum aliquanta aqua ad abluendos digitos Sacerdotis.

3° Linteum mundum ante pectus communicandi ponitur, ejusque mento substernitur.

4° Licet Rituale præscribat, ut aqua benedicta cum aspersorio afferatur a ministro ex Ecclesia, hæc tamen plerumque parantur in infirmi cubiculo, et pro aspersorio sumitur parva palma.

B) **In Ecclesia** —Præterilla de quibus jam in præcedentibus dictum fuit responsis, scilicet : 1° superpelliceum, stolam et velum, sed et pluviale, pro Sacerdote deferente ; 2° Pyxidem ; vel Custodiam in sua bursa alba pro delatione ; 3° laternam, a ministro delatam, et alia lumina vel potius laternas hastiles a clericis aut fidelibus gestatas ; 4° umbellam, pro honore SS. Sacramento præstando, ne umquam absque tegiminis honore deferatur ; quæ umbella est baldachinum minus, cum duabus hastis, aut etiam cum unica hasta ; — deferentur a ministro, vel ministris : 5° bursa albi coloris, cum corporali, quod supponendum erit Pyxidi super mensa in cubiculo infirmi, et cum linteolo purificatorio, ad digitos Sacerdotis abstergendos ; 6° liber Ritualis ; 7° campanula, quæ in itinere jugiter pulsatur.

Q. 207. *Indica ordinem cæremoniarum, in administratione Viatici.*

R. I. **In delatione SS. Sacramenti ad infirmum :**

1° Sacerdos, lotis manibus, indutus superpelliceo et stola albi coloris, junctis manibus accedit ad Altare Tabernaculi, genuflectit in plano, et mox in infimo gradu genuflexus, assumit velum humerale albi coloris.

Præscribitur, pro casu delationis SS. Sacramenti ad infirmum, stola albi coloris; et non coloris Officii diei, sicut pro distributione S. Communionis in Ecclesia (Cfr. Q. 196.)

2° Ascendit Sacerdos ad Altare, aperit Tabernaculum, genuflectit, et dextera extrahit Pyxidem suo velo coopertam, et Tabernaculum claudit ; mox sinistra Pyxidem ad nodum tenet, et dextera cooperit illam extremitate veli humeralis, imponens dexteram velo ipso coopertam Pyxidi, quam sustinet ante pectus.

3° Conversus ad populum, Sacerdos proficiscitur de Ecclesia ad domum infirmi : præcedit minister deferens laternam, et etiam, nisi plures sint qui hæc deferant, bursam, Rituale et campanulam ; succedunt deferentes lumina ; postremo Sacerdos, sub baldachino, seu umbella, nudo capite procedit, dicens Psalmum *Miserere*, et alios Psalmos, et Cantica.

II. **In infirmi cubiculo** sequentes cæremoniæ observantur :

A) **Antecedentes :** 1° Salutatio Sacerdotis in ipso limine cubiculi, per verba : *Pax huic domui*, quibus respondet minister : *Et omnibus habitantibus in ea.*

2° Depositio Pyxidis super mensam, supposito corporali ; depositio veli humeralis, et adoratio SS. Sacramenti flexis genibus.

3° Aspersio infirmi, et cubiculi, aqua benedicta, sub descriptis aspersionis precibus, quæ non mutantur tempore Paschali.

4° Accessus ad infirmum, ut cognoscat, num sit bene dispositus ; si debeat aliqua peccata confiteri, Sacerdos illum audiat, atque absolvat ; in recessu fit genuflexio, et iterum in accessu ante mensam.

Notandum pro Confessione, quod regulariter infirmus prius jam rite debet esse confessus ; et in solo ne-

cessitatis casu ejus Confessio est accipienda in ipsa functione administrationis Viatici.

5° Confessio generalis, latina lingua, dicta sive ab infirmo, sive ejus nomine ab alio; quod generatim facit minister. Circa finem, Sacerdos detegit Pyxidem, genuflectit, et ad infirmum conversus subjungit preces : *Misereatur*, et *Indulgentiam*, cum signo Crucis super infirmum. Dicitur in singulari *tui, tuis, tuorum, tibi*, cum ministratur S. Communio pro Viatico ; alias, pro Communione ex devotione, dicitur *vestri, vestris, vestrorum, vobis*.

B) **Comitantes** : 1° Genuflexio versus SS. Sacramentum ; qua facta, Sacerdos Particulam accipit, et iterum conversus ad infirmum ipsi ostendit, et dicit preces : *Ecce Agnus Dei*, et *Domine non sum dignus*, more solito in Communione fidelium. Infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce.

2° Accessus ad lectum infirmi, et traditio Particulæ, præmisso Crucis cum S. Hostia signo, sub præscripta forma, scilicet : si S. Communio pro Viatico datur : *Accipe, frater* (vel *soror*), *Viaticum corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat in vitam æternam. Amen*. Si vero Communio non datur per modum Viatici, sed tantum pro devotione infirmi, dicitur more ordinario formula : *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen*.

C) **Subsequentes** : 1° Regressus ad mensam, repositio Pyxidis super mensam, genuflexio, excussio digitorum a fragmentis supra Pyxidem, cooperitio Pyxidis, ablutio digitorum in vasculo parato, et abstersio eorum purificatorio. Interea Sacerdos nihil dicit.

Aqua hujus ablutionis juxta Rituale infirmo datur bibenda ; quod si id nequeat, aut nolit infirmus, reportatur ad Ecclesiam, in sacrarium projicienda ; vel, ut consueto fit, in domo infirmi effunditur super ignem. Hoc ipse Sacerdos facere non debet, et plerumque fit a ministro.

2° Recitatio Orationis : *Domine sancte, etc.*, præmisso : *Dominus vobiscum*.

3° Assumptio veli humeralis, genuflexio ; qua facta,

Sacerdos accipit Pyxidem eamque cooperit velo humerali, ut supra in delatione, et conversus ad infirmum, cum ea facit super eum signum Crucis, nihil dicens, et egreditur e cubiculo.

III. **In reditu ad Ecclesiam :** 1° In itinere, Sacerdos recitat Psalmum *Laudate Dominum de cœlis, etc.*, et alios Psalmos et Hymnos, prout tempus feret.

2° Cum pervenerit ad Ecclesiam, Sacerdos ascendit ad Altare, deponit Pyxidem super mensam, supposito corporali ; tum, facta genuflexione, descendit ad infimum gradum, deponit velum humerale, et genuflexus dicit : ℣. *Panem de cœlo, etc.;* assurgit, et dicit : *Dominus vobiscum*, ac Orationem SS. Sacramenti, cum conclusione longa, ut habetur in Rituali.

3° Convertit Sacerdos se dein paulum versus populum, cavens ne humeros vertat ad SS. Sacramentum, et « annuntiat Indulgentias a summis Pontificibus concessas SS. Sacramentum comitantibus. »

Indulgentiæ præfatæ sunt sequentes : 7 annorum et 7 quadragenarum, pro illis qui cum lumine comitati sunt ; 5 annorum et 5 quadragenarum, pro illis qui sine lumine comitati sunt. Singulatim enumerari possunt : sufficit tamen dicere, omnes qui comitati sunt lucratos esse Indulgentias concessas.

4° Sacerdos assumit velum humerale, et mox ascendit ad Altare ; facta genuflexione, accipit Pyxidem, eamque totam cooperit velo humerali, et conversus per dexteram suam ad populum, facit super eum signum Crucis, nihil dicens. Conversus iterum, perficiendo circulum, ad Altare, detrahit a Pyxide velum humerale, et aperto Tabernaculo, deponit eam in Tabernaculum ; genuflectit, ostium claudit et clave obserat ; descendit, et deposito velo humerali, genuflectit in plano, ac regreditur ad sacristiam.

Præscripta populi Benedictio in fine functionis omittitur in Triduo sacro Majoris Hebdomadæ, post Missam solemnem Feriæ V, usque post Missam Sabbati sancti.

Q. 208. *Quid faciendum si, adveniente Sacerdote, mors immineat, et periculum sit in mora ?*

R. Præcedentibus precibus omnibus, vel ex parte omissis, Sacerdos statim dicit : *Miscreatur, etc.*, et mox Viaticum moribundo præbet ; preces in hoc casu omissæ, dato Viatico, non suppleri debent.

Q. 209. *Quomodo procedendum, si ægrotus non, aut difficulter deglutire possit S. Hostiam ?*

R. Si, allato jam apud infirmum SS. Sacramento, Sacerdos intelligat, ob præsentem improvisum ægroti statum, e. g. tussis, vomitus, delirii, S. Hostiam ei dari non posse, in tali casu super mensam deponet Pyxidem, et cum adstantibus adorando paulisper morari poterit, donec obstaculum cesset ; si vero obstaculum non intra tempus unius alteriusve horæ videretur cessaturum, Sacerdos infirmum monebit, qui spiritualiter tunc communicare poterit ; et tunc ægroto cum SS. Sacramento Benedictionem impertietur ; dein ad Ecclesiam eodem quo venerat modo redibit.

Si hujusmodi obstaculum non cessaturum prævideretur, non liceret deferre ad ægrotum SS. Sacramentum ; statuit enim Rituale ut SS. Eucharistia « alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujusvis rei prætextu ad ostendendum non deferatur. »

Si difficulter ægrotus deglutire posset integram S. Hostiam, de quo in dubio experimentum capiatur cum particula non consecrata, pars S. Hostiæ ei detur pro Viatico ; aut in casu ariditatis oris et faucium, aqua aut vinum prævie ei detur, et etiam sumpta Sacra Hostia, ut facilius eam deglutire valeat ; vel S. Hostia ejusve pars in decenti cochleari, cum vino aut aqua porrigatur.

Casus dari potest, quod S. Hostia, omnibus jam frustra tentatis, in ore remaneat infirmi qui eam deglutire non valet ; vel etiam, quod ægrotus statim post acceptam Sacram Particulam moriatur, et ipsa in ejus ore adhuc remaneat ; in his casibus deberet Sacerdos Sacram Particulam digito ex ore extrahere, eamque ad Ecclesiam reportare. Quid de ejusmodi extracta Particula sit faciendum, exponitur in Tractatu de Celebratione SS. Missæ Sacrificii, Libro III, De Defectibus.

Q. 210. *Quomodo terminatur functio, si quadam de causa una Particula tantum delata fuit ad infirmum ?*

R. Rituale dicit quod « si longius aut difficilius iter sit faciendum, » una tantum Particula consecrata poni potest in parva Custodia ; et necesse erit, præsertim si fortasse equitandum esset, hanc Custodiam « bursa decenter ornata, et ad collum appensa, apte includere, et ita ad pectus alligare, atque obstringere, ut neque decidere, neque Pyxide excuti Sacramentum queat. » (Cfr. Q. 205, 2°.)

« Quod si ob difficultatem, aut longitudinem itineris, vel quia ea qua decet veneratione, Sacramentum ad Ecclesiam commode reportari non potest, sumpta fuerit una tantum Particula consecrata, tunc ea infirmo administrata, Sacerdos, prædictis precibus recitatis, eum manu benedicit,» dicens: *Benedictio Dei, etc.*, ut in Communione fidelium ; quo facto, exuit stolam et superpelliceum, reponit Pyxidem in bursam, et ad collum hanc appendit ; « et una cum aliis, privato habitu, exstinctis luminibus, umbella demissa, latente Pyxide, ad Ecclesiam, vel domum quisque suam revertatur. »

Q. 211. *Quoties, et ubi Benedictio cum SS. Sacramento, in ejus delatione ad infirmum, danda est ?*

R. Benedictio cum SS. Sacramento, in administratione S. Communionis infirmis, bis tantum juxta Rituale datur ; scilicet 1° post administratam S. Communionem, super infirmum, antequam e cubiculo discedatur (cfr. Q. 207, II, C, 3°) ; 2° in fine functionis ad Altare, immediate antequam Pyxis reponatur in Tabernaculum (cfr. Q. 207, III, 4°). — Præter istàs duas, juxta Rituale nulla alia danda est Benedictio. Existente tamen consuetudine, si sit legitima, Benedictio pluries impertiri potest. Quoties autem, et ubi ex consuetudine dari possit Benedictio, generaliter dici non potest ; licet enim optandum foret, ut eadem praxis ubique servaretur, ea tamen varia pro vario loco esse potest. Ad discernendum utrum ratio haberi debeat consuetudinis existentis, inspecta hujus natura, videndum an consuetudo sit laudabilis, an venerationem SS. Sacramenti ac veram populi devotionem augeat ; sicut enim Bene-

dictio nimia et importuna probari nequit, sic contra suo loco et modo debito data laudabilis dicenda est. Ita S. Rituum Congregatio pluries declaravit, ex gratia servari posse consuetudinem benedicendi populum, e. g. extra domum infirmi. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechlinien., anni 1870, ex Liturgia Q. IV.)

Q. 212. *Quomodo defertur SS. Sacramentum ad infirmos, A) in Triduo sacro Majoris Hebdomadæ ; B) de nocte; C) in locis ubi manifeste deferri nequit ob metum infidelium ?*

R. A) Si sacrum Viaticum deferri debet ad infirmum Feria quinta in Cœna Domini, post Missam solemnem, Feria sexta in Parasceve, et Sabbato Sancto, ante Missam solemnem, Sacerdos adhibebit stolam et velum humerale coloris albi ; non pulsabitur campanula, sed crotalus ; in fine non dabitur Benedictio cum SS. Sacramento in Ecclesia. Cæterum omnia servabuntur sicut alias. Adhibentur paramenta coloris albi ; quia in tali circumstantia hæc actio nihil habet rationis cum functionibus Ecclesiæ hujus diei. (S. Rituum Congregatio, Decret. 15 Maji 1745, n. 2383, antiq. 4170.)

B) Si necessitas urgeat, et noctu, illis nempe horis quibus homines dormire solent, deferri debeat Viaticum, fiet privatim sine ulla pompa ; unica tunc sumitur Particula in parva Custodia, quæ in bursa includitur, et ad collum appenditur ; Sacerdos tamen superpelliceo, et stola alba indutus procedit, et habebit ministrum, qui defert laternam accensam. Servantur dicta Q. 210.

C) « Ubi Turcarum vis prævalet et iniquitas, Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus : in sacculo, seu bursa Pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat ; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu Clerici, associetur. » Ita Rituale Romanum, in Appendice de Sacramento Eucharistiæ, ex Constitutione Benedicti XIV : *Inter omnigenas*. Hic modus poterit servari in aliis locis acatholicorum, et etiam ubi SS. Sacramentum ob periculum sacrilegii, aut aliud grave

incommodum, juxta ritum expositum manifeste deferri nequit, nisi jam alia pro hujusmodi locis instructio a Sede Apostolica fuerit obtenta. (Cfr. Statuta Dicec. n. 249 ; supra citata Q. 205, ad 2 ; et Conferentiæ ecclesiasticæ Dicœcesis Mechlinien., anni 1872, ex Liturgia Q.IV.) Hic notatur quod si Sancta Sedes aliquando facultatem concessit deferendi occulte SS. Sacramentum, minime concedat illud ministrare in domibus sine superpelliceo et stola, aut aliis requisitis.

Q. 213. *Quid specialiter notandum est,* 1° *pro administratione SS. Eucharistiæ, quæ aliquoties per annum fit ad plures infirmos, devotionis causa ;* 2° *pro administratione SS. Eucharistiæ ad infirmos, in nosocomiis, seu valetudinariis ?*

R. ad I. In multis parochiis, aliquoties per annum, defertur SS. Eucharistia ad plurimorum infirmorum Communionem, solemni ritu (juxta dicta Q. 204, 2°) ; in hoc casu, etiamsi numerus infirmorum major esset, non omittet Sacerdos pro singulis infirmis dicere omnes preces, et exsequi omnes ritus in Rituali præscriptos : nullibi enim, neque in Rituali, neque in Decretis, neque apud auctores, aliqua horum omissio permittitur. Itaque in singula domo, in singulo cubiculo, fiat aspersio aquæ benedictæ cum adjuncta Oratione ; et dicatur post datam Communionem Oratio pro infirmo, eique detur Benedictio. Sacerdos pius, et ædificationi intentus, non gravabitur omnia requisita ad amussim dicere, et exsequi, etiam pluries, ea quæ a pia Matre Ecclesia in hac functione præscribuntur, tum pro levamine infirmi, tum et præsertim pro reverentia SS. Sacramento debita. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IV, 1890, pag. 452.)

Ad II. Quando S. Communio administratur pluribus simul infirmis in nosocomiis, seu valetudinariis, si in uno cubiculo plures essent infirmi ex devotione communicandi, qui Sacerdotem S. Communionem deferentem possent videre vel saltem audire ; licitum nemo negabit, semel tantum pro diversis unius cubiculi infirmis communicandis dicere preces et exsequi ritus ; et pro singulis tantum dicere, in S. Communione præbenda

formulam *Corpus Domini nostri, etc.* Idemque licitum esset, in morbis contagiosis, aut alia necessitate, pro Viatico pluribus in uno eodemque loco degentibus ministrando ; dicendo tunc pro singulo tantum formam *Accipe, etc.* (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 554-556.)

Pro nosocomiis insuper sequens animadvertendum est S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Utrum liceat Sacerdoti, in Sacello valetudinarii celebranti, deferre post Communionem Particulas in Patena, et pergere ad cellulas infirmorum ut eis Communionem præbeat, aut aliquando etiam Viaticum ; an potius reservare debeat Particulas, ut id præstet post Missam ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Quoad primam partem, Negative ; juxta Decretum diei 19 Decembris 1829, in Florentina, ad dubium primum. Quoad secundam partem, Affirmative. » Decret. 24 Martii 1860, n. 3099, antiq. 5303, ad dubium 1.)

Decretum citatum 19 Decembris 1829 (n. 2672, antiq. 4651, ad 1), sequentis tenoris est : « An tempore Sacrosancti Missæ Sacrificii, in administratione Viatici, præsertim in xenodochiis, liceat ab Altari recedere usque ad ægrotorum lectum, recitando interim Psalmum *Miserere*, ut fieri solet extra Missam ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Negative, quoad Psalmum *Miserere* recitandum. Insuper animadvertendum, quod si Celebrans, pro Viatici administratione intra Missam, Altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere. »

TITULUS V

De Sacramento Extremae Unctionis

CONSPECTUS MATERIÆ

Quæ referuntur ad administrationem hujus Sacramenti, duplici Capite proponuntur : in priori dicitur de materia remota ac proxima, et de forma Extremæ Unctionis ; in altero de Ordine ministrandi Sacramentum Extremæ Unctionis.

In Appendice exponuntur ea quæ Rituale hic loci tradit, 1° de visitatione et cura infirmorum ; 2° de modo juvandi morientes.

CAPUT I

DE MATERIA REMOTA AC PROXIMA, ET DE FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS

ARTICULUS I

De materia remota

Q. 214. *Quænam est materia remota Sacramenti Extremæ Unctionis ?*

R. Est Oleum, ab Episcopo benedictum Feria V in Cœna Domini, specialiter vocatum **Sacrum Oleum infirmorum**. Dicitur 1° **Oleum**, et quidem olivarum, absque ulla alterius liquoris admixtione ; — 2° Oleum **benedictum ab Episcopo Feria V in Cœna Domini**, quod singulis annis renovandum est ; et vetus non potest adhiberi, postquam novum benedictum fuit distributum, sed debet comburi. (Statuta Diœc. n. 380.)

Q. 215. *Quid faciendum, si infra annum aliquo modo deficit Oleum ?*

R. Si Oleum benedictum « forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur ; neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non

benedicto, in minori quantitate superinfuso, reparari potest. » Imo hæc adjunctio pluries iterari potest, quamvis omnibus adjunctionibus consideratis, sit major quantitas olei non benedicti, dummodo ea in unaquaque adjunctione sit minor. (Ita S. Congregatio Concilii, 23 Septembris 1682 ; et Pius VI, 1 Aprilis 1794.)

Q. 216. *Quomodo, et ubi asservatur Sacrum Oleum infirmorum ?*

R. Sacrum Oleum infirmorum servatur, « vel per se solum, vel » ad evitandum effusionis periculum, multo commodius « in bombacio, seu re simili, » in vase argenteo, vel stanneo, satis amplo ut pollex commode immitti possit, bene obturato, cui consulte inscriptio : **Sanctum Oleum infirmorum,** vel saltem abbreviatio litteris **O. I.,** inciditur. — Hoc vas includitur sacculo serico violacei coloris, qui habeat suos funiculos sericos, ejusdem coloris, quibus constringitur, et collo, ubi necesse est, appenditur. — Custoditur vasculum in « loco nitido, et decenter ornato ; » sub clave, et tuta custodia ; scilicet, vel in armario, intus pannis sericis violacei coloris vestito, exterius subscriptione : **Sanctum Oleum infirmorum**, signato ; vel in sacristia, nempe in repositorio quod asservationi rerum sacrarum, aut benedictarum, tantum inserviat ; vel potius in ecclesia, nempe in pariete muri dextro vel sinistro, prope Altare ubi Tabernaculum SS. Sacramenti habetur (cfr. Q. 70) ; quia frequenter accidit, ut, dum Viaticum infirmo deferendum est, Oleum infirmorum etiam pro sacra Unctione simul deferendum sit. — Ubicumque vero vasculum asservetur, non importune forsan animadvertendum est, convenire, ut locus sit separatus a custodia S. Chrismatis et Olei Catechumenorum, ne error forte committatur in administratione. — Numquam vero vasculum deponi potest in ipso Altari SS. Sacramenti, aut in Tabernaculo (cfr. Statuta Diœc,, n. 246) ; multo minus vas Sacri Olei imponi potest in cooperculo aut in pede Pyxidis SS. Sacramenti, ut antiquitus nonnumquam factum fuit, et hujusmodi Pyxides, eorumve coopercula reformare necesse est. (Cfr. insuper quæ dicta fuerunt de SS. Oleorum asservatione in va-

sculis, QQ. 68-70 ; et de parva Custodia SS. Sacramenti, Q. 157, 2°.)

De S. Olei infirmorum asservatione exstat Decretum, datum a S. Rituum Congregatione, die 16 Decembris 1826, in Gandaven. (n. 2650, antiq. 4623, ad 3), ad sequens dubium : « Sacerdotes curam animarum exercentes, pro sua commoditate, apud se in domibus suis retinent Sanctum Oleum infirmorum. Quæritur : An, attenta consuetudine, hanc praxim licite retinere valeant ? » S. Congregatio respondit : « Negative ; et servetur Rituale Romanum, excepto tamen casu magnæ distantiæ ab Ecclesia ; quo in casu, omnino servetur etiam domi Rubrica quoad honestam, et decentem, tutamque custodiam. »

Excipitur etiam casus infirmi periclitantis, dum Parochus probabile periculum prævidet quod in nocte vocatus ad conferendam Sacram Unctionem, præsto non foret, ut promptus accurrat ad illam morituro ministrandum. — Sed ex hac limitatione generalis regulæ recta consequitur, ait Gardellini (in Nota ad hoc Decretum), a regulæ observantia sine urgentissima necessitate recedendum non esse ; proindeque illicitum fore, unica tantum commoditatis ratione, Sacrum Oleum domi retinere.

Casu quo Sacrum Oleum ob necessitatem, vel justam causam domi retinetur, servandum itaque est religiose, non cum aliis suppellectilibus, et domesticis ustensilibus ; sed in propria et speciali capsula, ac semper sub sera. (Cfr. XVII Congregatio Archipresbyterorum Diœcesis Mechlinien., anni 1850, n. VI ; et Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechlinien., anni 1879, ex Liturgia Q. IV.)

ARTICULUS II

De materia proxima, seu de Unctionibus

Q. 217. *Quænam corporis partes ungendæ sunt, et quo ordine ?*

R. « Quinque corporis partes præcipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tri-

buit; » et sequenti ordine : 1° oculi, propter visionem ; 2° aures, propter auditum ; 3° nares, propter odoratum ; 4° os, propter gustum vel locutionem ; 5° manus, propter tactum, qui tametsi toto corpore æqualibiliter fusus sit, in ea tamen parte maxime viget. Attamen etiam ungendi sunt : 6° pedes, qui nobis ingressus et ad locum movendi principium sunt ; et 7° renes, propter delectationem ibidem vigentem, qui veluti voluptatis et libidinis sedes sunt. « Sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur ; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet. »

Q. 218. *Quænam circa omnes unctiones generatim notanda veniunt ?*

R. 1° Unctiones fiunt pollice, intincta nempe in Sacro Oleo pollicis summitate a parte interiori, ubi est ejusdem digiti pulpula, non vero unguis. Non licet uti virgula ; nam ad quæsitum : « Utrum in Diœcesi, in qua invaluit usus stilum seu virgulam argenteam adhibendi in administratione Extremæ Unctionis, usus ipse tuto continuari possit ? » S. Rituum Congregatio, Decreto 9 Maji 1857 (n. 3051, antiq. 5243, ad 2), respondit : « Negative, excepta necessitatis causa. » Et itidem ad dubium : « Utrum possit continuari consuetudo administrandi Sanctum Sacramentum Extremæ Unctionis, utendo penicillo seu virgula argentea, generaliter et extra casum necessitatis, loco pollicis intincti in Oleo Sancto, juxta præscriptum in Rituali Romano ? » S. Rituum Congregatio, Decreto 31 Augusti 1872 (n. 3276, antiq. 5517, ad 3), negativum responsum dedit, et præscriptum Ritualis servandum mandavit.

Excipitur casus necessitatis, qualis est casus morbi contagiosi, in quo virgula adhiberi potest, sicut in præfato Decreto 9 Maji 1857 declaratur, et probatur a Benedicto XIV. (*De Synodo Diœcesana*, L. 13, C. 19, n. 29, 30 ; cfr. Conferentiæ Ecclesiasticæ Diœcesis Mechlinien., anni 1878, ex Liturgia Q. V.) In tali casu adhibere licet, vel virgulam argenteam, purgandam quoties

Sacro Oleo erit intingenda, ne Sacrum Oleum inficiatur, aliisque infirmis postea periculum afferat ; vel potius tot virgulas ligneas, quot sunt unctiones faciendæ, quæ virgulæ postea comburuntur, et earum cineres in sacrarium projiciuntur.

Ante annum 1873, in nostra Diœcesi unctiones generatim fiebant mediante virgula, et plerumque vascula Sacrorum Oleorum ejus non erant amplitudinis, ut pollex commode immitti possit ; vascula ejusmodi, si alicubi adhuc remaneant, omnino reformanda sunt. Casu quo Sacerdos, pro administratione Extremæ Unctionis, præ manibus haberet hujusmodi vasculum tam angustum, ut pollicem immittere non possit, tunc mediante virgula imponet Sacrum Oleum pollici, et ita pollice unget infirmum. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechlinien., anni 1881, ex Liturgia Q. V, ad 4.)

2° Unctiones omnes fieri debent in modum Crucis.

3° Ad singulam unctionem pollex Sacro Oleo est intingendus ; dum tamen membra paria inunguntur, sufficit semel pro utroque membro pollicem in Sacro Oleo intingere.

4° Membra paria duplici unctione, primo dextrum, dein sinistrum, unguntur, in modum Crucis, sub unica forma ; et Sacerdos « caveat, ne alterum ipsorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit. » (Cfr. Q. 230, B, 3°.)

5° Loca inuncta post quamlibet unctionem terguntur novo globulo bombacii, ab ipsomet Sacerdote ; quod etiam fieri potest a Ministro, si est in sacris. Membra paria eodem globulo, et post alterius unctionem tantum terguntur. — Post omnes unctiones factas, Sacerdos digitos medulla panis detergit, manusque aqua abluit.

6° « Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma ; » quamvis enim infirmus non habeat membrum, tamen potentiam animæ habet, ad quam membrum refertur, et peccare potest interius per desiderium illicitum, quod membro deficienti respondet.

Q. 219. *Speciatim indica ubi, et quomodo faciendæ sint diversæ unctiones.*

R. 1° **Oculi** debent claudi, et unctio fit super ambas valvas seu palpebras.

2° **Aures** inunguntur in lobulo, seu ima auricula, ut facilius abstergi possit Sacrum Oleum, non vero in helice, vel alveolo.

3° **Nares** inungere sufficit unica unctione super extremitatem summitatis nasi, ubi ambæ narices conveniunt, ita tamen ut evitetur sternutatio ; quæ si prævideretur, facienda foret potius unctio duplex ad narices, quæ sunt nasi alæ laterales.

4° **Os** inungitur unica unctione, compressis labiis, ita ut prima Crucis linea fiat super utrumque labium, altera super labium inferius ; ubi tamen infirmus comprimere labia non potest, ut si esset in agone, ore hiante, sufficit inungere unum labium, et consultius labium inferius.

Apud rabidos (ex hydrophobia), quorum saliva inficiendi vim habet, unctio fiet, non in labiis sed in loco vicino.

5° **Manus** inunguntur in media palma utriusque manus. Sacerdotibus inunguntur exterius, quia ipsorum manus interius inunctæ fuerunt per Episcopum, occasione Ordinationis.

6° **Pedes** liniuntur in parte inferiori (in plantis), juxta S. Carolum Borromæum, S. Alphonsum, aliosque auctores ; quia sensibilitas et usus pedis est præcipue in parte ejus inferiori, sicque habetur simul analogia cum unctione manuum, quæ interius, ubi major est sensibilitas et usus, liniuntur. Convenientius, et commodius tamen pedes unguntur in parte superiori (ad tarsum, supra digitos pedum), uti fert consuetudo apud nos recepta ; et Episcopo Rhedonensi sciscitanti : « Anne, ultra pedum pars superior, inferior quoque ungenda sit in Sacramento Extremæ Unctionis ? » S. Rituum Cōngregatio, Decreto 27 Augusti 1836 (n. 2743, antiq. 4780, ad 1), respondit : « Nihil innovandum. »

7° **Lumbi sive renes.** Prænotato, A) quod **lumbi** proprie sunt ossa seu vertebræ columnæ seu spinæ lumbaris, quæ sita est ad altitudinem loci ubi cingulo

præcingimur, infra costas et supra ossa coxalia ; — B) quod renes sunt siti ad utrumque latus interius spinæ lumbaris ; — lumbi sive renes unguntur, vel 1° unica unctione in medio super vertebras lumbares ; — vel 2° duplici unctione, ab utraque parte hujus columnæ ; — vel 3° juxta varios auctores, unica unctione ad alterutram partem columnæ lumbaris. Hæc unctio ad utramque, vel ad alterutram spinæ partem potest fieri, vel juxta columnam lumbarem, vel ad locum inter lumbos et os coxale quod in latere positum sentimus, vel ad latus ; ita ut infirmus vix moveri debeat, et incommodum non nisi in graviter laborantibus occurrere queat.

Q. 220. *Quid speciatim de hac renum unctione facienda, vel omittenda, declaravit S. Rituum Congregatio, pro locis ubi numquam adhibita fuit ?*

R. Rituale Romanum præscribit unctionem renum in viris, et eam omitti permittit tantum « quando infirmus commode moveri non potest » (cfr. Q. 217). Hæc renum unctio in nostris regionibus generatim numquam in usu fuit ; et non pauci Episcopi existimarunt ipsam difficulter jam fore introducendam in suis Diœcesibus. Hac de re S. Rituum Congregatio, Archiepiscopo Ultrajectensi, postulanti ut renum unctio in Rituali Romano omitti permitteretur, uti hactenus in Diœcesi inusitata, declaravit : « Quod vero attinet ad renum unctionem, quam in administrando Sacramento Extremæ Unctionis numquam in ista Diœcesi Amplitudo tua adhibitam fuisse testatur, et quam idcirco postulat, ut in Rituali Romano omitti permittatur, visum est Sacræ Congregationi nullam prorsus, sive in hac, sive in alia quacumque re, suppressionem vel immutationem in Rituali induci oportere, sed illud voluit integre, et fideliter imprimi, prout a Paulo V editum, et a Benedicto XIV recognitum et castigatum fuit. Quod si unctio renum inusitata istic hactenus fuit, declaravit S. Congregatio, patienter se quidem laturam, si singularia istius Diœcesis adjuncta impediant quominus illico, et universim ad praxim unctio isthæc deducatur ; insimul tamen ardentissimum votum suum

expressit, ut, curante Amplitudine Tua, et docentibus Parochis, paulatim et sensim sine sensu disponantur fideles ad istam quoque specialem unctionem in extremo agone recipiendam, juxta Ritualis Romani præscriptiones. » (Decr. 14 Augusti 1858, n. 3075, antiq. 5271.)

Hanc S. Rituum Congregationis declarationem, hocque votum clero suo significavit Emus Dñus Card. Dechamps, in litteris pastoralibus 6 Octobris 1872. (Collectio Epistolarum Pastoralium Diœcesis Mechlinien., Tomus V, pag. 144.)

Itaque integer certo servari debet textus Ritualis Romani ; attamen, hoc integro servato, concessit aliquando Summus Pontifex omissionem unctionis renum; et ita SS. D. Leo XIII indulsit, 9 Augusti 1897, pro Diœcesi Brugensi, ut unctio renum, numquam usitata et difficulter introducenda, semper omitti queat, etiamsi infirmus commode moveri possit. (Cfr. Collationes Brugenses, II, 1897, pag. 601-603.)

ARTICULUS III

De forma Extremae Unctionis

Q. 221. *Quænam est forma Sacramenti Extremæ Unctionis ?*

R. « Hujus autem Sacramenti forma, qua sancta Romana Ecclesia utitur, solemnis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait : *Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid, per visum, sive per auditum, etc. deliquisti.* » Ipse Sacerdos singula vice in fine dicit : *Amen.*

Q. 222. *Quare forma hujus Sacramenti est deprecativa ?*

R. Forma hujus Sacramenti est deprecativa, seu precatione quadam absolvitur, non vero indicativa sicut in aliis Sacramentis, quorum forma vel absolute significat quod efficit, vel tamquam ab imperantibus pronuntiatur ; eo quod Extrema Unctio adhibetur, ut præter spiritualem gratiam quam tribuit, etiam corporalem sanitatem restituat ægrotis ; cumque sanitas

corporis sit effectus, qui potissime a Dei benignitate pendet, hinc conveniens est, precatione uti ad illam a Deo impetrandam. — Forma deprecativa convenientissima respondet verius ac proprius verbis S. Apostoli Jacobi (V, 14) : « Orent super eum, et oratio fidei salvabit infirmum. »

Q. 223. *Quænam est significatio Olei, et Unctionis, in Sacramento Extremæ Unctionis ?*

R. Concilium Tridentinum (Sess. 14, Cap. 1) loquens de Extrema Unctione ait : « Unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat. » Videlicet oleum prodest ad restituendam sanitatem, ad fovendum lumen, ad leniendos dolores, ad recreandas vires corporis defatigati ; Extrema Unctio confert sanitatem spiritualem, vel etiam corporalem, spem fovet, tristitiam, timorem, angorem lenit, animamque ægrotantis confortat ad morbi incommoda levius ferenda, et ad tentationes diaboli facilius vincendas. (Catechismus Concilii Tridentini, P. II, Cap. 6, Q. 5.)

Unguntur autem recte corporis sensus, quia sicuti in corporis morbis, quamvis universum corpus male affectum sit, tamen illi tantum parti præcipue curatio adhibetur, a qua, tamquam a fonte et origine morbus manat ; ita etiam non totum corpus, sed ea membra, in quibus potissimum sentiendi vis eminet, ac per quæ recipimus nocivas impressiones quæ nos ad peccandum alliciunt, ungenda, seu Unctione sacra curanda sunt.

CAPUT II

DE ORDINE MINISTRANDI SACRAMENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS

Q. 224. *Quo ordine generaliter ultima Sacramenta infirmis præbenda sunt ?*

R. « Illud in primis ex generali Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut si tempus, et infirmi conditio permittat, ante Extremam Unctionem, Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur. »

Q. 225. *Quis ordinarie Extremam Unctionem ministrare, et Eucharistiam ad ægrotos deferre potest ?*

R. « Etsi quilibet Sacerdos possit infirmis de quorum vita timetur, Extremam Unctionem valide conferre, solus tamen Parochus est ordinarius ejusdem minister in sua parochia, nec ulli fas est, extra necessitatis eventum, sine ejusdem Parochi aut Episcopi licentia, Sacro Oleo ægrotantes inungere. » (Stat. Diœc. n. 290.)

« Nullus Sacerdos, sine licentia Parochi, Eucharistiam ministrare extra Missam, aut ad ægrotum deferre præsumat. Vicarius, si, ut fieri solet, generalem habeat a Parocho licentiam deferendi SS. Sacramentum ad ægrotos, ipsum de qualibet delatione quamprimum reddat certiorem. »

« Sciant vero religiosi, se excommunicationi latæ sententiæ, Romano Pontifici reservatæ, subjacere, si præsumerent clericis aut laicis, extra casum necessitatis, Sacramentum Extremæ Unctionis, aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare absque Parochi licentia- » (Stat. Diœc. n. 248.)

Q. 226. *Quid de opportuna Extremæ Unctionis administratione præscribunt Statuta Diœcesana, et Rituale ?*

R. « Si medici, quorum præ ceteris est judicare an adsit mortis periculum, vel desint, vel rem ancipitem et injudicatam relinquant, Sacerdos non cunctetur quin ægroto Oleum infirmorum conferat, quoties ipse mortis periculum ex infirmitate imminere, jure et merito censuerit. » (Stat. Diœc. n. 291.)

Administrandum est hoc Sacramentum periculose ægrotantibus, ait Rituale, « eo quidem tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget ; ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem, ac piam animi voluntatem conferre possint, dum Sacro liniuntur Oleo. »

Q. 227. *Cur tot preces adhibentur in administratione hujus Sacramenti ?*

R. Maxima pars rituum in hujus Sacramenti administratione precationes continet, quibus Sacerdos ad ægroti salutem impetrandam utitur ; et nullum aliud est Sacramentum quod pluribus precibus administre-

tur : quoniam eo potissimum tempore fideles piis obsecrationibus adjuvandi sunt. (Catechismus Concilii Tridentini, P. II, Cap. 6, Q. 15.)

ARTICULUS I

Ordo consuetus ministrandi Sacramentum Extremae Unctionis

Q. 228. *Quænam, juxta Rituale, præparanda sunt in cubiculo infirmi ?*

R. Juxta Rituale, in cubiculo prope lectum infirmi, super « mensam mappa candida coopertam », præparantur : 1° « vas in quo sit bombacium, seu quid simile, in septem globulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas ; » (septem distinguuntur globuli, si vir esset inungendus in renibus, alias sex globuli sufficerent) ;— 2° vas cum medulla panis, ad detergendos digitos Sacerdotis ; — 3° vas cum aqua, ad Sacerdotis manus abluendas ;—4° candela cerea quæ, ait Rituale,« accensa ipsi ungenti lumen præbeat ; » debet tamen hæc esse in promptu, etiam licet in die administretur Sacramentum, quia non tantum ad lumen, sed et etiam ad Sacramenti dignitatem adhibenda est. Præter hæc plerumque præparantur etiam ea, quæ Rituale præscribit ex Ecclesia a ministro afferri, nempe :—5° aqua benedicta, cum aspersorio ; et —6° Crux cum imagine Crucifixi.

Q. 229. *Quomodo Sacerdos, hoc Sacramentum administraturus, se confert ad domum infirmi, eoque ministrato redit ad Ecclesiam ?*

R. Sacerdos sine vestibus sacris, in habitu vulgari, et capite cooperto, decenter vas Olei Sacri, sacculo serico violacei coloris inclusum, caute defert ambabus manibus, vel saltem dextra manu ante pectus ; vel si longius iter, aut difficilius est peragendum, vas bursa inclusum ad collum appendit. Numquam vero in sacculo vestis deferatur, quod contra debitam foret reverentiam. Comitantur ministri, vel saltem unus minister comitatur, item sine vestibus sacris, qui defert Rituale, stolam violacei coloris, et superpelliceum.

Defertur Sacrum Oleum ad infirmum sine vestibus sacris ; etenim Rituale nullas sacras vestes requirit pro hac delatione, quam tantum dicit « decenter » esse fafaciendam ; et S. Rituum Congregatio declaravit : « non Extremæ Unctionis Oleum solemniter cum superpelliceo, ac lanternis ad infirmos deferendum esse. » (Decr. 28 Januarii 1606, n. 196, antiq. 289.)

Ita præscribitur, ne cultus, qui Sacris Oleis convenit cum illo confundatur, qui soli SS. Eucharistiæ tribuendus est.

Q. 230. *Describe ritus in ministrando Sacramento Extremæ Unctionis servandos.*

R. A) ANTECEDENTES. — 1° Sacerdos, intrans cubiculum, ubi jacet infirmus, dicit salutationem : *Pax huic domui ;* cui respondet minister : *Et omnibus habitantibus in ea.* Mox Sacerdos deponit Oleum Sacrum super mensam, induit superpelliceum et stolam violaceam. Notanda est hæc præscriptio, stolæ non tantum, sed et superpellicei, quæ Rituale jubet adhiberi sine ulla exceptione, limitatione aut moderatione ; stolam solam non sufficere declaravit S. Rituum Congregatio, ubi ad quæsitum : « An saltem Sacramentum Extremæ Unctionis cum stola tantum administrari possit ? » respondit : « Negative, et eliminata consuetudine, servetur Ritualis Romani præscriptum. » (Decr. 16 Decembris 1826, in Gandaven., n. 2650, antiq. 4623, ad 2.) Excipitur tamen casus positivæ necessitatis, cum tempus non relinquitur sumendi vestes pro hoc Sacramento administrando præscriptas.

2° Sacerdos ægroto Crucem pie deosculandam porrigit.

3° Accepto aspersorio, Sacerdos interea dum dicit Antiphonam *Asperges, etc.*, aspergit cum aqua benedicta ægrotum, cubiculum et circumstantes, in modum Crucis, hoc est, primo in medio, secundo ad suam sinistram, tertio ad suam dexteram.

Antiphona *Asperges, etc.* sola dicenda est, et non addi debet Psalmus *Miserere*, nec Versus, nec Oratio, uti in administratione S. Communionis infirmis ; Rituale enim solam Antiphonam præscribit.

4° Sacerdos, « si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Deinde piis verbis illum consoletur, et de hujus Sacramenti vi, atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat : et quantum opus sit, ejus animam confirmet, et in spem erigat vitæ æternæ. »

Formulam hujusmodi monitionis exhibet Pastorale Mechliniense ; eam pro exemplo juvat hic transcribere :

N., Onze Zaligmaker Jesus Christus heeft een bijzonder Sacrament voor de zieken ingesteld, om hun de gratien te bezorgen die zij meest van noode hebben. Dit Sacrament is zeer voordeelig aan ziel en lichaam : het doet de overblijfsels der zonde verdwijnen ; het bezorgt moed en geduld om de pijnen en het verdriet der ziekte te verdragen. Ja, het helpt tot herstelling der gezondheid, indien zulks den zieken zalig is.

Stel dus uw betrouwen in dit Heilig Sacrament, en ontvang het met volkomen eerbied en godvruchtigheid.

Wij gaan den Heere bidden, dat hij u verleene al de gratien welke dit Heilig Sacrament bevat. Vereenig uwe gebeden met de onze, en, terwijl ik de heilige zalvingen zal doen, vraag nogmaals vergiffenis aan God over de zonden die gij ooit bedreven hebt.

N., Notre Seigneur Jésus-Christ a institué un Sacrement spécial pour les malades, afin de leur procurer les grâces dont ils ont surtout besoin. Ce Sacrement est utile à l'âme et au corps : il efface les restes du péché ; il donne le courage et la patience nécessaires pour supporter avec résignation les douleurs et les ennuis de la maladie. Il contribue même au rétablissement de la santé, si cela est utile au salut du malade.

Mettez donc votre confiance dans ce Sacrement, et recevez-le avec tout le respect et la dévotion convenables.

Nous allons prier Dieu, qu'il vous accorde toutes les grâces attachées à ce Sacrement. Unissez vos prières aux nôtres, et pendant que je ferai les onctions saintes, demandez de nouveau pardon à Dieu des fautes que vous avez commises.

5° Postea Sacerdos, stans ad mensam, conversus ad infirmum dicit : ℣. *Adjutorium*, *Dominus vobiscum*, et tres Orationes ; Crucis signa assignata efformat versus infirmum.

Agitur in his Orationibus de domo, de habitaculo, de habitantibus ; hæc verba accipienda sunt lato sensu, pro quocumque loco, seu receptaculo, in quo infirmus jacet ; et etiamsi sub aere administraretur hoc Sacramentum, ideo hæc non sunt omittenda, si tempus suppetat eas Orationes dicendi.

6° « Facta confessione generali, latino, vel vulgari sermone, Sacerdos dicit : *Misereatur, etc., Indulgentiam, etc.,* » in singulari numero.

B) Comitantes. — 1° « Antequam Parochus incipiat ungere infirmum, moneat adstantes, ut pro illo orent, et ubi commodum fuerit, pro loco et tempore, et adstantium numero, vel qualitate, recitent septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat. » Notat S. Alphonsus (*Theologia moralis*, Lib. 6, n. 727), se probabilius putare, præfatas Orationes esse tantum de consilio, dum nullibi habetur de ipsis præceptum.

2° Sacerdos dicit Orationem : *In nomine Patris, etc.*, ter signum Crucis efficiens super infirmum.

Nota. In hac Oratione occurrunt sequentia verba : « per impositionem manuum nostrarum » ; attamen nulla expresse præscribitur manuum impositio facienda : ratio illorum in Oratione verborum est, quia in administratione Extremæ Unctionis habetur aliqua manuum impositio, propemodum uti cum Episcopus in Confirmatione ungit confirmandum ; revera enim quodammodo uterque adumbrat Sacramentum conferendo. (Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 63.)

3° Sacerdos vasculum Olei Sacri accipit, aperit, et sinistra tenet, et accedit ad lectum infirmi. Cum eo accedit minister, tenens candelam sinistra, et vas cum globulis bombacii dextera. Sacerdos intingit pollicem dextrum in Oleo Sacro, ita ut pollicis summitas a parte anteriori Sacro Oleo sit intincta, eoque efficit signum Crucis in partes inungendas, servatis quæ Q. 218 et Q. 219 describuntur. Prima verba formæ distribuit sequenti modo dum efformat Crucem in unctione : ad lineam rectam dicit : *Per istam sanctam Unctionem*, ad transversam : *et suam piissimam misericordiam.* Cum membra paria inungit, sequenti modo distribuit verba formæ : 1° in membro dextro, ad lineam rectam dicit : *Per istam*, ad transversam : *sanctam Unctionem ;* 2° in membro sinistro, ad lineam rectam dicit : *et suam piissimam*, ad transversam : *misericordiam ;* deinde continuat : *indulgeat, etc.* — Absoluta forma, accipit e vase quod præsentat minister globulum novum, et tergit

loca inuncta dextrum et sinistrum. Si vero minister est in sacris, potest et ipse loca inuncta globulo bombacii tergere.

4° Unctionibus omnibus factis, et locis abstersis, minister deponit candelam et vas cum globulis super mensam ; Sacerdos itidem deponit vasculum Sacri Olei super mensam, et mox medulla panis detergit pollicem, et aqua manus abluit ac abstergit ; tum claudit vasculum Sacri Olei et in bursam reponit.

C) Subsequentes. — 1° Conversus ad infirmum, Sacerdos dicit Versiculos cum tribus Orationibus ; in quibus omnibus, si feminæ administratur Sacramentum, facienda est variatio generis, dicendo ex. gr. : *Salvam fac ancillam tuam, etc.*, et similiter de aliis. (S. Rituum Congregatio, Decr. 12 Augusti 1854, in Lucionen., ad 63.)

2° « Sacerdos pro personæ qualitate, salutaria monita breviter præbere poterit, quibus infirmus ad moriendum in Domino confirmetur, et ad fugandas dæmonum tentationes roboretur. »

« Denique aquam benedictam, et Crucem, nisi aliam habeat, coram eo relinquat, ut illam frequenter adspiciat, et pro sua devotione osculetur et amplectatur. »

3° « Admoneat etiam domesticos et ministros infirmi, ut si morbus ingravescat, vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum Parochum accersant, ut morientem adjuvet, ejusque animam Deo commendet : sed si mors immineat, priusquam discedat, Sacerdos animam Deo rite commendabit. »

4° Sacerdos exuit stolam et superpelliceum, et accipiens Sacrum Oleum, eodem modo quo venerat discedit, et vas Sacri Olei ad Ecclesiam reportat.

Q. 231. *Quid faciendum est de globulis bombacii, quibus abstersa fuerunt loca inuncta ?*

R. Usus est in pluribus locis sat communis, ut isti globuli bombacii in domo infirmi in ignem projiciantur, et comburantur. Idem de medulla panis fit, et de aqua qua Sacerdos manus lavit. Melius tamen, juxta Ritualis præscriptiones, in vase mundo ad Ecclesiam deferuntur,comburuntur,cineresque projiciuntur in Sacrarium.

ARTICULUS II

Administratio Extremae Unctionis in casu instantis periculi mortis

Q. 232. *Quomodo procedendum est si ægrotus laborat in extremis, et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur Unctiones?*

R. 1° In casu instantis mortis, omissis ex parte, vel in totum, Orationibus quæ Unctiones præcedunt, et præmissa tantum Confessione Sacramentali, vel saltem Absolutione, si opus sit, Sacerdos incipit a *Confiteor*, et dicit Orationes *Misereatur*, *Indulgentiam*, *In nomine Patris, etc.*

2° « Si quis autem laborat in extremis, et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur Unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco : *Per istam sanctam Unctionem, etc.* »

3° Si periculum sit ne infirmus moriatur antequam singulæ Unctiones sub propria forma fieri possint, Sacerdos celeriter, non per modum Crucis, inungere potest quinque sensuum organa in capite (ex quo omnium sensuum nervi descendunt), inungendo unum oculum, unam aurem, nares, os, et maxillam pro sensu tactus, sub hac unica forma : *Per istas Unctiones, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visus, auditus, odoratus, gustus et tactus. Amen.* Præmittitur verbum *deliquisti*, quia si moribundus exspiret, antequam hoc verbum proferatur, nullum est Sacramentum in sententia quæ tenet vocem illam esse essentialem. Item additur vox *sensus*, quia, cum generalis forma forte sufficiat, in eo sensu Sacramentum subsisteret, etiamsi infirmus decederet ante singulorum sensuum expressionem.

4° In extrema agonia, caput tantum unica Unctione, in fronte vel in parte magis exposita, inungi potest, sub hac forma : *Per istam..... indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per omnes sensus tuos. Amen.*

5° Sacerdos « si dubitet an vivat adhuc (infirmus),

Unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicens : *Si vivis, per istam sanctam Unctionem, etc.*

6° « Si vero dum inungitur, infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, » sed statim commendationem animæ : *Subvenite Sancti, etc.* (cfr. Q. 250), pro defuncto dicat.

Q. 233. *An, et quomodo suppleri debent Orationes, et Unctiones omissæ?*

R. 1° Si infirmus obierit, Sacerdos nihil ex omissis supplere potest.

2° Si Unctio unica facta fuerit sub unica forma, aut Unctiones quinque organorum sub unica forma fuerint factæ, et post hujusmodi Unctionem moribundus respiret adhuc, Sacerdos mox peragit Unctiones in singulis sensibus, sub conditione semel in initio expressa : *Si nondum es hoc Sacramento refectus, per istam sanctam Unctionem, etc.*, cum forma singulis Unctionibus convenienti.

3° Si omissis Orationibus antecedentibus, post omnes Unctiones rite factas, infirmus adhuc supervivat, dicuntur omissæ Orationes immediate post factas Unctiones, usque ad *Confiteor* exclusive, deinde recitantur illæ quæ Unctiones subsequuntur.

ARTICULUS III

Administratio Viatici simul cum Extrema Unctione

Q. 234. *A quo, et quomodo defertur S. Oleum, si simul administrantur Viaticum et Extrema Unctio?*

R. Quando acciderit, infirmum ad exitum vitæ properare, et simul cum Sacro Viatico Oleum infirmorum ad ipsum esse deferendum, si, in tali casu, præter Sacerdotem, qui defert Sacram Eucharistiam, modo in præcedenti Titulo descripto, « alius Presbyter, vel Diaconus, qui Oleum Sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur, qui superpelliceo indutus cum Oleo

Sacro occulte delato sequatur Sacerdotem Viaticum portantem. »

Si alius Presbyter vel Diaconus haberi non possit, Oleum Sacrum poterit ad infirmum itidem occulte deferri « per ipsum Sacerdotem, qui defert Sacram Eucharistiam. »

Præscripta occulta delatio Olei Sacri in hoc consistit, ut vas Sacri Olei, bursæ violacei coloris inclusum, collo appendatur sub superpelliceo, ita ut non appareat. (Cfr. Q. 229.)

In casu quo Sacrum Viaticum etiam in bursa foret deferendum (cfr. Q. 205, 2°), tunc omnino duplex bursa deferri debet, una cum SS. Eucharistia, albi coloris, altera cum Sacro Oleo, coloris violacei ; abusus esset utendi unica bursa pro SS. Eucharistia et Sacro Oleo deferendis, etiamsi bursa esset bipartita. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 188.)

Q. 235. *Indica ordinem cæremoniarum in hujusmodi administratione servandum.*

R. Prænotato : 1° quod præparantur, tum apud infirmum, super unicam mensam, tum in Ecclesia, ea quæ superius indicata fuerunt, Q. 206 pro delatione Viatici, et Q. 228 pro administratione Extremæ Unctionis, et quod Minister præter recensita affert etiam stolam violacei coloris ; — 2° quod Sacerdos, indutus superpelliceo et stola albi coloris, primum ex armario accipit vas Sacri Olei infirmorum, bursa inclusum, illudque funiculis ad collum appendit subtus superpelliceo, ita ut non appareat, (supposito, ut frequentius fit, quod non alius sit qui hoc deferat), dein accedit ad Altare Tabernaculi, et assumpto velo humerali albi coloris, accipit S. Pyxidem, eamque modo consueto defert ; — sequentia apud infirmum observantur :

1° Sacerdos in ipso limine cubiculi dicit salutationem : *Pax huic domui ;* reponit Pyxidem super mensam, supposito corporali, deponit velum humerale, et genuflexus adorat SS. Sacramentum ; deinde reponit bursam cum vasculo Sacri Olei super mensam, extra corporale, a sinistris vel a dextris.

2° Sacerdos administrat S. Communionem infirmo,

sicuti Titulo præcedenti traditum fuit, usque ad recitationem Orationis *Domine sancte, Pater, etc.*, inclusive (cfr. Q. 207, II, A, B, C, 1°, 2°). Proinde omittitur Benedictio super infirmum cum SS. Sacramento (cfr. ibid. C, 3°).

3° Dicta Oratione *Domine sancte, etc.*, Sacerdos deponit stolam albi coloris, et assumit aliam violacei coloris; genuflectit coram SS. Sacramento, accipit e mensa Crucem, eamque ægroto pie deosculandam porrigit; mox eam ad mensam reponit, genuflectit, et ad infirmum conversus breviter ipsum consolatur, ac de vi et efficacia Sacramenti Extremæ Unctionis admonet. — Omittuntur nova salutatio et aspersio aquæ benedictæ.

4° Postea Sacerdos dicit ℣. *Adjutorium, etc.*, et tres Orationes, et omnia quæ sequuntur, usque ad finem. Attendat Sacerdos ut non tergum vertat SS. Sacramento, cum dicit Orationes versus infirmum, et ut in recessu a mensa et accessu ad eam semper genuflectat.

Nota. Occurrunt dicenda Oratio *Exaudi nos*, et *Confiteor*, cum *Misereatur* et *Indulgentiam;* quæ etsi jam dicta fuerint in administratione Viatici, tamen iterum recitanda sunt pro Extrema Unctione administranda, ut respondit S. Congregatio Indulgentiarum, Decreto 5 Februarii 1841 (n. 286, ad 6). Ratio est, quia utraque, Viatici et Extremæ Unctionis, completa et distincta est administratio.

5° Terminata, per salutaria monita, administratione Extremæ Unctionis, Sacerdos accipit vas Sacri Olei cum bursa, et collo sub superpelliceo appendit; deponit stolam violacei coloris, et assumit stolam albi coloris, et velum humerale; genuflectit, accipit Pyxidem, eaque cooperta facit signum Crucis super infirmum, ut in fine administrationis Viatici præscribitur; et fiunt omnia reliqua præscripta in delatione S. Communionis ad infirmum (cfr. Q. 207, III).

6° In Ecclesia, reposito post præscriptas cæremonias SS. Sacramento in Tabernaculo, Sacerdos reponit etiam vas Olei Sacri in proprio armario.

APPENDIX I

DE VISITATIONE ET CURA INFIRMORUM

Q. 236. *Quinam tenentur ad visitationem infirmorum ?*

R. 1° « **Parochus** in primis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, ægrotantium curam habere » ; eosque visitare tenetur, etiamsi infirmi alii confiteantur, et a confessario visitari soleant. « Quod si Parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest : id præstandum curabit per alios Sacerdotes, si quos habet in parochia sua, aut saltem per laicos homines pios, et christiana caritate præditos. »

Quis debeat esse Parochi zelus in hac parte, patet ex sequenti Ritualis præscripto : « Quare cum primum noverit, quempiam ex fidelibus curæ suæ commissis ægrotare, non exspectabit, ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedat : idque non semel tantum, sed sæpius, quatenus opus fuerit ; horteturque parochiales suos, ut ipsum admoneant, cum aliquem in parochia sua ægrotare contigerit, præcipue si morbus gravior fuerit. »

2° **Deservitor**, et **Coadjutor**, qui Parochi officium subeunt, ad idem obligantur.

3° **Vicarii**, quorum « munus in eo consistit, ut Parochos in adimplendis obligationibus adjuvent, ac illorum etiam vices agant, quando necessitas aut justa ratio id requirit. » (Stat. Diœc. n. 92.) Et quidem expresse per Statuta Diœcesana ipsis injungitur (n. 95), ut « infirmos et ægrotos visitent, eos imprimis quibus exeuntium Sacramenta administraverint, aut quos Parochus eorum curæ specialiter commiserit. »

4° **Confessarius** infirmorum, non quidem per se et ex officio, cum confessario qua tali visitatio infirmi nullibi præscribitur ; sed ex charitate, quatenus infirmorum visitatio est opus charitatis ; et hæc ad illam obligare potest. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechlinien., anni 1877, ex Liturgia Q. I.)

Maximopere jam commendandum est, ut Parochus

et vicarius non suos tantum, sed et alterius etiam pœnitentes visitent ; et ut in parochiis ubi non habetur vicarius, Parochi vicini hanc sibi mutuo operam præstent ; ut ita magis prospiciatur libertati conscientiæ infirmorum.

In nonnullis parochiis, ubi plures habentur Sacerdotes, laudabiliter affigitur in sacristia catalogus infirmorum, cum nota susceptorum Sacramentorum.

Q. 237. *Quid de pauperum ægrotorum cura Rituale specialiter præscribit ?*

R. Parochus « eorum præcipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi Pastoris caritatem et operam requirunt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo, et eleemosynas illis, prout debet, si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest, sive per caritatis, vel alterius nominis confraternitatem, si in ea civitate vel loco fuerit, sive per privatas, sive per publicas collectas et eleemosynas, illorum necessitatibus succurrendum curabit. »

Q. 238. *Quid præscribunt Statuta Diœcesana Parochis circa curam infirmorum ?*

R. « Rituale Romanum Parochis maximopere commendat diligentissimam curam infirmorum. Ut igitur novissima illa hora, a qua æternitas dependet, beata contingat ægrotantibus, præ oculis habeant Parochi, meditentur et observent regulas quæ de hac gravissima re in libro memorato proponuntur. » (Stat. Diœc. n. 86.)

Q. 239. *Quænam sunt regulæ, et media, a Rituali præscripta, pro decenti et fructuosa ægrotorum cura et visitatione ?*

R. I. Sacerdos « ægrotos visitans, ea, qua Sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat, ut non ægris solum, sed sibi et domesticis verbo et exemplo prosit ad salutem. »

Honestas et gravitas requirunt, ut Sacerdos ab esculentis et potulentis, aliisque vanis, jocosis et inutilibus rebus, ac colloquiis abstineat ; non impleret munus sacerdotale, et justis certe querelis ansam præberet Sa-

cerdos, qui apud ægrotos de rebus mundanis aut politicis, de nugis aut novitatibus tantum ageret ; — ut ab omni avaritiæ specie caveat;—et præcipue et sedulo vitet omnem malam suspicionem circa personas alterius sexus.

II. Sacerdos « in primis autem spiritualem ægrotantium curam suscipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, ut in viam salutis eos dirigat, atque a diabolicis insidiis salutarium adjumentorum præsidio defendat, ac tueatur. »

Ad sequentia autem capita reduci possunt, quæ Rituale hunc in finem diversa media suppeditat ; Sacerdos ægrotum visitans :

1° Consoletur infirmum per argumenta spiritualia, qualia sunt Sanctorum exempla, fiducia in Deo ponenda, peccatorum pœnitentia, et patientia in acceptando infirmitatis pœnam tamquam paternam Dei visitationem.

2° Præparet ægrotantem ad suscipienda ultima Sacramenta, idque faciat « qua par est prudentia et caritate. »

3° Ad orationes et pias mentis ad Deum elevationes eum excitet, appositis etiam imaginibus piis, adhibito frequenti usu aquæ benedictæ, et propositis remediis contra tentationes, quibus potissimum æger est subjectus.

4° Persuadeat opportune ad dispositionem domus, ut infirmus rem suam omnem recte constituat, aliena restituat, et ad remedium animæ suæ disponat ; « sed hæc suggerendo, omnis avaritiæ nota caveatur. »

Q. 240. *Quem modum Sacerdos ægrotos visitans servare debet juxta Rituale ?*

R. 1° Sacerdos « infirmi cubiculum ingressus, primum dicat : ℣. *Pax huic domui.* ℟. *Et omnibus habitantibus in ea.* Mox infirmum, et lectum ejus, et cubiculum, aspergat aqua benedicta, dicens Antiphonam : *Asperges, etc.* »

2° « Erga infirmum officium suum præstet, ut supra dictum est. »

3° « Antequam discedat, dicere poterit supra infirmum aliquem Psalmum », ex indicatis in Rituali, cum Versiculis et Orationibus.

4° « Aspergat eum aqua benedicta. »

Nota. Proponit Rituale varias preces, nempe Psalmos, Evangelia, cum Precibus, quæ pro temporis opportunitate, et pro ægrotantium conditione et desiderio, Sacerdotis arbitrio dici vel omitti poterunt.

In Appendice Ritualis describuntur quoque variæ Benedictiones, quibus uti poterit Sacerdos in visitatione infirmorum ; nempe : Benedictio adulti ægrotantis; eadem Benedictio pro pluribus simul infirmis; Benedictio puerorum ægrotantium, pro junioribus scilicet, qui ad usum rationis nondum pervenerunt.

Certo cum magna ædificatione, et ad salutare solatium, tum ægrotantium, tum parentum et domesticorum, harum precum recitatio fiet ; et, eo quo describitur modo facta, visitatio infirmorum fiduciam et existimationem fidelium erga Sacerdotes augere nata est, etiam apud illos qui alias male dispositi, Clerum spernunt et despicatui ducunt.

APPENDIX II

DE MODO JUVANDI MORIENTES

§ 1. De Indulgentiis lucrandis, et præcipue de Benedictione Apostolica in articulo mortis impertienda

Q. 241. *Quodnam pietatis opus præstabit primum Parochus infirmo, omnibus Sacramentis munito, instante periculo moriendi ?*

R. Parochus, « si ægrotus Indulgentiam legitima auctoritate concessam consequi possit, eam illi reducat ad mentem, proponatque, quid ad eam consequendam agi debeat : præsertim, ut contrito corde sanctissimum Nomen JESU semel, vel sæpius invocet. » Moribundus autem plures indulgentias ex variis titulis lucrari potest, ut e. g. si habet res sacras (Crucem, Rosarium, numismata, etc.) indulgentiis instructas, si est sodalis piæ alicujus Confraternitatis, si frequenter in vita elicuit actus virtutum theologicarum, etc. Animadvertendum est, quod ad has lucrandas indulgentias ex parte moribundi requiritur : 1° ut sit confessus, et S. Communione

refectus, vel si hæc Sacramenta suscipere nequeat, ut saltem contritus sit ; - 2° ut Nomen JESU invocet, quod quidem est plerumque præscriptum ; — 3° ut secum res habeat, quibus affixæ sunt indulgentiæ, scilicet Crucem, Rosarium, numismata, etc. ; quin tamen necesse sit, easdem habere collo appensas, vel manu apprehensas, sufficit ut ejusmodi res sint prope ipsum in lecto vel pariete. — Inter indulgentias, quæ in mortis articulo lucrifieri possunt, maxime eminet *Benedictio Apostolica*, seu Absolutio generalis ; nempe Benedictio a Summo Pontifice ejusve delegato sub præscripta verborum forma moribundo impertita, et annexam habens indulgentiam plenariam. De hac Benedictione Apostolica exponuntur hic regulæ liturgicæ,observandæ quando ipsa datur seu impertitur ; cætera traduntur in Theologiæ Tractatu de Sacramento Extremæ Unctionis, n. 14.

Q. 242. *Quænam conditiones ad Benedictionem Apostolicam infirmis impertiendam requiruntur ex parte Sacerdotis ?*

R. Ex parte Sacerdotis requiritur : 1° ut sit delegatus ; hæc autem delegatio tantum respicit loca respectivæ jurisdictionis, ast intra horum limites pro omnibus indistinctim valet ; — 2° ut stricte adhibeat formulam a Benedicto XIV in Constitutione *Pia mater*, 5 Aprilis 1747, præscriptam ; quæ formula est non tantum directiva sed præceptiva, ut declaravit S. Congregatio Indulgentiarum, 5 Februarii 1841 (n. 286, ad 8) ; ita ut si omittatur, ex. gr., ob libri deficientiam, indulgentia etiam valide non conferatur.

Q. 243. *Expone ritus servandos in impertienda Benedictione Apostolica.*

R. Hujus Benedictionis formula, cum suis ritibus et cæremoniis, præscripta a Benedicto XIV, describitur in Rituali Romano (Tit. V, Cap. 6) ; sequens modus eam impertiendi servabitur :

1° Sacerdos, indutus superpelliceo et stola violacei coloris, « ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat : *Pax huic domui* », et minister respondet, vel absente ministro ipse Sacerdos addit : *Et omnibus habi-*

tantibus in ea ; « ac deinde ægrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam : *Asperges me, etc.* » ; non addendus est primus versus Psalmi *Miserere*.

2° « Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis ; de hujus Benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat. »

3° In Indultis quibus facultas Benedictionem Apostolicam impertiendi Episcopis conceditur, semper præscribitur, etiamsi de hoc in formula Benedicti XIV specialis mentio non fiat, quod impertiens debet monere infirmum ut Nomen JESU ore, si potuerit, sin minus corde devote invocet ; quæ invocatio, saltem mentalis, quamdiu ægrotus suæ mentis est compos, tamquam conditio essentialis requiritur, ut patet ex sequenti responso S. Congregationis Indulgentiarum, ad dubium : « Invocatio saltem mentalis SS. Nominis Jesu, de qua fit mentio in Brevibus ad Episcopos de hac Benedictione missis, præscribiturne, quamdiu ægrotus suæ mentis est compos, ut conditio sine qua non, ad indulgentiam vi istius Benedictionis lucrandam ? » S. Congregatio respondit : « Affirmative. » (Decret. 23 Septembris 1775, n. 237, ad 7.) Recentiori Decreto iterum declaravit eadem S. Congregatio, eam invocationem, saltem mentalem, esse conditionem sine qua non pro universis Christifidelibus, etiam in locis Missionum degentibus. (Decret. 22 Septembris 1892 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 126.)

4° Itidem præcipua inter alias conditio illa est, qua se ægrotus ad plenariæ indulgentiæ fructum consequendum præparet atque disponat, quamque Constitutio et Rituale Romanum sequentibus verbis proponunt : Sacerdos infirmum « instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. » Res prudentiæ plerumque erit, hanc adhortationem ita moderari, ut

ægroti perturbatio, vel ejus amicorumque indignatio evitetur.

5° « Piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam. »

Consultum quandoque erit, infirmum ad hos actus disponere in præcedenti confessione, aut in absentia aliorum ; sufficere enim dicunt auctores, ut in ipso Benedictionis momento infirmus eam dispositionem habeat, ad quam antea jam fuerit adhortatus. Optato cum fructu poterit Sacerdos hujusmodi adhortationem proponere per modum orationis, quam cum ipso dicet ægrotus, vel quam, si voce non potuerit, assensu comprobabit.

Exempli gratia sit sequens oratio :

« Deus meus, doleo ex integro corde de peccatis commissis, quia per ea te summum bonum offendi ; suppliciter peto indulgentiam plenariam quam Sancta Ecclesia concedit in articulo mortis. O mi Jesu, credo in te, spero in te, amo te ex toto corde. Dominus meus, paratus sum ad perferendum omnes dolores in anteactæ vitæ expiationem, ad ultro acceptandum quidquid tibi placuerit, ad ipsam mortem patienter obeundam, in satisfactionem pœnarum quas peccando promerui. O Jesu, tot tantosque dolores tu pro me passus es ; volo libenter meos dolores pro te sustinere. Mi Jesu, misericordia. » (Cfr. Wapelhorst, *Compendium sacræ liturgiæ*, n. 294, ad 3.)

6° Quibus peractis, Sacerdos, stans versus infirmum, dicit versum *Adjutorium, etc.*, et preces ac Orationem quæ sequuntur ; si adsit minister, respondet ; alias omnia dicit Sacerdos. Si sit femina, loco *servum tuum*, vel *famulum tuum*, dicit *ancillam tuam*, aliaque mutat, ubi locus est ; in Oratione, ad litteram N. exprimit nomen infirmantis.

7° Unus ex Clericis, aut si desit, ipse Sacerdos dicat : *Confiteor, etc.*, cui Sacerdos mox addat : *Misereatur, etc.*, dicens in singulari *tui..., peccatis tuis, perducat te....*

In formula quam tradit Constitutio Benedicti XIV, et in Rituali Romano, indicatur quod Sacerdos dicit : *Mi-*

sereatur, etc.; non autem explicite dicitur addendum esse : *Indulgentiam, etc.;* cum tamen, ubicumque dicitur *Confiteor,* semper adjuncta reperiantur non solum *Misereatur,* sed et simul *Indulgentiam,* dici potest pro praxi addendum esse : *Indulgentiam, etc.*

8° Tandem Sacerdos impertitur Benedictionem, sub præscripta formula : *Dominus noster etc.,* signans bis signo Crucis infirmum, primo cum dicit : *In nomine Patris, etc.,* et iterum in fine, cum dicit : *Pater, Filius, et Spiritus sanctus.* (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechlinien., anni 1890, ex Liturgia Q. IV.)

Q. 244. *Quid notandum est, si Benedictio Apostolica immediate post Viaticum et Extremam Unctionem impertitur?*

R. Prænotato, quod juxta Decretum Sacræ Congregationis Indulgentiarum, 18 Decembris 1885, Sacerdos potest infirmo, cui in mortis periculo constituto extrema Sacramenta ministravit, statim Indulgentiam seu Benedictionem impertiri ; hoc etiam Rubricæ hujus Benedictionis conforme est, dicenti quod « soleat impertiri post Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis » (fit autem antequam Benedictio cum SS. Sacramento super infirmum detur) ; — observatur : 1° quod, etsi jam præcesserint in ministratione Viatici, et licet omitti potuerint ante subsequentem administrationem Extremæ Unctionis, securius repetantur ante Benedictionem Apostolicam salutatio *Pax huic domui,* et aspersio aquæ benedictæ ; quia Benedictus XIV præcipit formulam a se confectam stricte usurpari, et hæc omnia in ipsa formula habentur ; — 2° quod omnino autem repetendum sit *Confiteor,* juxta Decretum S. Congregationis Indulgentiarum, 5 Februarii 1841 (n. 286, ad 6), quo ad dubium : « Utrum necesse sit tribus vicibus recitare *Confiteor, etc.,* quando administratur Sacrum Viaticum, Extrema Unctio, ac Indulgentia in mortis articulo impertitur? » Respondetur : « Affirmative, juxta praxim et rubricas. » Si autem *Confiteor* tribus vicibus recitandum sit, inde quoque concludendum est, singulis vicibus repetenda esse *Misereatur,* et *Indulgentiam,* quia hæc, ubi dicenda sunt, Confessionem generalem semper subsequuntur.

Q. 245. *Quid faciendum est, si infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis, neque precum tempus suppetat ?*

R. « Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur. » In casu, juxta Breviarium Romanum, incipiendum est a verbis : *Dominus noster, etc.* (Cfr. Breviarium Romanum, editio typica anni 1885.)

Q. 246. *Quanam formula breviori potest Benedictio impertiri, casu quo mors proxime urgeat ?*

R. Si mors proxime urgeat, ita ut spatium non relinquatur dicendi formulam : *Dominus noster, etc.*, juxta Breviarium Romanum in casu datur Benedictio sequenti breviori formula : « *Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris* ✠, *et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* »

Nota. Postulatum fuit a S. Rituum Congregatione, « utrum liceat in impertienda Absolutione generali Papali, ad contagium evitandum, uti brevissima formula, quæ legitur in Breviario Romano.... ? » Et S. Congregatio rescripsit : « Affirmative in casu. » (Decret. 8 Martii 1879, n. 3483, antiq. 5768.)

§ 2. De ordine commendationis animae

Q. 247. *Quomodo Sacerdos ad decedentis animæ commendationem accedens induitur ? Quo ordine ad decedentis animæ commendationem procedit ?*

Nota. De Parochorum, aliorumque qui curam animarum habent, obligatione juvandi morientes seu assistendi agonizantibus, conferantur ea quæ ex Rituali Romano, et probatis auctoribus traduntur in Theologiæ Tractatu de Sacramento Extremæ Unctionis (n. 13).

Quod si Parochus, aut is cui incumbit Sacerdos, ipse adesse nequeat apud morientem, curam saltem habeat, ut adsint piæ personæ, quæ commendationis animæ preces persolvant, et animam agonizantem orationibus

et piis affectibus adjuvent, vel etiam suavi exhortatione consolentur.

Porro orationes, quæ ad hunc finem in Rituali Romano describuntur, eæ sunt quæ multam pietatem redolent, et maximos fructus parere possunt ad salutem animæ infirmi morientis.

R. I. Sacerdos, ad decedentis animæ commendationem accedens, juxta Rituale, antequam infirmi cubiculum ingrediatur, induitur superpelliceo et stola violacei coloris, ut morienti majorem inferat venerationem.

II. 1° Sacerdos « locum ingrediens, dicat : *Pax huic domui, et omnibus habitantibus in ea.* »

2° « Aspergat ægrotum, lectum, et circumstantes aqua benedicta, dicens : *Asperges me, etc.*, » sine Psalmo.

3° Salvatoris nostri crucifixi imaginem ægroto osculandam præbeat, verbis efficacibus eum ad spem æternæ salutis erigens, ipsamque imaginem coram eo ponat, ut illam adspiciens, salutis suæ spem sumat. »

4° « Accensa candela, genibus flexis, cum omnibus circumstantibus breves Litanias devote recitet, » sermone latino, in modum in Rituale præscriptum, cum omnibus Orationibus sequentibus, prout tempus suppetit. — Breves Litaniæ, et præcipuæ ex Orationibus, hic loci in Rituali propositæ, descriptæ reperiuntur in omnibus Breviariis ; profecto ut Sacerdotes sub manibus semper habeant istas preces, et proinde facilius queant saluberrimis istis precibus decedentes animas adjuvare.

Q. 248. *Quid notandum est de candela quæ accenditur ad preces commendationis animæ ?*

R. 1° Candela benedicta esse debet, ut morientem adjuvet contra tentationes dæmonum ; et si candela benedicta desit, potest Sacerdos candelam benedicere, formula speciali quæ in Rituali habetur inter Benedictiones. — 2° Convenit ut infirmus eam manibus teneat, saltem in exspiratione, ut se in fide mori profiteatur.

§ 3. De servandis in exspiratione

Q. 249. *Quæ orationes suggerendæ sunt morienti, cum tempus exspirandi institerit ?*

R. « Cum vero tempus exspirandi institerit, tunc maxime ab omnibus circumstantibus, flexis genibus, vehementer orationi instandum est. Ipse vero moriens, si potest, dicat ; vel si non potest, assistens, sive Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet : Jesu, Jesu, Jesu. Quod, et ea quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam sæpius repetat. »

« *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum. Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum. Sancta Maria, ora pro me. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.* »

Q. 250. *Quid, egressa anima, de corpore faciendum est ?*

R. 1° Statim dicitur responsorium : *Subvenite Sancti, etc.*, cum versiculis et Oratione.

2° « Detur campana signum transitus defuncti, pro loci consuetudine, ut audientes pro ejus anima Deum precentur. »

3° Interjecta sufficienti mora ut de morte omnino constare possit, corpus de more honeste componitur ; scilicet : oculi et os clauduntur, corpus lavatur, capilli discriminantur, membra forte in agone contracta recte diriguntur, corpus linteis mundis induitur, « ac parva Crux super pectus inter manus defuncti ponitur, aut ubi Crux desit, manus in modum crucis componuntur. » — Corpus decenti loco, in lecto vel super mensam collocatur ; in loco cereus accenditur, ut defunctus ostendatur filius non tenebrarum, sed lucis, cujus corpus resurrectionem exspectat ; prope corpus ponitur vasculum cum aqua benedicta, qua interdum aspergatur.

Q. 251. *Quomodo induenda sunt corpora defunctorum Clericorum ?*

R. « Sacerdos, aut cujusvis Ordinis Clericus defunctus, vestibus suis quotidianis communibus usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu sacerdotali, vel clericali, quem Ordinis sui ratio deposcit, indui debet. — Sacerdos quidem super talarem vestem, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula, seu planeta violacea sit indutus. — Diaconus vero induatur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola super

humerum sinistrum, et dalmatica violacea. — Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo et tunicella. — Alii præterea inferiorum Ordinum Clerici superpelliceo supra vestem talarem ornari debent, singuli prædicti cum tonsura, ac birretis suis. »

Q. 252. *Quid notandum est de memorialibus defunctorum, quæ consueto distribuuntur ?*

R. Piissimus existit mos, occasione decessus alicujus defuncti, distribuendi familiaribus et amicis memorialia, seu, ut vulgo vocantur, imagines, eo fine ut ipsis pro defuncto Dei misericordiam exorare in memoriam redeat.

Quocirca tria animadvertenda, seu notanda sunt, quæ clerus, de animabus e purgatorio liberandis vere et recte sollicitus, data occasione, fideles docere, optimo cum fructu, non negliget.

1° Pro delectu ipsarum imaginum, præ oculis habeantur ea quæ, per Litteras 22 Februarii 1886, clero et fidelibus commendata fuerunt, de abusibus eliminandis in excudendis sacris imaginibus : ut eligantur imagines approbatæ, revera christianæ, et ad pietatem foventes. (Cfr. Litteræ pastorales Diœcesis Mechlinien., Tom. X, pag. 247, 249.)

2° Pro elogio defuncti, ne profanum enarretur defuncti elogium, sed ut proponatur id quod sanctas cogitationes in piam defuncti memoriam foveat.

3° Pro precibus adjunctis, ut vitentur erroneæ indulgentiarum indicationes : incredibile enim est, quot precum textus minus recti, quot apocryphæ, erroneæ indulgentiæ in memorialibus cum magna indulgentiarum jactura reperiuntur ; itaque et ipsi precum textus, et indicationes indulgentiarum authenticæ desumantur ex libris quibus tuta fides dari potest, ut sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte fidelibus dispensetur. (Cfr. Collationes Brugenses, II, 1897, pag. 634.)

TITULUS VI

De exsequiis

Q. 253. *Quid sunt exsequiæ ? Quæ est earum significatio ?*

R. I. **Exsequiæ** sunt sacræ cæremoniæ et ritus, orationes, Officium, et inprimis Missæ Sacrificia, quæ ex Ritualis Romani præscripto, pro fideli defuncto, ante sepulturam, et tempore ipsius sepulturæ, fiunt ac offeruntur, « ex antiquissima traditione, et summorum Pontificum institutis. »

II. Vocantur etiam **Agendæ Defunctorum**, et **Funus**. Institutæ sunt exsequiæ, ut ait Rituale, « ad defunctorum salutem, simulque ad vivorum pietatem, tamquam vera religionis mysteria, christianæque pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia. » Fundantur in fide immortalitatis animæ, purgatorii, resurrectionis mortuorum, et in doctrina de dignitate corporis hominis, tamquam templi Spiritus sancti ; unde vivis etiam prosunt ad salubre in Domino solamen.

Q. 254. *Quid notandum est de tempore, quo corpora defunctorum fidelium sepelienda sunt ?*

R. 1° « Nullum corpus sepeliatur, præsertim si mors repentina fuerit, nisi post debitum temporis intervallum, ut nullus omnino de morte relinquatur dubitandi locus. »

2° Quacumque diei hora corpus sepeliri potest, a solis ortu ad occasum ; numquam vero de nocte, nisi cum licentia Ordinarii. (S. Congregatio Concilii, Decr. 15 Martii 1704.)

3° « Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa, » et quidem Missa propria pro defunctis, « præsente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur. » Quæ Missa in duobus tantum casibus omitti debet :

A) Si Missa conventualis, aut parochialis, aut Officia divina per eam impedirentur.

B) Si magna diei celebritas obstet.

In duobus his casibus, laudabiliter sepultura differtur usque ad vesperam, post expletum diei Officium,

nisi aliæ rationes suadeant, ut sepultura etiam in his diebus mane ante Officium parochiale peragatur ; dummodo sepultura absolvatur sine præjudicio, aut retardatione Missæ parochialis, concionis, etc. In utroque casu Missa exsequialis pro defuncto cantabitur die sequenti non impedito. (Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, ubi agitur de Missa exsequiali.)

4° In Triduo sacro Majoris Hebdomadæ sepeliantur corpora potius ad vesperam, et officium precesque recitentur privatim, absque cantu et absque campanarum sonitu.

5° Exposito SS. Sacramento, cadavera in Ecclesiam inferri nequeunt. Quod si expositio suspendi non posset, et adesset necessitas inferendi corpus defuncti in Ecclesiam, exsequiæ celebrandæ sunt sine Missa, sine cantu, sine ulla solemnitate, et in aliqua capella laterali.

Q. 255. *In quo loco defunctorum fidelium corpora sepelienda sunt ? Quid de Cœmeleriorum custodia præscribunt Statuta Diœcesana ?*

R. I. « Nemo christianus in communione fidelium defunctus, extra Ecclesiam, aut Cœmeterium rite benedictum sepeliri debet. » Cœmeterium, quod etiam vocatur Sepulchretum, est sacer dormitionis locus benedictus, in quo fidelium pie decedentium corpora christiano ritu sepeliuntur.

Antiqua consuetudo fuit sepeliendi cadavera fidelium in Cœmeteriis, non vero in Ecclesiis ; tractu temporis autem concessum fuit aliquibus personis dignis ac præstantissimis, ut in Ecclesiis sepelirentur ; quæ tolerantia successivis temporibus ampliata fuit, et indultum omnibus Christi fidelibus, sive ecclesiasticæ, sive laicæ sint personæ, ut in Ecclesiis tumularentur ; simul autem abusus inolevit, ut cadavera excelso et ornato loco in Ecclesiis collocarentur. Quapropter S. Pius V, in Constitutione *Quum primum*, data Kalendis Aprilis 1566, mandavit ut « cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. » Unde notat etiam Rituale quod « cui locus sepulturæ dabitur in Ecclesia, humi tantum detur. » Declaravit

S. Congregatio Episcoporum et Regularium, per Decretum 13 Octobris 1579, quod in Constitutione S. Pii V superenunciata « non comprehenduntur monumenta marmorea, muris seu columnis adhærentia, præsertim amotis cadaveribus e locis altis, quia hæc nullam indecentiam, imo magnum ornamentum afferunt Ecclesiis. »

Prohibet quoque Rituale, ne cadavera prope Altaria sepeliantur. Circa distantiam, quæ inter Altare et cadavera in Cœmeteriis vel Ecclesiis sepulta intercedere debet, Sacra Rituum Congregatio declaravit « tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis, atque hanc distantiam sepulcrorum ab Altari sufficere. » (Decret. 12 Januarii 1897, n. 3944, ad 2.) Hæc autem distantia non debet intercedere inter gradus vel gradum Altaris et cadaver sepultum, sed sufficit ut intercedat inter cadaver sepultum et ipsum Altare. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 699.)

Altare ipsum, si contra hanc dispositionem erectum fuerit, interdicto subjacet, ita ut in eo SS. Missæ Sacrificium celebrari nequeat, donec, amotis sepultorum ossibus, sepulchrum terra repleatur, et muro obstruatur. Cavendum etiam est ne Altare portatile, occasione Processionum erigi solitum, ut in eo reponi tantisper valeat SS. Eucharistiæ Sacramentum, sepulchro immineat. (S. Rituum Congregatio, Decr. 11 Septembris 1847, n. 2951, ad 6, antiq. 5102, ad 7.)

Exoptat Ecclesia ut privilegium sepulturæ in ædibus sacris servetur Episcopis, aliisque viris ecclesiasticis, aut saltem ut « sepulchra Sacerdotum, et Clericorum cujuscumque Ordinis, ubi fieri potest, a sepulchris laicorum separata sint, ac decentiori loca sita ; atque ita, ubi commodum fuerit, ut alia pro Sacerdotibus, alia pro inferioris Ordinis Ecclesiæ ministris parata sint. » Ratio est quod, sicut viventes ab aliis per Clericalem statum, maxime Sacerdotes, distincti fuerunt, ita fas est, ut eorum sacratiora corpora post mortem aliis non commisceantur.

Quod ad laicos spectat, « ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in Cœmeteriis, retineatur ; et ubi fieri potest, restituatur. » Potioribus de causis decet, ut

fideles ab iis qui alterius a Catholica sunt communionis, aliam et propriam sepulturam in Cœmeteriis benedictis habeant, in venerationem corporum, quæ per Baptismum, fidemque veram Deo sunt sacrata.

Pro parvulis baptizatis speciatim admonet Rituale Parochos, « ut juxta vetustam et laudabilem Ecclesiarum consuetudinem, parvulorum corpuscula non sepeliantur in communibus et promiscuis Cœmeteriorum et Ecclesiarum sepulturis ; sed ut pro illis in parochialibus Ecclesiis, aut illarum Cœmeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant, seu fieri curent, in quibus non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos discretionis obierunt. »

II. « Parochi nihil non agant oportet, ut Cœmeteria, ubi Christifidelium mortales exuviæ jacent, aliquando ad resurrectionem excitandæ, tamquam loca sacra religiose custodiantur, et adversus impiorum ac pseudopoliticorum temerarios ausus sarta tecta vindicentur. » (Stat. Diœc. n. 387.)

Itaque ambitus Cœmeterii muro, vel saltem sepibus cingatur, ne transitus velut per viam publicam, et animalibus incursus pateat ; nihil profanum, nihil forense ibi peragatur ; pueri ab omni ludo in eo abstineant ; prospiciatur, ut omnia nitida et bene ordinata retineantur, ne cruces negligantur, ne tumuli pedibus proterantur : verbo, sit et custodiatur tamquam locus sacer.

Q. 256. *Quomodo disponenda sunt cadavera in locis sepulturæ ?*

R. « Corpora defunctorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus Altare majus, » seu capite ad Occidentem posito, pedibus ad Orientem directis : « quod etiam pro situ et loco fiat in sepulchro. Presbyteri vero habeant caput versus Altare, » ex privilegio dignitatis sacerdotalis. Hæc etiam servatur dispositio in Cœmeteriis quæ Ecclesiis adjuncta sunt, quantum pro situ et loco fieri potest, ut dicit Rituale. In Cœmeteriis vero ab Ecclesia sejunctis, corpora cum pedibus (Presbyterorum cum capite) versus Orientem poni convenit, quia Ecclesiæ sic verti seu orientari solent.

NOTA. Remissis ad prælectiones Juris Canonici eis, quæ spectant tum jura Parochorum, tum regulas de illis quibus non licet dare ecclesiasticam sepulturam ; tria erunt hujus Tituli Capita : 1^{um} de Ordine exsequiarum, præsente corpore, pro adultis, illis scilicet qui septennium compleverunt ; 2^{um} de exsequiis absente corpore defuncti ; 3^{um} de exsequiis parvulorum.

CAPUT I

ORDO EXSEQUIARUM PRO ADULTIS PRÆSENTE CORPORE

Ordo exsequiarum pro adultis constat : 1° Corporis deportatione ad Ecclesiam ; 2° Officio defunctorum ; 3° Missa exsequiali ; 4° Absolutione ad feretrum ; 5° Sepultura ; unde quinque hujus Capitis Articuli.

ARTICULUS I

De corporis deportatione ad Ecclesiam

Q. 257. *Indica ritum Processionis ordinandæ pro delatione corporis ad Ecclesiam.*

R. A) In accessu ad domum defuncti. — 1. Conveniunt omnes ad Ecclesiam, ubi ordinatur Processio ad domum defuncti : præcedunt laicorum confraternitates, si adsint ; deinde duo clerici, superpelliceo induti, quorum prior defert vas aquæ benedictæ cum aspersorio, alter Crucem Ecclesiæ in qua fit funus, inter duos acolythos, cum candelabris et candelis accensis ; sequitur Clerus, Regularis primum, si interest, dein Sæcularis ; et omnes de Clero procedunt bini ; Clerici omnes sunt induti superpelliceo, et caput bireto opertum habent ; ultimo loco procedit Parochus.

Etsi maxime conveniat, ut Parochus faciat hanc functionem, non datur obligatio tamen, et alius Sacerdos potest huic functioni præesse ; nec debet esse idem Sacerdos qui postea Missam exsequialem celebrabit, quia independens censetur corporis delatio ad Ecclesiam a Missa quæ pro defuncto celebratur.

2. Parochus ultimo incedit loco, indutus tantum « superpelliceo et stola nigra, vel etiam pluviali ejusdem coloris. » Albam induere Parochus non potest, etiamsi ipse immediate Missam esset celebraturus. (S. Rituum Congregatio, Decr. 21 Julii 1855, n. 3035, antiq. 5221, ad 1.) Non admittuntur in hac Processione Ministri induti dalmatica aut tunicella ; et declaravit S. Rituum Congregatio servandam esse quoad hoc punctum dispositionem Ritualis Romani, quod in casu excludit sacras vestes ibi non memoratas. (Decr. 23 Maji 1846, n. 2915, ad 8, antiq. 5050, ad 10.)

B) **In ipsa domo defuncti.** — Prænotatur quod, si nimium ab Ecclesia distet domus defuncti, ea quæ hic præscribuntur observantur in constituto loco, ad quem feretro e defuncti domo jam deportato occurritur.

1. Parochus ingreditur locum in quo jacet defunctus, cum clerico deferente aquam benedictam, et nonnullis aliis, quotquot locus permittat ; et omnes se sistunt ad pedes defuncti.

2. Parochus primum aspergit cadaver ter aqua benedicta, in medio, a dextris corporis, et a sinistris, nihil dicens.

3. Mox dicit Antiphonæ verba : *Si iniquitates*, et recitat cum clericis alternatim Psalmum : *De profundis, etc. ;* in fine dicit : *Requiem æternam dona ei,... luceat ei,* et repetit Antiphonam integram : *Si iniquitates observaveris Domine : Domine, quis sustinebit ?*

C) **In deportatione cadaveris ad Ecclesiam.**— 1. Tunc effertur e domo cadaver, et ordinatur Processio ad Ecclesiam, eodem quo supra ordine ; post Parochum portatur cadaver a lecticariis, et a lateribus incedunt qui sustinent intorticia seu candelas accensas.

2. Processio ordinatur recta via ad Ecclesiam ; quod præscribunt Decreta, et sapienter, ne funeris deductio vertatur in profanæ pompæ et vanæ ambitionis signum. Si tamen domus esset Ecclesiæ proxima, licebit longiorem inire viam, ut possit æquo modo explicari Processio.

3. Parochus de domo procedens, elata voce et gravi, sed sine cantu, intonat Antiphonam : *Exsultabunt Do-*

mino : et duo cantores inchoant Psalmum : *Miserere, etc.*, Clero alternatim prosequente, « devote, distincte, gravique voce. » Si longitudo itineris postulaverit, dicuntur insuper Psalmi Graduales, vel alii Psalmi ex Officio Mortuorum, et in fine cujuslibet Psalmi dicitur : *Requiem....ei,.... luceat ei.* Ubi vero ad Ecclesiæ fores pervenerit Processio, antequam ingrediatur, cessatur a cantu Psalmi *Miserere*, etiam si non integer fuisset cantatus, vel alterius Psalmi, et inchoatur versus : *Requiem....ei,....luceat ei.*

4. Ad ingressum Ecclesiæ, id est, quando Clerus Ecclesiam ingreditur, repetitur Antiphona : *Exsultabunt Domino ossa humiliata.*

D) In Ecclesia. — 1. Quando omnes de Clero, et etiam lecticarii qui defuncti corpus portant, Ecclesiam sunt ingressi, interea dum unusquisque adit locum inferius indicandum, cantor incipit, et Clerus alternatim respondet Responsorium : *Subvenite, etc.*

2. Feretrum deponitur in medio Ecclesiæ, et se disponit Clerus ab utroque latere ; post Clerum stant qui intorticia deferunt. Clericus cum Cruce locum sumit ad caput, Parochus vero ad pedes feretri.

3. Responsorio cantato, discedunt omnes (nisi Absolutio statim sit incipienda) ; præcedit clericus cum Cruce inter acolythos, deinde sequitur Clerus, et Parochus. Si Officium aut Missa statim sequitur, Clerus locum sumit in choro, vel se disponit ad scamna posita in longitudinem circa feretrum.

Nota. Si aliquando, deposito corpore in medio Ecclesiæ, remittatur ad aliam horam officium exsequiale, et in medio Ecclesiæ interea corpus relinquatur, tunc post Responsorium *Subvenite*, addi possunt *Kyrie eleison*, *Pater noster*, et Oratio *Absolve*, cum aspersione. (S. Rituum Congregatio, Decret. 7 Septembris 1850, n. 2983, antiq. 5148, ad 4.)

Q. 258. *Quæ notanda sunt circa ornatum, delationem, et dispositionem feretri ?*

R. 1° Circa ornatum. — a) In nostris regionibus cadaver deponitur et reconditur in clauso feretro ; excipiuntur ab hac regula cadavera Episcoporum, Princi-

pum imperantium, etc., quæ exponuntur, etiam in Ecclesia, super lecto funebri.

b) Feretrum cooperitur panno nigri coloris, undique dependente, qui ornari potest fascia in formam Crucis, albi, vel rubri, vel flavi coloris. Nigri coloris sit pannus pro omnibus adultis, etiam pro innuptis puellis ; respondit enim S. Rituum Congregatio, non licere, feretrum, si in eo reconditur corpus puellæ innuptæ, panno ex lana alba contexto cooperire in signum virginitatis. (Decr. 21 Julii 1855, n. 3035, ad 11, antiq. 5221, ad 13.)

c) De feretri ornatu dicunt Statuta Diœcesana (n. 355) : « Feretra laicorum, qui aliqua dignitate civili, aut militari honestati fuerunt, ejus dignitatis insignibus ornare liceat. Signa vero cujuscumque societatis ab Ecclesia damnatæ, ulli feretro ne superponantur omnino interdicimus. Præterea statuimus, pannum album et coronam imponi non posse nisi feretro parvulorum. » In sepultura Clericorum, insignia Ordinis apponi possunt, ad qualitatem, seu dignitatem personæ designandam ; e. g. in sepultura Sacerdotum imponere licet biretum, vel stolam nigri aut violacei coloris. (Gardellini, in Nota ad Decr. 5 Junii 1817, n. 2578, ad 12, antiq. 4536, ad 13.) Baldachinum autem ponere, vel super defunctum, vel super castrum doloris, etiam in Exsequiis aut Officiis pro Episcopo,aut summo Pontifice, non licet. (S. Rituum Congregatio, Decr. 4 Julii 1879, n. 3500, antiq. 5789, ad 1.)

d) In feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exsequiæ fiunt, tam præsente, quam absente corpore, exponi non potest ejusdem defuncti imago ; et ubi viget hujusmodi usus, tolerari non potest, sed curandum ut eliminetur abusus. (S. Rituum Congregatio, Decret. 30 Aprilis 1896, n. 3898.)

e) Damnari debet usus præ cæteris maximopere profanus, quem Massonum impia secta introduxit, nempe prægrandes florum coronas super feretrum ponendi ; dedecet omnino ut fideles morem gerere videantur ritui hominum qui Ecclesiam spernunt. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, II, 1888, pag. 714.) Tanti quidem hæc res momenti visa est, ut plures Episcopi hanc corruptelam

jam reprobaverint. Clero nostræ Diœcesis missæ fuerunt litteræ, 22 Octobris 1887, sequentis tenoris: « Præterquam pro parvulis (Statuta Diœc. n. 355), tamquam abusivus, et a paganismo innovatus haberi debet usus coronarum in sepulturis fidelium. Hinc proin in locis ubi nondum viget, sollicite arcendus est ; alibi prudenter et paulatim eliminandus. In sepultura autem Sacerdotum et personarum religiosarum jam omnino præfatum usum abolemus. (Cfr. Litteræ pastorales, Tom. X, pag. 450.)

Fatendum quidem est, prisca patrum monumenta testari, inde ab Ecclesiæ incunabulis, lumina, ac flores, et aromata, tamquam externa pietatis veneration-isque signa erga defunctos fuisse adhibita, et hæc quidem aliquo modo per accidens posse suffragii habere rationem (cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 39-44) ; attamen, licet ex se significare possint coronæ ex floribus actum pietatis, et cordis affectum, quo in carorum memoriam superstites feruntur, et ita aliquo modo recto sensu explicari valeant (ibid. pag. 707) ; cum origo hodierni usus, uti supra refertur, profana ad minimum dicenda est, cum usus præsertim adhibetur ab iis qui ecclesiasticam sepulturam spernunt, usus iste abusivus pro nobis illicitus maneat.

De his coronis mortuariis sequens prodiit Decretum S. Rituum Congregationis, 22 Maji 1896 (n. 3909) : Aliquis Episcopus, « timens ne, sub specie pietatis erga defunctos, sensim subrepant abusus decorem domus Dei temerantes,... postulavit... : An deceat in parietibus Ecclesiæ, vel publici Oratorii suspendere coronas mortuarias, ut inibi maneant ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative ». (Cfr. Collationes Brugenses, I, 1896, pag. 378.)

f) Caveant Parochi, ait Rituale, « ne permittant, ut pallia, aut alia Altaris ornamenta, ad ornatum feretri, vel tumbæ adhibeantur. »

2° **Circa delationem.** — a) Feretrum portari debet infra Officium exsequiale, vel manibus, vel supra humeros, eo modo, ut pedes defuncti sint a parte anteriori dispositi. — In civitatibus quibusdam mos inolevit, quod mortuorum cadavera a domo ad Ecclesiam, et ab

hac ad Cœmeterium, in sarcophago currui imposito ab equis vehantur, præcedente Clero cum Cruce ante equos. Quo circa Episcopus Brixien. a S. Rituum Congregatione expostulavit : « I. Num in funeribus ducendis tolerari queat usus currus, super quo imponatur feretrum equis vehendum ad Ecclesiam et Cœmeterium ? » II. Et quatenus affirmative, « num Parochus et Clerus funus ducere possint sacris vestibus induti, erectaque Cruce ? » Utrumque fieri posse respondit S. Congregatio. (Decret. 5 Martii 1870, n. 3212, antiq. 5444.)

b) « Laici cadaver, quolibet generis, aut dignitatis titulo præditus ille fuerit, Clerici ne deferant, sed laici. » Clericorum cadavera a laicis deferri possunt ; laudabiliter tamen deferuntur a Clericis, superpelliceo indutis, ejusdem vel inferioris Ordinis cujus erat defunctus.

c) In delatione feretri alicujus viri nobilitate, aut auctoritate præcipui, apprehendi possunt per principales viros extremæ panni fimbriæ ; sed hoc ecclesiasticis viris prohibetur per Decretum S. Rituum Congregationis, 20 Septembris 1681. (Decr. n. 1676, antiq. 2962.)

3° **Circa dispositionem in Ecclesia.** — a) Feretrum deponitur « in medio Ecclesiæ, ita ut defuncti pedes, si fuerit laicus, » aut Clericus Sacerdote inferior, « sint versus Altare majus ; si vero fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum Altare, » ex privilegio dignitatis Sacerdotalis ; Sacerdos hic repræsentatur quasi populum alloqueretur et doceret.

Circa dispositionem feretri Sacerdotis notanda sunt : hæc dispositio cum capite versus Altare, observatur tantum in Ecclesia ; non autem debet observari in delatione cadaveris ad Ecclesiam ; defertur enim corpus Sacerdotis eodem situ, quo corpus laici, nempe cum pedibus anterius, ut supra (2°, a) dictum fuit. — Hujusmodi dispositio feretri Sacerdotis in Ecclesia observatur etiam, quando pro officio exsequiali, absente corpore tumulus erigitur in Ecclesia, eo quod cadaver Sacerdotis non potuit in ejus exsequiis deferri ad Ecclesiam, ex gr. ob vetitum civile, aut ob morbum contagiosum ; censetur enim in casu corpus præsens,

non quidem physice, sed moraliter. Dicta comprobantur Decreto S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899 (n. 4034, ad 3).

b) Circa feretrum ardeant, convenienti numero, cerei seu intorticia, quæ imponentur candelabris ad hunc usum inservientibus, non autem candelabris quæ adhibentur in Altari, vel ad ornatum Ecclesiæ.

c) Crux non potest collocari, tempore Officii, vel Missæ, ad caput feretri ; de quo datur sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Num servanda sit antiquissima consuetudo collocandi Crucem ad caput feretri vel tumuli, dum cantatur Missa, et perdurat Officium emortuale ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Servandum Rituale. » (Decret. 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 6, antiq. 5830, ad 9.) Jamvero Rituale nihil de hoc dicit ; præscribit, ut Subdiaconus, finita Missa, pro Absolutione accipiat Crucem, et accedat ad feretrum, ibique cum Cruce se sistat ad caput defuncti ; ergo non potest Crux jam ibi esse posita.

ARTICULUS II

De Officio Defunctorum

Q. 259. *Quid sentiendum est de obligatione dicendi in exsequiis Officium Defunctorum ?*

R. 1° Rituale dicit (Tit. VI, Cap. 3, n. 4), quod « deposito feretro in medio Ecclesiæ,.... statim, nisi quid impediat, ut infra monebitur, dicatur Officium Mortuorum, cum tribus Nocturnis, et Laudibus. »

Deinde monet (ibid., nn. 16, 17, 18) : « Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, prædictum Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis, et Laudibus dici non potest ; deposito in Ecclesia feretro cum corpore, dicatur saltem primum Nocturnum cum Laudibus, vel etiam sine Laudibus, maxime ubi ejusmodi viget consuetudo, incipiendo ab Invitatorio : *Regem, cui omnia vivunt, Venite, adoremus.* »

« Et postea omnia alia dicantur, quæ præscripta sunt dicenda post Officium Mortuorum et Missam. »

« Quod si etiam ea fuerit temporis angustia, vel alia urgens necessitas, ut unum Nocturnum cum Laudibus dici non possit, aliæ prædictæ preces et suffragia numquam omittantur. »

2° Videtur quidem Rituale, supracitatis verbis, imponere obligationem quamdam dicendi in exsequiis in ordine ad sepulturam defuncti Officium Defunctorum, a quo excipiunt tantum temporis angustia, vel alia urgens necessitas ; ejus verba tamen communiter ita explicantur, quod datur obligatio dicendi hoc Officium in casu tantum quo eleemosynæ ad Officium cantandum, vel recitandum fuerint erogatæ, et tunc dicetur, vel totum, vel pro parte, juxta ejus qui eleemosynas erogavit voluntatem : Officium Defunctorum enim non pertinet ad suffragia necessaria, sicut aliæ preces, aut officia pia, quæ ex Ritualis lege, ut supra dicitur, numquam omitti possunt.

Nota. Circa obligationem dicendi Officium Defunctorum ex justitia, juvat referre sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Utrum Parochus aliique Sacerdotes exsequiis Mortuorum Officiisque quotidianis pro iisdem assistentes, ac pro ea functione stipendium accipientes, teneantur per se Officium Defunctorum persolvere ; ita ut solummodo assistentes, et non cantantes vel psallentes, fructus non faciant suos ? An vero sufficiat ut assistant, et Schola Officium persolvat, ipsis interea pro suo lubitu alias preces fundentibus, v. g. Breviarium recitantibus pro sua quotidiana obligatione ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Affirmative, quoad primam partem ; Negative, quoad secundam. » (Decret. 9 Maji 1857, n. 3045, antiq. 5236.)

Q. 260. *Quando dicendum est in exsequis Officium Defunctorum ?*

R. 1° Rituale præscribit ut, præsente corpore defuncti in Ecclesia, statim post feretri depositionem dicatur Officium Defunctorum.

Solet apud nos, quando integrum dicitur Officium,

dici pridie exsequiarum ad vesperam, nondum præsente corpore; unde vulgo vocatur Vigilia. Alicubi dicuntur Laudes mane, sed fere semper ante corporis delationem ad Ecclesiam.

Melius certe foret, si Officium diceretur, vel totum, vel pro parte, præsentibus corpore, et familiaribus ac amicis defuncti, ut majori devotione ac plurium suffragiis defunctus juvetur. Sed plerisque in casibus diuturnior æstimabitur functio, si, post corporis ad Ecclesiam delationem, cui comites se adjunxerunt, pro more, defuncti amici, et Officium, et Missa, et Absolutio, et Sepultura uno tractu sequuntur : non paucis etenim, (de factis loquimur), diuturnior jam videtur sola Missa.

2° Officium Defunctorum omni die qua permittitur Missa exsequialis dici potest. Si persolvitur pridie exsequiarum, dici potest etiam si hac die occurreret Festum ex solemnioribus; sed in casu differtur usque post expleta tota hujusmodi diei officia.

Excipitur Triduum Sacrum in majori Hebdomada, in quo non cantari, sed privatim tantum recitari potest Officium Defunctorum.

Q. 261. *Quomodo dicendum est in exsequiis Officium Defunctorum ?*

R. A) Quoad ritum. — 1. Officium Defunctorum in exsequiis semper debet persolvi ritu duplici; duplicantur itaque omnes Antiphonæ ; idque fit, sive integrum dicatur Officium, sive ejus pars solum : sive cantetur, sive recitetur.

2. Vesperis Defunctorum locum non dare videtur Rituale : dicit enim quod statim incipitur Officium Mortuorum cum tribus Nocturnis, et Laudibus, et duo ex Clero incipiunt absolute Invitatorium Matutini (Cap. 3, n. 4). Si autem datur obligatio ex justitia Vesperas dicendi, juxta plures auctores debent dici pridie, sicuti fit in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum ; quidam auctores tamen (Cavalieri, Tom. III, Decret. 172, n. 1 ; et Martinucci, Lib. IV, Cap. IX, n. 2) æstimant, Vesperas in casu posse dici mane in exsequiarum Officio ante Matutinum; quia in hoc Officio, pro casu exsequiarum, non est Vesperis

statuta hora, et hac in re potius ratio suffragii quam Officii considerari potest. Numquam vero dici possunt Vesperæ post officium exsequiale. Universalis consuetudo, quæ optima est legum interpres, favet sententiæ quæ dicit Vesperas, modo expresse non petatur earum cantus aut recitatio, omitti posse. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 94, 95.) — Si Vesperæ dicuntur, persolvuntur integræ usque ad *Requiescant in pace*, post Orationem inclusive, etiamsi statim Matutinum sequatur.

3. Matutinum si integrum non persolvitur, tunc pro exsequiali Officio semper dicendum est primum Nocturnum, ut dicit Rituale, et ut rescripsit S. Rituum Congregatio; etenim ad dubium : « In exsequiis pro depositione defuncti, quando unicum recitatur Nocturnum, debet ne dici illud quod Feriæ currenti respondet ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Dicatur primum Nocturnum. » (Decret. 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 5. Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 478, 479, et Nota ibi posita circa aliud Decretum.) Nocturnum Feriæ currenti respondens dicitur in aliis casibus, ut dicetur postea in Capite II, Q. 280.

4. Matutinum in exsequiis, etiam si unum tantum Nocturnum dicitur, semper incipitur ab Invitatorio : *Regem, cui omnia vivunt, etc.* Quandocumque dicuntur novem Lectiones, ultimum Responsorium dicitur : *Libera me Domine, de morte æterna, etc.*

5. In fine Psalmorum semper dicitur in plurali : *Requiem... eis,... luceat eis,* etiamsi pro uno tantum dicatur Officium. Item pro ℣. Versus ante primam Lectionem in primo Nocturno, semper dicitur : *Erue Domine animas eorum.*

6. Psalmi *Lauda anima etc.*, in Vesperis, et *De profundis etc.*, in Laudibus, indicati post *Pater noster*, ante Versus et Orationem, non dicuntur in Officio exsequiali in die depositionis defuncti.

7. Versus qui dicuntur in Vesperis et in Laudibus, post *Pater noster*, ante Orationem, dicuntur pro defuncto, vel defuncta, in singulari ; sed post Orationem dicitur iterum in plurali : *Requiem... eis,... luceat eis,* et *Requiescant in pace.*

8. Oratio dicitur pro defuncto, vel defuncta, quæ assignatur pro die depositionis; vel pro dignitate defuncti, nempe Summi Pontificis, vel Episcopi, vel Sacerdotis; ut in Rituali describitur.

9. Si aliquando Matutinum, aut Nocturnum solum dicitur, aut separatur a Laudibus, post ultimum Responsorium dicitur *Pater noster*, cum Versibus et Oratione, sicuti in fine Laudum.

10. Si immediate post Laudes sequitur Missa, aut proceditur ad defuncti Absolutionem, tunc, dicta Oratione Laudum, non adduntur Versus *Requiem æternam, etc., Requiescant in pace;* quia hi Versus, qui inserviunt quasi ad ultimum vale defunctis, in finem precum reservandi sunt.

B) Quoad cæremonias. — 1. Omnes de clero, induti superpelliceo,locum sumunt in Choro; aut, si in Ecclesia non habetur Chorus, in scamnis in longitudinem ab utraque parte circa feretrum positis. Primum locum, a parte Evangelii, occupat Parochus, vel Sacerdos qui Officio præest, qui induit superpelliceum et stolam nigram, et etiam induere potest pluviale. (S. Rituum Congregatio, 12 Augusti 1854, n. 3029, antiq. 5208, ad 8 et 9.)

2. Ad initium Vesperarum, omnes stant, et post primum versum Psalmi sedent, usque dum incipitur Canticum *Magnificat;* stant interea dum cantatur Canticum, et iterum sedent quando repetitur ejus Antiphona; omnes assurgunt, et mox genua flectunt cum dicitur *Pater noster,* et genuflexi manent dum dicuntur Versus et Oratio. Parochus solus assurgit ad ℣. *Dominus vobiscum,* et Orationem. Reliqui omnes assurgunt post ℣. *Requiescant in pace,* post Orationem.

3. Ad Matutinum, omnes stant dum cantatur Invitatorium et Psalmus *Venite, exsultemus etc.* Ad verba Psalmi : *Venite, adoremus, et procidamus ante Deum,* omnes genu dextrum flectunt versus Crucem Altaris. Post primum versum primi Psalmi omnes sedent; dicto Versu post Psalmos cujusque Nocturni, assurgunt usque dum dictum fuerit totum *Pater noster* secreto. Interea dum dicuntur Lectiones et Responsoria, omnes sedent, excepto illo qui Lectionem cantat.

4. Si Laudes dicuntur immediate post Matutinum, omnes remanent sedentes ad earum initium ; si vero separatim a Matutino dicuntur, ad earum initium stant, et post primum versum primi Psalmi sedent, usque dum incipitur Canticum *Benedictus ;* stant interea dum cantatur Canticum, et iterum sedent quando repetitur ejus Antiphona; omnes assurgunt, et mox genua flectunt cum dicitur *Pater noster,* et genuflexi manent dum dicuntur Versus et Oratio. Parochus solus assurgit ad ℣. *Dominus vobiscum,* et Orationem. Reliqui omnes assurgunt post ℣. *Requiescant in pace,* post Orationem.

5. Si Matutinum separatur a Laudibus, omnes assurgunt post altimum Responsorium, et mox genua flectunt cum dicitur *Pater noster ;* et omnia observantur sicuti supra pro fine Laudum præscribuntur. Pro aliis cæremoniis in Officio Defunctorum solemniter cantato servandis, conferatur Tractatus de Officio divino, n. 234.

ARTICULUS III

De Missa exsequiali

Q. 262. *Quodnam est Ecclesiæ votum de celebranda Missa, præsente corpore defuncti ?*

R. Ecclesia in votis maxime habet, ut præsente defuncti corpore, Missa, et quidem Missa de *Requiem* pro defuncto celebretur. Dicit enim Rituale Romanum : « Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit retineatur, ut Missa, præsente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur. » (Tit. VI, Cap. I, n. 4.) Et ideo permittit Ecclesia, ut Missa hujusmodi diebus festis etiam celebretur, « dum tamen Conventualis Missa, et Officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet. » (Loco citato, n. 5. Cfr. Q. 254.) Imo, per Decretum 19 Maji-8 Junii 1896 (n. 3903), S. Rituum Congregatio permisit, ut præsente cadavere, interea dum fiunt solemnes exsequiæ, Missæ privatæ de *Requiem* pro defuncto, sub quibusdam clausulis et conditionibus, celebrentur.

(Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis, QQ. 333, 334, 342.)

Nota. Quam alieni sint a mente Ecclesiæ jam patet, qui, piissimo et antiquissimo instituto relicto, ultimoque hoc fortissimo Sacrificii Missæ subsidio animas privantes, intendunt sepulturas differre ad tempus pomeridianum, more acatholicorum : in quibusdam civitatibus enim invalescit praxis deducendi corpus ad Ecclesiam, tempore pomeridiano, et facta Absolutione, deferendi ad cœmeterium. Qui hanc praxim fovent laici, plerumque hostili erga Ecclesiam et clerum mente ducuntur. Parochorum est, summo niti studio, ut antiquissima instituta serventur atque retineantur. Quod si in casu postea petitur ut celebretur pro defuncto Missa, dubitandum videtur, an hæc possit esse privilegiata; nam dicendum est privilegia, de quibus quæstio, concessa esse ob causas graves, et rationabiles, qualis non est ea quæ ponitur ex affectu qui inhonestus est. (Cfr. Tractatus citatus, Q. 337, Nota II.)

Quæ dicenda sunt de Missa de *Requiem* exsequiali, de ejus solemnitate, de numero Missarum quæ in die Sepulturæ de *Requiem* celebrari possunt, exponuntur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani (Sectio II, Caput II, Articulus III, QQ. 332-344).

Q. 263. *Quid notandum est de oratione funebri ?*

R. Si habenda est oratio funebris, dici debet finita Missa, ante Absolutionem ; qui eam dicit est in vestibus nigris, habitu ordinario, cum bireto, sed sine superpelliceo aut stola ; primum orat ante medium Altaris, dein accedit ad pulpitum.

Si adsit Episcopus, nulla ab eo petitur benedictio, sed sermocinaturus, facta Episcopo profunda reverentia vel genuflexione (pro qualitate personæ), ascendit pulpitum panno nigro coopertum : ubi facta iterum Episcopo reverentia, signans se signo Crucis, facit sermonem. (Cfr. Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XI, n. 10.)

Sequentia de eo sermone dubia proposita fuerunt S. Rituum Congregationi :

« 1. An prænotatis verbis Cæremonialis, *vestibus nigris*, etiam stola comprehendatur, ita ut sermocinaturus in laudem defuncti (extra Urbem) stola super veste talari, vel alia dignitati suæ competenti, indui debeat? — 2. An laudata dispositio Cæremonialis in Ecclesiis Cathedralibus tantum; vel etiam in aliis omnibus, Episcopo absente, servari debeat? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Ad 1. Negative. — Ad 2. In omnibus Ecclesiis servandam. » (Decret. 14 Junii 1845, n. 2888, antiq. 5010.)

Nota. Non raro hodie laudes defuncti dicuntur, sive in domo antequam corpus defertur ad Ecclesiam, sive post officium Sepulturæ in cœmeterio. His laudibus interesse non licet clero qui officium exsequiale peragit ; et in domo ita sunt omnia ordinanda, ut clerus exspectare non debeat ; in cœmeterio vero, facta sepultura, clerus discedere debet.

ARTICULUS IV

De Absolutione ad feretrum

Q. 264. *Quid intelligitur nomine Absolutionis, in Officiis quæ pro defunctis peraguntur?*

R. Inter Officia quæ pro defunctis peraguntur venit **Absolutio**, quo nomine intelligitur complexus precum, et rituum ac cæremoniarum, nempe aspersionis et thurificationis, quæ fiunt, vel circa defuncti corpus, antequam sepulturæ traditur ; vel etiam super erectum tumulum, absente corpore. Nomen habet Absolutio, ab eo quod intendamus per eam obtinere ut a pœnis quas incurrit vivens, defunctus absolvatur.

Q. 265. *Quotuplex distinguitur defunctorum Absolutio? Explica.*

R. Duplex distinguitur defunctorum Absolutio.

I. Prior, quæ describitur in Rituali Romano (Tit. VI, Cap. 3, nn. 7 ad 10), ea est quæ usuvenit in exsequiis, præsente corpore defuncti, seu ad feretrum in defuncti depositione, et in ordine ad ejus sepulturam; etiamsi aliquando sepultura non immediate sequatur.

II. Altera, quæ describitur in Rituali Romano (Tit. VI, Cap. 5), ea est quæ usuvenit in quibuscumqne Officiis quæ pro defunctis extra exsequias stricte dictas peraguntur, et quæ fit corpore absente, super tumulum erectum.

Claritatis gratia, prior, de qua hic agitur, vocabitur **Absolutio ad feretrum**; altera **Absolutio ad tumulum**, de qua dicetur in sequenti Capite II.

Q. 266. *Quibus partibus constat Absolutio ad feretrum?*

R. Absolutio ad feretrum, in exsequiis præsente corpore defuncti peracta, constat sequentibus partibus :

1. Oratione : *Non intres in judicium, etc.*

2. Responsorio : *Libera me Domine, de morte æterna, etc.*

3. Aspersione et thurificatione corporis, seu feretri, interea dum dicitur *Pater noster.*

4. Versibus, et Oratione propria, quæ eadem est pro quocumque defuncto.

Adjunguntur dein aliæ preces ; sed istæ referuntur ad Officium sepulturæ, et de eis dicetur in sequenti Articulo V.

Nota. I. Ex hac distinctione deducitur quod, si corpus jam fuit sepultum, ex. gr., in die magnæ celebritatis, in qua Missa exsequialis de *Requiem* non potuit celebrari, sed in qua cum ritu consueto Absolutio exsequialis ad feretrum, et sepultura factæ fuerunt, non licebit, quando postea prima die libera potest Missa exsequialis de *Requiem* absente corpore celebrari, post hanc Missam priorem Absolutionem peragere, quæ jam pro sepultura usuvenit ; sed observabitur tunc ritus Absolutionis absente corpore, descriptus in sequenti Capite II.

A fortiori prior Absolutionis ritus usuvenire non potest, si corpore jam sepulto cum Missa, et cum hac Absolutione, in officio quod vocatur vulgo Sepulturæ (*lijkdienst met begrafenis ; obsèques, service funèbre avec inhumation*), more patrio postea celebrantur, alia die qua bene visum fuerit, exsequiæ, licet extrinsece solemniores, quæ vocantur vulgo *uitvaart, funérailles ;* observabitur in tali casu etiam ritus Absolutionis absente corpore.

Nota. II. De priori Absolutione dicitur quod usuvenit præsente defuncti corpore; attamen, in casu quo exsequiæ alicujus defuncti fiunt absente quidem corpore, sed ideo absente quia propter civile vetitum, aut morbum contagiosum corpus non potuit ad Ecclesiam deferri, nequidem pro Absolutionis aut Sepulturæ ritu; in tali casu, quo jam poterit Missa exsequialis cantari æque ac si corpus foret physice præsens, profecto licebit post Missam facere hanc priorem Absolutionem, eodem itidem modo ac si corpus foret physice præsens; censetur enim tunc præsens moraliter, conformiter Decreto S. Rituum Congregationis, 13 Februarii 1892. (Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, Q. 337.) Pro hoc casu notat quidem S. Rituum Congregatio, apponendum esse ad erectum tumulum lodicis, seu panni nigri signum ab eo diversum quod in aliis Officiis quæ absente corpore fiunt adhibetur; ut fideles intelligant Officium in casu peragi in expiationem animæ illius defuncti cujus corpus ad Ecclesiam non potuit deferri. (Decret. 22 Martii 1862, n. 3112, antiq. 5320, ad 1.)

Q. 267. *An Absolutio in exsequiis de præcepto fieri debet?*

R. Absolutio exsequialis in depositione defuncti, præsente ejus corpore, de præcepto fieri debet; etenim Rituale Romanum, ubi admittit propter necessitatem omitti posse Officium Defunctorum, aut ejus partem, statim admonet, ut « aliæ prædictæ preces et suffragia numquam omittantur. » (Tit. VI, Cap. 3, n. 18.) Insuper, ubi describit ritum Absolutionis, absolute indicat statim post finitam Missam procedendum esse ad Absolutionem. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 659.)

Q. 268. *Quot Absolutiones fieri possunt in exsequiis?*

R. In depositione defuncti, una tantum in exsequiali Officio in ordine ad Sepulturam fieri potest Absolutio; illa nempe quæ describitur in Rituali Romano (cfr. Q. 265, I); quam Ritualis dispositionem servandam esse respondit S. Rituum Congregatio (Decreto 23 Maji 1846, n. 2915, ad 10, antiq. 5050, ad 12).

Attamen, si exsequiale depositionis Officium fit in

una Ecclesia, et, facta ibi post Missam exsequialem Absolutione, corpus defertur ad aliam Ecclesiam, ut in cœmeterio hujus Ecclesiæ sepeliatur, licet, delato jam corpore in hanc alteram Ecclesiam, ibi resumere totum ritum Absolutionis, et eamdem Absolutionem, etiamsi jam in priori Ecclesia factam, repetere. Ita sæpius fit in civitatibus, delato corpore defuncti pro Sepultura ad alterius parochiæ cœmeterium. (Cfr. Q. 274, Nota II.)

Nota. I. Juxta Pontificale Romanum, et Cæremoniale Episcoporum, plures, nempe quinque diversæ successivæ Absolutiones, quarum ritus describitur in Pontificali Romano (Pars III), fieri possunt; sed pro determinatis Personis; scilicet, pro Summo Pontifice, pro S. R. E. Cardinali, pro Episcopo proprio, seu Ordinario; necnon pro Imperatore, Rege, Duce magno, aut Domino loci. Respicit hæc lex Personas tantum quibus generaliter est jurisdictio; nec potest favere aliis quibuscumque ibi non nominatis, qui jurisdictione non gaudent.

Insuper Absolutiones istas non semper in omnibus earum Personarum exsequiis fieri convenit, sed tantum in primis exsequiis quæ fieri solent post obitum, non autem in Anniversariis.

Nota. II. In nostra Diœcesi Mechliniensi, usque ad annum 1872, conformiter ritui in Pastorale Mechliniense descripto, tres successivæ Absolutiones, diversi tenoris quoad preces, pro quocumque defuncto fiebant; necnon ante Missam aliquando dicebantur preces, vocatæ Commendationes. Ex quo Rituale Romanum in usu est, Commendationes dicere, et tres Absolutiones istas diversas facere non amplius licet; unde præscribitur etiam in Statutis Diœcesanis (n. 354): « In quibuslibet Missis pro defunctis, si facienda sit Absolutio, una tantummodo fiat, expleto Sacro, et quidem ab ipso Celebrante, ad formam Missalis vel Ritualis Romani. »

Q. 269. *Quis debet et potest facere Absolutionem ad feretrum in exsequiis?*

R. Si Absolutio fit post Missam exsequialem, ille solus qui celebravit Missam debet et potest facere Abso-

lutionem; etenim in casu Absolutio est veluti appendix Missæ, quacum totum quid constituit; ac proinde ad eumdem spectat appendix, qui principale, seu Missam celebravit.

Probatur ex lege Ritualis Romani (Tit. VI, Cap. 3, n. 7), quæ unum tantum indicat eumdemque Celebrantem Missam et Absolutionem agentem : « Finita Missa, Sacerdos, deposita casula, et manipulo, accipit pluviale », et procedit ad Absolutionem.

Probatur etiam ex Decreto S. Rituum Congregationis : Ad dubium : « Num post Missam in die obitus, alius Sacerdos a Celebrante diversus accedere possit ad Absolutionem peragendam? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative; et ex Decretis hoc jure gaudere tantum Episcopum loci Ordinarium. » (Decret. 12 Augusti 1854, n. 3029, ad 10, antiq. 5208, ad 13.) — In præcedenti Decretorum editione notabatur « hoc jure gaudere tantum Episcopos »; in editione anni 1898 datur textus responsi magis determinatus, ut supra.

Ergo neque Parochus, neque Canonicus, neque Episcopus non loci Ordinarius, nisi ipsi Missam exsequialem celebraverint, non possunt, finita Missa, Absolutionem ad feretrum peragere; et solus Episcopus loci Ordinarius, in loco ubi est Ordinarius, alium delegare potest pro Missæ celebratione, sibique reservare tantum Absolutionem.

Nota quod in Decretis quibusdam dicebatur *congruum* tantum esse, ut ab eodem Sacerdote qui Missam celebravit Absolutio fiat; sed e nova editione Decretorum Decreta hæc fuerunt expuncta; adeo ut exploratum omnino sit præceptum de Absolutione ab eodem peragenda Sacerdote qui Missam celebravit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 226-228.)

Q. 270. *Describe ordinem servandum in Absolutione ad feretrum.*

R. 1. Post ultimum Evangelium, Celebrans, Diaconus, et Subdiaconus accedunt ad medium Altaris; Celebrans caput inclinat ad Crucem Altaris, aut dextrum genu flectit, si in Altari habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento; Diaconus et Subdiaconus in omni

casu dextrum genu flectunt; mox descendunt a parte Epistolæ de Altari, et directe procedunt ad scamnum.

2. Interea prope abacum præsto erunt: minister cum vasculo aquæ benedictæ et aspersorio, alter cum libro Rituali, thuriferarius cum thuribulo et navicula, minister cum Cruce tradenda Subdiacono, et acolythi cum candelabris suis.

3. Ad scamnum, Diaconus et Subdiaconus deponunt manipulum; Celebrans deponit casulam et manipulum, et assumit pluviale nigri coloris. — Subdiaconus accedit ad credentiam, et accipit a ministro Crucem; acolythi cum candelabris præsto stant.

4. Facta ab omnibus, exceptis Subdiacono et acolythis, aut inclinatione capitis aut genuflexione (ut supra, n. 1), proceditur ad Absolutionem, ordine sequenti:

a) Subdiaconus cum Cruce, et acolythi cum candelabris, tendunt per sinistram cadaveris (per partem Evangelii) ad caput cadaveris, nullam facientes reverentiam cum transeunt ante Altaris medium; ibi consistunt inter feretrum et portam Ecclesiæ, facie ad Altare versa.

b) Clerus locum sumit, divisus hinc inde circa feretrum, facie ad illud versa; digniores se sistunt a parte Altaris. Omnes de clero, pro consuetudine, candelas manu tenent accensas.

c) Celebrans, et Diaconus, qui deposito manipulo accessit ad Celebrantis sinistram, caput bireto cooperientes, procedunt directe de scamno ad locum feretri; ibi consistunt ad pedes cadaveris, inter Altare et feretrum, aliquantum versus partem Epistolæ, et facie versa ad Crucem quam tenet Subdiaconus; prope eos a retro stant thuriferarius, minister cum aqua benedicta, et minister cum libro Rituali.

Clerus et Subdiaconus cum acolythis relinquunt spatium sufficiens, ut inter eos et feretrum possint commode transire Celebrans et Diaconus.

5. Quod si cadaver esset Sacerdotis, depositum capite ad Altare, pedibus ad portam conversis (cfr. Q. 258, 3°), servabitur hæc alia methodus: Subdiaconus portans Crucem et acolythi consistant ad caput cadaveris, inter feretrum et Altare, in medio, non aliquan-

tum versus partem Epistolæ ; Celebrans autem, Diaconus et reliqui ministri procedentes a sinistris cadaveris (per partem Epistolæ), consistant ad pedes cadaveris, inter feretrum et portam Ecclesiæ. Quæ dispositio servatur etiam quando cadaver est moraliter præsens, ut rescripsit S. Rituum Congregatio (Decret. 20 Junii 1899, n. 4034, ad 3) ; pro quo casu cfr. dicta Q. 258, 3°.

6. Cum unusquisque suo loco constiterit, Diaconus et Celebrans caput nudabunt ; Diaconus accipit biretum Celebrantis, illudque cum suo proprio tradit ministro.

7. Minister qui Rituale portat, accedit et apertum tenet librum ante Celebrantem, qui manibus junctis recitat tono feriali, et absolute, id est, nihil præmisso, Orationem : *Non intres, etc.* Notandum est, quod si cadaver esset mulieris, aut si plures essent defuncti, nulla facienda erit variatio in verbis : *cum servo tuo* (S. Rituum Congregatio, Decr. 21 Januarii 1741, n. 2355, antiq. 4105) ; verba hæc enim desumpta sunt ex Sacra Scriptura (Psalm. 142, ℣. 2), ideo non possunt promutari. In fine Orationis Chorus respondet : *Amen*, et minister cum Rituali recedit post Celebrantem.

8. Cantores incipiunt, et Clerus prosequitur cantum Responsorii *Libera*. Celebrans potest Responsorium vel alternatim cum Diacono submissa voce recitare, vel simul cum Clero cantare.

9. Cum a cantoribus repetitur ℣. *Libera*, Diaconus a sinistra Celebrantis transit retro post eum ad ejus dexteram. Accedit ad Celebrantem thuriferarius, et Diaconus sine osculis ministrat incensum, et dicit : *Benedicite Pater Reverende*. Celebrans ter incensum imponit in thuribulum, sub formula usitata : *Ab illo benedicaris, etc.*, et statim illud benedicit. Thuriferarius, accepta navicula, redit retro post Celebrantem, et thuribulum claudit. Minister aquæ benedictæ accedit ad dexteram Celebrantis et Diaconi, et cum Celebrans dicit : *Pater noster*, aspersorium tradit Diacono.

10. Cantato *Kyrie eleison*, Sacerdos mox dicit alta voce : *Pater noster*, quod secreto dicitur ab omnibus ; interim ipse dextera accipit a Diacono absque osculis aspersorium, et sinistram tenet ante pectus ; Diaconus attollit fimbriam pluvialis ad dexteram. Celebrans

1° se convertit ad Altare, et in medio Cruci Altaris profunde caput inclinat (aut genuflectit, si adsit SS. Sacramentum in Tabernaculo); 2° accedit ad feretrum ut corpus defuncti aspergat; aspersionem autem incipit a sinistris cadaveris (a parte Evangelii), primo aspergens illud versus pedes, deinde versus medium, postremo versus caput; 3° ante Crucem quam tenet Subdiaconus caput profunde inclinat; 4° prosequitur aspersionem a dextris cadaveris, primo versus caput, deinde versus medium, postremo versus pedes; advertat ut aspersionem peragat præteriens, non vero umquam subsistens. — Celebrantem comitatur Diaconus, qui fimbriam pluvialis a dextris sustentat, et in utroque casu pro Cruce, sive Altaris, sive Subdiaconi, semper genuflectit.

11. Reversus Celebrans ad locum ubi acceperat aspersorium, illud reddit Diacono, hic autem ministro; thuriferarius tradit thuribulum Diacono et Diaconus Celebranti, qui cum Diacono, sub iisdem reverentiis Crucibus præstandis, et eodem modo quo aspersionem fecit, circuit feretrum et incensat corpus.

12. Post incensationem, ad locum suum reversus, Celebrans reddit thuribulum Diacono, hic autem thuriferario. Celebrans et Diaconus eumdem locum occupant quam in principio Absolutionis, et eodem modo stant. Accedit minister qui librum gestat, illumque apertum sustinet ante Celebrantem, qui manibus junctis cantat Versiculos cum Oratione: *Deus, cui proprium, etc.*, tono feriali. Diaconus interea stat ad sinistram Celebrantis. In hac Oratione, si cadaver sit feminæ, fit variatio generis; si defunctus fuerit Sacerdos, dicitur: *pro anima famuli tui N. Sacerdotis, quam, etc.*

Potest etiam Diaconus librum tenere apertum ante Celebrantem, dum hic cantat Versiculos et Orationem; ita quidem faciendum præscribit Rubrica Missalis in Absolutione ad tumulum, ut dicetur postea in Capite II; et Rubrica Ritualis pro præsenti Absolutione ad feretrum (n. 10) dicit librum ante Sacerdotem teneri ab acolytho, seu alio ministro, qui alius minister intelligendus foret Diaconus. In hoc casu, Diaconus, reddito thuribulo, mox accipit librum, et stans ante Celebrantem, illum ambabus manibus sustinet apertum,

dum Celebrans dicit Versiculos et Orationem. Dicta Oratione, Diaconus reddit librum ministro, et accedit ad sinistram Celebrantis.

13. Proceditur deinde ad Sepulturam, de qua in Articulo sequenti V agitur.

ARTICULUS V

De Sepultura

Q. 271. *Quid notandum est de benedictione sepulchri?*

R. I. Rituale Romanum, etiamsi præscribat corpus Christiani in communione fidelium defuncti sepeliri vel in Ecclesia, vel in Cœmeterio benedicto (cfr. Q. 255), tamen in ritu Sepulturæ notat, quod ubi « pervenerit ad sepulchrum, si non est benedictum, Sacerdos illud benedicit », ritu præscripto, nempe Oratione, et aspersione ac incensatione corporis et tumuli. (Tit. VI, Cap. 3, nn. 12, 13.) De hac sepulchri benedictione notandum est :

a) Si nomine sepulchri intelligitur fovea quæ paratur, effossa humo, in Cœmeterio benedicto, pro tali sepulchro nullimode hæc particularis benedictio adhiberi debet, quia locus præcipue ad hunc usum jampridem benedictus est ; ergo in casu negligitur hæc Ritualis Rubrica.

b) Intelligi potest etiam sepulchrum exstructum ex lapidibus, aut lateribus, quod vocatur conditorium, crypta (grafkelder, caveau) ; hujusmodi vero sepulchrum novum, quando in ea prima vice sepelitur aliquis defunctus, benedici debet, etiamsi sit exstructum in Cœmeterio jam rite benedicto ; illudque benedici debet ratione novæ materiæ adhibitæ in ædificatione sepulchri.

c) In Ecclesiis hodiedum in nostris regionibus non sepeliuntur defuncti ; si tamen in particulari casu, in Ecclesia, jam rite benedicta aut consecrata, paratur pro Sepultura conditorium, seu crypta, etiam tale sepulchrum novum prima vice debet benedici, quia locus mutat materiam et usum. (Barrufaldus, *Ad Rituale Romanum Commentaria*, Tit. 36, n. 168.)

Dicta confirmantur Decretis S. Rituum Congregatio-

nis, 27 Maji 1876 (n. 3400, antiq. 5664, ad 5), et 4 Septembris 1880 (n. 3524, antiq. 5818, ad 1). (Cfr. Nouvelle Revue Théologique, XII, 1880, pag. 85, et XVI, 1884, pag. 340.)

II. De benedictione sepulchri sequentia notantur in Statutis Diœcesis Mechliniensis : « Jam vero quum in pluribus hujus Archidiœcesis civitatibus, oppidis et locis, perversa quorumdam hominum voluntate factum sit ut Cœmeteria, vel benedictione caruerint, vel fuerint profanata, atque exinde pessimus invaluerit usus fidelium defunctorum corpora non pauca terræ mandandi absque ministerio sacerdotali et cæremoniis sacris, cavendum duximus ne christiana ibidem sepultura obsolesceret, cum magno equidem religionis et pietatis detrimento. Itaque, vi facultatis a S. Sede Nobis data, et donec aliter in singulis casibus provideri non posse visum fuerit, mandamus ut quoties corpus alicujus fidelis defuncti, ad Ecclesiam rite delatum, sepeliendum erit in cœmeterio non benedicto vel profanato, id fiat ritu quoque ecclesiastico, scilicet benedicendo foveam sepulcralem unamquamque, adhibitis precibus Ritualis Romani, et servato ordine ad calcem Epistolæ Nostræ Pastoralis, diei 12 Martii 1891, præscripto. »

« Omnia fidelium defunctorum corpora, etiam pauperum, quæ ad Ecclesiam deferuntur, in posterum per Sacerdotem ritu ecclesiastico terræ demandentur. Si quid obstiterit, ad Nos recurrendum erit. » (Statuta Diœces., editio anni 1899, n. 387[bis]. — Cfr. Litteræ Pastorales Diœcesis Mechlinien., 10, 12 et 19 Martii 1891, Tom. XI, n. 82, pag. 382-394 ; et Synodus Diœcesana 4 Maji 1892, pag. 27.)

Q. 272. *An ritus Sepulturæ in exsequiis de præcepto peragi debet ? A quo peragendus est ?*

R. I. Sicut præceptiva est in exsequiis defuncti Absolutio (cfr. Q. 267), ita etiam de præcepto peragi debet ritus Sepulturæ ; etenim juxta Rituale Romanum unam efficit functionem Sepultura cum Absolutione, cui immediate subsequitur ; et notat Rituale (Tit. VI, Cap. 3, n. 14), facta Absolutione, « quod si corpus tunc ad Sepulturam non deferatur,.... prosequatur Officium, ut infra : quod numquam omittitur. »

Consonat præscriptum Statutorum nostræ Diœcesis (n. 387[bis]) : « Omnia fidelium defunctorum corpora, etiam pauperum, quæ ad Ecclesiam deferuntur, in posterum per Sacerdotem ritu ecclesiastico terræ demandentur. »

II. Ille ritus Sepulturæ, qui unum efficit cum Absolutione post Missam, et qui peragitur in Cœmeterio Ecclesiæ contiguo aut proximo, quando corpus tunc sepelitur ; aut in Ecclesia, quando corpus non tunc, sed alio tempore, aut in alio Cœmeterio est sepeliendum ; ille ritus peragendus est ab eodem Sacerdote qui fecit Absolutionem ; Rituale enim non locum dat supposito, quod pro Sepultura alius interveniat ab eo qui præcedentem Absolutionis functionem peregit.

Sed quæstio etiam proponi potest pro casu, quo corpus defuncti longiori jam itinere est deferendum ad Cœmeterium, quod extra civitatem aut pagum, extra loca habitata est constructum. Etiamsi Absolutionis, et etiam Sepulturæ ritus præscriptus jam sit in Ecclesia peractus, in ipso actu Sepulturæ tamen per Sacerdotem ritu ecclesiastico corpus terræ demandandum est. Re in se spectata, congruum saltem dicendum est, si ipse Parochus associet defuncti cadaver usque ad Cœmeterium in quo tumulandum est ; attamen, rerum et locorum adjuncta sæpius impedire possunt, quominus Parochus per se id munus adimpleat ; in casu associari tamen debet cadaver per alium Sacerdotem, qui ea quæ pro Sepultura peragenda sunt juxta Rituale ibi peragat. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 396.) In quibusdam majoribus civitatibus designantur ad id munus Sacerdotes, qui saltem excipiunt funus ad ingressum Cœmeterii pro ritu Sepulturæ peragendo.

Q. 273. *Describe ritus servandos in Sepultura defuncti, quando corpus immediate deportatur ad Cœmeterium Ecclesiæ proximum, seu contiguum.*

R. 1. Completa Oratione : *Deus, cui proprium, etc.*, procedunt omnes ad Cœmeterium, sequenti ordine : *a*) thuriferarius, et minister cum vasculo aquæ benedictæ ; *b*) Subdiaconus cum Cruce, inter acolythos ;

c) Clerus ; *d*) Celebrans, ad cujus sinistram procedit Diaconus ; *e*) post Celebrantem defertur feretrum. Dum corpus ad Cœmeterium portatur, Clerici cantant Antiphonam : *In paradisum, etc.*

2. Cum Processio ad Cœmeterium venerit, Clerus disponitur ad foveam, circa sepulchrum, eodem modo quo stabat in Ecclesia ad Absolutionem, scilicet, Subdiaconus cum Cruce ad caput defuncti, Celebrans cum Diacono ad pedes; et reliqui omnes sicut præscribitur Q. 270, n. 4. Feretrum deponitur prope sepulchrum.

3. Si sepulchrum non est benedictum (cfr. Q. 271), Celebrans, cum eo venerit, ex libro quem sustinebit minister, recitat tono feriali Orationem super sepulchrum ; post Orationem,ministrante ad dexteram Diacono,imponit consueto modo incensum in thuribulum, cum formula : *Ab illo benedicaris*, et cum benedictione. Postea Diaconus acceptum aspersorium porrigit Celebranti, qui aspergit in medio, a sinistra sua et a dextera sua, primo corpus, deinde sepulchrum ; mox Diaconus recipit aspersorium et reddit ministro,et acceptum thuribulum porrigit Celebranti, qui incensat corpus, et sepulchrum, eodem modo quo aspersit.

Omissa benedictione sepulchri, omittuntur aspersio et incensatio, tum corporis, tum sepulchri ; quia hæ præscribuntur tantum in ordine ad benedictionem sepulchri.

4. Si sepulchrum est benedictum, Celebrans, cum eo venerit, et deposito feretro prope sepulchrum, intonat Antiphonæ verba : *Ego sum*, et immediate a cantoribus cantatur Canticum *Benedictus*, et deinde Antiphona integra : *Ego sum resurrectio, etc.*

5. Celebrans alta voce dicit : *Kyrie eleison*, Clerus *Christe eleison*, Celebrans *Kyrie eleison*, et immediate *Pater noster*, quod prosequitur submissa voce cum adstantibus. Interim Diaconus accedens ad dexteram Celebrantis, aspersorium ei tradit, et Celebrans suo loco manens, aspergit corpus in medio, a sinistra sua et a dextera sua, et reddit aspersorium Diacono, hic autem ministro. Deinde minister, accepto libro, se sistit ante Celebrantem, et sustinet librum apertum. Celebrans

tono feriali cantat versiculos : *Et ne nos, etc.*, et Orationem : *Fac, quæsumus, etc.*

6. Post Orationem, minister retinens librum recedit aliquantum versus sinistram Celebrantis, et Celebrans cum dicit ℣. *Requiem æternam dona ei, Domine,* elevat dexteram, et Crucis signum facit super feretrum ; interea Diaconus elevatam tenet fimbriam pluvialis. Rituale Romanum nihil quidem dicit de hoc signo Crucis, sed illud esse faciendum præscribit Missale Romanum (*Ritus celebrandi Missam,* Tit. XIII, n. 4). Cantores cantant : *Requiescat in pace* ; et Celebrans dicit voce demissa ℣. *Anima ejus, etc.* Diaconus transit ad sinistram Celebrantis.

7. Celebrans sine cantu dicit Antiphonæ verba : *Si iniquitates ;* deinde accipit biretum a Diacono et caput cooperit ; quod et facit Diaconus.

8. Revertitur Processio ad sacristiam, eodem ordine ut supra (n. 1), et in itinere dicuntur preces ultimæ, ad suffragium omnium fidelium defunctorum ; quas præscribit hic loci Ecclesia, ne videatur, dum pro uno fideli defuncto orat, oblivisci aliorum ; scilicet, a Celebrante et iis qui ipsum comitantur recitatur Psalmus : *De profundis,* alternatim tono chorali, sed sine cantu. In fine dicitur ℣. *Requiem.. eis,* in plurali, et repetitur Antiphona integra : *Si iniquitates observaveris, Domine : Domine, quis sustinebit ?*

Subjunguntur dein sequentes preces, alternatim a Sacerdote et clero dictæ : *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster,* secreto. ℣. *Et ne nos...* ℟. *Sed libera....* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animas eorum.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine, exaudi....* ℟. *Et clamor...* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Et Sacerdos dicit *Oremus,* et Orationem *Fidelium, Deus, omnium conditor etc.* ℟. *Amen.* Post Orationem Sacerdos dicit alternatim cum clero : ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat eis.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

Istæ preces post Antiphonam *Si iniquitates... sustinebit ?* omnes clare et expresse præscribuntur in recentioribus editionibus Missalis pro Defunctis, curante S. Rituum Congregatione impressis.

9. Dicuntur Psalmus *De profundis*,et quæ sequuntur, interea dum omnes revertuntur de Cœmeterio in Ecclesiam, vel in sacristiam ; non oportet ut ante Altare sistatur ad dicendam Orationem ; sed si omnes jam accesserint ad sacristiam, terminantur istæ preces antequam sacra paramenta deponantur.

10. Postquam clerus e Cœmeterio discesserit, feretrum demittitur in sepulchrum, et sepelitur.

Nota. Consuetudo antiqua in aliquibus locis apud nos existit sequens : in Sepultura alicujus Sacerdotis, absoluto jam totaliter ritu Sepulturæ, sed antequam clerus ad sacristiam regreditur, Sacerdos qui ritum Sepulturæ peregit,accipit parvum calicem ex cera confectum, huic infundit vinum et aquam, et superimponit hostiam, ac etiam parvam tabellam ex cera, cui infixi sunt in modum crucis quinque parvi cerei qui hoc momento accenduntur : hæc omnia deponit Sacerdos in aliqua capsula quæ in feretro ad hoc parata fuit ; et extinctis mox cereis capsula clauditur. Tunc clerus discedit ad sacristiam ritu consueto.

De hac consuetudine,quæ introducta fuit ad demonstrandum dignitatem Sacerdotalem, et quæ, cum nihil indecentiæ habeat, toleranda censeri potest ob antiquitatem, nihil habetur in Libris Liturgicis.

Ad eam tamen referri potest sequens S. Rituum Congregationis Decretum : « Cadavera Sacerdotum in hac Diœcesi (Tuden.) deferuntur induta paramentis sacerdotalibus, atque præ manibus habentia Calicem cum Patena intra cuppam elevata. Sunt qui contradicunt, volentes quod cadavera Sacerdotum perinde ac cadavera laicorum habeant dumtaxat manus ante pectus conjunctas, interque digitos parvam Crucem cum imagine Crucifixi. Quæritur : An liceat consuetudo in hac Diœcesi servata ponendi Calicem cum Patena in manibus cadaverum Sacerdotum, dum a domo sua deferuntur ad Ecclesiam, et in ea explentur exsequiæ ; vel talis consuetudo eliminanda sit ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Tolerandam esse, utpote antiquitati conformem. » (Decret. 23 Maji 1846, n. 2913, ad 9, antiq. 5050, ad 11.) Animadvertendum tamen est, Calicem et Patenam non posse sumi ex iis quibus

utuntur Sacerdotes pro Missæ Sacrificio celebrando. — Cum Calice in manibus sæpe figurantur Sacerdotes in monumentis memorialibus; exemplum sæculi XIII habetur in nostra Diœcesi, in Ecclesia parochiali Foresti. (Cfr. Reusens, *Eléments d'Archéologie chrétienne*, 1886, Tome II, pag. 270.)

Q. 274. *Quid observandum est pro ritu Sepulturæ, quando corpus defuncti, facta Absolutione, tunc non sepelitur ?*

R. Ritus Sepulturæ in præcedentibus descriptus observatur in omnibus Ecclesiis quibus proximum seu contiguum est Cœmeterium proprium, in quo defunctus, facta Absolutione, tunc, id est, statim seu immediate post Absolutionem sepelitur.

Sed occurrunt non rari casus a descripto diversi.

1° Supponi potest quod Cœmeterium sit ab Ecclesia separatum, et ad aliquam distantiam situm.

a) Si brevis est distantia, profecto eadem Processio, quæ instituta fuit pro delatione corporis ad Ecclesiam, potest pro Sepultura associare corpus ab Ecclesia ad Cœmeterium, eodem modo quasi si istud esset contiguum; et omnia jam fient sicut in præcedenti responso (Q. 273) describuntur. In via ad Cœmeterium poterit vel Antiphona *In paradisum* repeti, vel aliquis Psalmus ex Officio Defunctorum, ex. gr. *Miserere*, cantari.

b) Si longior est distantia, ut in civitatibus solet, tunc, quia clerus qui exsequiale Officium peregit, non associat corpus ad Cœmeterium, totus ritus Absolutionis, necnon Sepulturæ completur in ipsa Ecclesia ubi fiunt exsequiæ.

In hoc casu, in quibusdam Ecclesiis, peracta Absolutione, dum cantatur Antiphona *In paradisum*, defertur feretrum usque ad Ecclesiæ portam; ibi deponitur, et fiunt, ac recitantur aut cantantur ea quæ ad sepulchrum facienda,ac recitanda aut cantanda præscribuntur. Quo facto, clerus revertitur ad sacristiam, dicens preces præscriptas, et feretrum ultro ad Cœmeterium deportatur.

In aliis Ecclesiis omnia jam fiunt in medio Ecclesiæ, ubi depositum fuit pro funere corpus, et omnibus absolutis, clerus deducit feretrum usque ad portam Eccle-

siæ, deinde revertitur ad sacristiam. Utraque praxis potest observari ; altera tamen, juxta quam omnia peraguntur in medio Ecclesiæ, præferenda videtur, ratione boni ordinis in Ecclesia servandi ; si enim ad Ecclesiæ portam peragitur Sepulturæ ritus, timendum est ne tumultus exeuntium vel intrantium cæremoniam ibi turbet.

Animadvertendum est in hoc casu, quo clerus non associat funus, præscriptum Statutorum, quod omnino adesse debet aliquis Sacerdos, qui in Cœmeterio præscripta pro actu Sepulturæ peragat (cfr. QQ. 271, 272).

2° Supponi potest quod in una Ecclesia fiant exsequiæ defuncti, sed in alterius Ecclesiæ Cœmeterio, ex voluntate defuncti aut familiæ, sepeliatur corpus.

In hoc casu in illa Ecclesia, ubi fiunt exsequiæ, peragitur totum Officium ut in præcedenti supposito (1°, *b*) ; nempe uterque ritus Absolutionis et Sepulturæ, sicut in Rituali præscribitur, integer completur in hac Ecclesia.

In altera Ecclesia, in cujus Cœmeterio defunctus sepelietur, consuetudo apud nos generalis fert, ut corpus a clero hujus Ecclesiæ, ad brevem ab Ecclesia distantiam, recipiatur eodem modo, ac si e domo defuncti deferretur ad Ecclesiam (cfr. Q. 257) ; dein, ubi feretrum in medio Ecclesiæ depositum est, ritus Absolutionis,inde ab Oratione *Non intres*,et ritus Sepulturæ peraguntur, eodem modo sicut in præcedentibus (QQ. 270, 273) descripti fuerunt ; itaque totum Officium exsequiale, exceptis Defunctorum Officio ac Missa, repetitur.

3° Supponi potest quod, post exsequias in Ecclesia peractas, corpus debeat sepeliri in Cœmeterio non benedicto (cfr. Q. 271, II).

In hoc casu, in Ecclesia, ubi fiunt exsequiæ, peragitur totum Officium Absolutionis et Sepulturæ, ut in primo supposito (1°, *b*).

In Cœmeterio autem, juxta præscriptum Statutorum (cfr. Q. 271, II), pro defuncti Sepultura adesse debet Sacerdos, qui aut funus associavit, aut saltem ad Cœmeterium funus excipit ; hic præscriptum ordinem observat pro benedictione foveæ et pro defuncti Sepultu-

ra (cfr. Litteræ Pastorales Diœcesis Mechliniensis, Tom. XI, pag. 391-393); scilicet : « Constituto tempore, quo corpus defertur ad locum sepulturæ, Sacerdos, indutus superpelliceo et stola nigri coloris, una cum ministro, toga talari et superpelliceo induto, qui aquam benedictam cum aspersorio,et thuribulum cum navicula affert, ubi pervenerit ad sepulchrum, stat ad pedes corporis, et statim benedicit sepulchrum. » Pro reliquis cfr. Q. 273 (nn. 3 et sqq.).

4° Supponi potest quod post exsequias in Ecclesia peractas, corpus nequidem tunc ad locum Sepulturæ deferatur, sed relinquatur in medio Ecclesiæ, usque ad opportunum momentum deportationis ad Cœmeterium.

Ita jam fit, ex. gr., quando corpus statuta hora per viam ferream ad alium locum vehitur; quando, post exsequias in Ecclesia completas, ante iter ad Sepulturæ locum suscipiendum, familiares et amici itineri se parare debent; etc.

In hoc casu totus Absolutionis et Sepulturæ ritus fit et completur in Ecclesia, ut supra describitur in primo supposito (1°, *b*).

Nota. I. Post Orationem Absolutionis, ait Rituale, « corpus defertur ad sepulchrum, si tunc deferendum sit; et dum portatur, Clerici cantant Antiphonam : *In paradisum,etc.* » (Tit. VI,Cap. 3, n. 11.) Sed mox notat (n. 14), « quod si corpus tunc ad Sepulturam non deferatur, omisso Reponsorio : *In paradisum, etc.*,.... prosequatur Officium, ut infra : quod numquam omittitur; et intonet Antiphonam : *Ego sum.* »

In plerisque suppositis supra assignatis, deberet, juxta Ritualis notam, omitti cantus Antiphonæ seu Responsorii : *In paradisum, etc.*

Ubi usus invaluit, prædictum Responsorium, etiamsi cadaver ad sepulchrum non deferatur, ex. gr., ob sepulchreti distantiam, cum aliis precibus decantandi tempore Absolutionis, respondit S. Rituum Congregatio, usum « posse continuari, juxta consuetudinem aliarum Ecclesiarum. » (Decret. 26 Julii 1832, n. 2696, ad 1, antiq. 4694, ad 2.)

Itaque usus iste,qui apud nos semper exstitit,servari

potest, ne quacumque de causa hoc peculiari suffragio privetur defunctus.

Nota. II. In plerisque suppositis supra assignatis, jam bis notatur peragendus ritus Sepulturæ (unum excipitur 1°, *a*), imo et ritus Absolutionis (2°).

In Ecclesia ubi fiunt defuncti exsequiæ, delato ejus corpore ad Ecclesiam, certum est fieri debere Absolutionem (Q. 267) ; item ritum Sepulturæ debere immediate post Absolutionem peragi, si corpus in contiguo Ecclesiæ Cœmeterio tunc sepelitur (Q. 272).

Certum quoque est,ritum Absolutionis et Sepulturæ debere in hac Ecclesia peragi, etiam quando post Absolutionem corpus tunc ad Sepulturam non defertur; nam Rituale hoc expresse præscribit, ut in præcedentibus jam fuit notatum ; ad summum omitti tunc potest tantum Antiphona *In paradisum*, sed reliquum Officium « numquam omittitur ». (Vide textum Ritualis in præcedenti Nota I.)

Perperam igitur in Ecclesia ubi exsequiæ præsente corpore fiunt, officium Sepulturæ omitteretur, ratione officii quod postea in actu Sepulturæ peragetur.

Hoc posito,quæri potest,an in Cœmeterio distanti,ubi Sepultura actu fit, jure repetatur ritus Sepulturæ ; an in Ecclesia, ad quam corpus defertur ut sepeliatur in ejus Cœmeterio, jure repetantur ritus Sepulturæ, imo Absolutionis, quin etiam deportationis corporis, ut supra in secundo supposito dicitur ferre consuetudinem ; omnes enim isti ritus jam peracti fuerunt.

Varii auctores hanc consuetudinem servari posse dicunt. Mirum insuper videretur, et ædificationem minueret, imo offensionem concitaret, si corpus ad Cœmeterium deductum sine precibus tumularetur,aut (in secundo supposito) in Ecclesiam non primum inferretur. Addi debet, quod in Statutis Diœcesanis exstat præceptum (n. 387bis) peragendi omnino ritum Sepulturæ in actu Sepulturæ.

Q. 275. *An ritus Sepulturæ potest peragi post Missam exsequialem, absente corpore defuncti ?*

R. Non potest, absente corpore defuncti, post Missam exsequialem ritus Sepulturæ peragi. Et ideo, si

Missam exsequialem non licuit celebrare præsente corpore, quia corpus debuit sepeliri in tali die qua Missa prohibetur, ex. gr., in Triduo Sacro, aut in Festo magnæ solemnitatis, et fuit sepultum cum consuetis ritibus Absolutionis et Sepulturæ; in tali casu, quando postea die libera celebrabitur Missa exsequialis privilegiata absente corpore, non poterit post hanc Missam peragi ritus Sepulturæ,qui jam fuit peractus in actu Sepulturæ; et in casu fiet tantum Absolutio eo modo qui describitur in sequenti Capite II. (Cfr. Q. 266, Nota I.)

Attamen, si nullum Officium exsequiale potuerit peragi præsente corpore, eo quod defuncti corpus non licuit deferre ad Ecclesiam, ob vetitum civile, vel ob morbum contagiosum : in quibus casibus hodiedum pro Missa exsequiali concessa fuerunt eadem privilegia æque ac si corpus, vel insepultum, vel humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, foret physice præsens; tunc exsequiæ pro defuncto celebratæ absente corpore, profecto peragi poterunt (omisso, ut patet, ritu pro deportatione corporis ad Ecclesiam), eodem modo ac si corpus esset physice præsens; censetur enim præsens moraliter, et omnia jam observabuntur ut pro die obitus seu depositionis; et consequenter, sicut ritus Absolutionis, ita et ritus Sepulturæ post Missam adamussim peragetur sicut in Rituali præscribitur præsente defuncti corpore. (Cfr. Q. 266, Nota II.)

Q. 276. *Quid animadvertendum est, si defuncti exsequiæ fiunt sine Officio Defunctorum, et etiam sine Missa?*

R. Quando alicujus defuncti, ob aliquam causam, fiunt exsequiæ absque cantu Officii Defunctorum, aut etiam absque celebratione Missæ, nullæ ex aliis præscriptis precibus et suffragiis, nempe pro deportatione corporis ad Ecclesiam, pro Absolutione, et pro Sepultura, umquam omitti possunt, ut notat Rituale (Tit. VI, Cap. 3, n. 18). Itaque in eo casu corpus defertur ad Ecclesiam sub præscriptis ritibus; et statim ac cantatum fuerit Responsorium *Subvenite*, proceditur, item sub præscriptis ritibus ad Absolutionem; necnon ad defuncti Sepulturam.

Quando autem exsequiæ fiunt absque Missæ solemnis celebratione, notandum est, quod sicut pro deportatione corporis numquam licet (cfr. Q. 257, A, 2), ita etiam tunc pro ritu Absolutionis et Sepulturæ prohibetur adhibere ministerium Diaconi et Subdiaconi : isti enim adhibentur solummodo ratione Missæ, et in exsequiis, Missa finita, continuant suum ministerium in ritibus qui tunc Missæ exsequialis quasi appendix sunt, nempe in Absolutione et Sepultura; sed si appendix sola peragitur, ratio præsentiæ Diaconi et Subdiaconi deest. S. Rituum Congregationi propositum fuit sequens hac de re dubium : « An in ipsis exsequiis defunctorum extra Missam peractis adhiberi possunt Diaconus et Subdiaconus sacris indumentis parati? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 6 Februarii 1858, n. 3066, antiq. 5258, ad 2.) Itaque quæ cæremoniæ in ritu Absolutionis et Sepulturæ præscribuntur faciendæ a Diacono et Subdiacono (cfr. QQ. 270, 273), peraguntur in casu ab aliis ministris præsentibus superpelliceo indutis.

CAPUT II

DE OFFICIO FACIENDO PRO DEFUNCTIS, ABSENTE CORPORE

Q. 277. *Quænam sunt dies, in quibus pro defunctis fieri possunt Officia propria, præter exsequias stricte dictas? Quomodo dies istæ distinguuntur?*

R. I. In præcedenti Capite I expositum fuit Officium faciendum in exsequiis stricte dictis pro defuncto, præsente ejus corpore physice vel moraliter; et descriptus fuit Ordo exsequiarum in ordine ad defuncti sepulturam servandus.

Pia Mater Ecclesia, sollicita de salute filiorum suorum defunctorum, non solum eis subvenire nititur per Officium exsequiale in sepultura, sed etiam, ad eorum juvamen, simul et ad spirituale vivorum solatium, alia et plura quidem instituit et permittit Officia, ut defunctorum memoria sæpius post eorum sepulturam pie renovetur.

1° Ideo pro omnibus defunctis generatim instituit Officium faciendum in solemni annua Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum, die 2 Novembris.

2° Ideo pro particularibus defunctis permittit Officium faciendum in certis et determinatis diebus, quas voluit quidem privilegiis quibusdam gaudere, et quæ solemnes pro defunctis reputantur; quæ dies sunt :

a) Prima dies libera post alicujus defuncti sepulturam, quando, ob occurrens impedimentum, corpus debuit sepeliri absque Missa exsequiali, utpote in die sepulturæ prohibita.

b) Dies libera post acceptum nuntium alicujus fidelis in loco dissito defuncti.

c) Dies tertia, septima, et trigesima ab obitu vel a depositione alicujus defuncti.

d) Dies anniversaria defuncti, vel defunctorum, sive agatur de anniversariis stricte dictis, sive de anniversariis late sumptis.

3° Ideo tandem pro defunctis, sive pro uno, sive pro pluribus, sive pro omnibus, permittit Officium faciendum in certis diebus quæ privilegiis non gaudent, et pro defunctis non solemnes reputantur, quæ dies sunt illæ in quibus licet Missas dictas Quotidianas defunctorum celebrare, sive ex dispositione Rubricarum Missalis, sive ex Indultis, quæ a Sancta Sede aliquando conceduntur.

II. Ex responso jam patet, dies, in quibus pro defunctis Officium præscribitur aut permittitur, quæ enumerantur sub 1° et 2°, esse dies dictas privilegiatas, et solemnes pro defunctis reputari; ritus Officii quod in eis pro defunctis peragitur duplici respondet, seu censetur esse duplex; — dies vero sub 3° indicatas non esse privilegiatas, et haberi ut communes : ritus Officii quod in eis peragitur, etiamsi cum extrinseca solemnitate fiat, est simplex.

Ea quæ referuntur ad privilegia majora vel minora diversarum dierum, præsertim quoad impedimenta occurrentia, exponuntur in Tractatu de Rubricis Missalis, in Capite II Sectionis II; præsens materia trac-

tanda postulat ut explicetur, non quando liceat Officium, sed quomodo Officium in casu oporteat peragere.

Porro Officium faciendum in omnibus istis diebus peragitur absente corpore defuncti; et regulæ in casu observandæ traduntur in præsenti Capite II.

Q. 278. *Quot, et quibus partibus constat Officium pro defunctis absente corpore faciendum?*

R. Officium faciendum pro defunctis absente corpore, quo nomine intelliguntur preces dicendæ, et ritus observandi, constat tribus partibus, quæ sunt :

1° Officium Defunctorum, cantatum vel recitatum ;

2° Missa de *Requiem ;*

3° Absolutio.

Tres istæ partes non semper omnes, neque simul sunt peragendæ; sed una aut altera potest omitti; earum obligatio dependet vel a præscripto legis, vel a tenore fundationis, vel a mente ejus qui Officium petiit; et ita sæpius non dicitur Officium Defunctorum; aliquando etiam celebratur sola Missa de *Requiem* absque Absolutione.

Nota. Officium faciendum absente corpore aliquando vocatur *Exsequiæ*, quando refertur ad casum in præcedenti Quæstione ad I, 2° sub *a* indicatum; alias communiter non, vel rarius tantum hoc nomen huic Officio datur.

Q. 279. *An Officium Defunctorum dici debet? Quibus diebus dici potest? Quandonam est persolvendum?*

R. I. Officium Defunctorum in Commemoratione generali Omnium Fidelium defunctorum dici debet integrum ab omnibus qui Horas Canonicas persolvere debent. In non paucis ex nostris Ecclesiis parochialibus decantatur hoc Officium, integrum vel pro parte, et hoc quidem fit consueto pridie, post Officia solemnia Festi Omnium Sanctorum, ut fideles commodius interesse valeant.

Alias, nempe in casibus pro quibus in hoc Capite exponuntur regulæ servandæ, obligatio persolvendi Officium Defunctorum non existit, nisi eleemosynæ ad hoc fuerint erogatæ, ut dictum fuit pro exsequiis (cfr.

Q. 259) ; et tunc persolvitur vel integrum, vel pro parte, juxta voluntatem petentis, vel dispositionem testatoris.

Declaravit S. Rituum Congregatio, quod, si per aliquod testamentum fundatur Anniversarium cum Officio Defunctorum, nulla addita clausula expressa integri Officii, tunc intelligendum est, non totum Officium, id est, Vesperæ et tria Nocturna cum Laudibus, sed unum dumtaxat Nocturnum cum Laudibus, nempe Nocturnum conveniens diei in quam incidit Anniversarium. (Decret. 21 Julii 1855, n. 3032, antiq. 5212, ad 2.)

II. Officium Defunctorum dicendum iisdem diebus quibus simul Missa de *Requiem* celebranda est, persolvi potest iisdem diebus quibus Missa cantari potest ; si vero per impedimentum occurrentis Officii prohibetur aliqua die Missa de *Requiem*, et differenda est, simul differendum est Officium Defunctorum ad eamdem diem ad quam Missa differtur.

Si autem ex fundatione, aut ex pia voluntate petentium, solum persolvendum est Officium Defunctorum absque Missa de *Requiem*, cantari potest Officium etiam in diebus in quibus celebratur Festum duplex majus aut duplex minus, (Decret. 23 Maji 1846, n. 2915, ad 13, antiq. 5050, ad 15 ; et 7 Septembris 1850, n. 2981, ad 5, antiq. 5146, ad 6) ; prohibetur autem cantari in Festis duplicibus 1 et 2 classis, in Dominicis, infra Octavas privilegiatas, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, in Feriis privilegiatis.

Non potest Officium Defunctorum cantari coram SS. Sacramento exposito. (S. Rituum Congregatio, Decret. 27 Martii 1779, n. 2513, antiq. 4392.)

III. Rituale Romanum supponit quod Officium Defunctorum dicitur ante Missam (Tit. VI, Cap. 5, n. 1). Frequentius pridie persolvitur, unde vulgo vocatur **Vigiliæ** ; quod licet, etiamsi pridie Festum ex solemnioribus celebraretur, modo tunc fiat post expleta Festi officia ; in quibusdam Ecclesiis, pro Anniversariis Feria II celebrandis, Officium Defunctorum consueto cantatur Sabbato præcedente.

Q. 280. *Quomodo dicendum est Officium Defunctorum, extra casum exsequiarum in depositione defuncti?*

R. A) **Quoad ritum.** — 1. Officium Defunctorum est ritus duplicis in omnibus diebus quæ pro defunctis solemnes seu privilegiatæ sunt (cfr. Q. 277, I, 1° et 2°); itaque duplicantur iis diebus omnes ejus Antiphonæ, id est, integræ dicuntur ante et post Psalmos; idque observatur, sive integrum dicatur Officium, sive solum ejus pars, sive cantetur, sive recitetur. — Extra has dies privilegiatas, etiamsi cantetur integrum, est ritus simplicis, et Antiphonæ non duplicantur.

2. Si Matutinum integrum, trium scilicet Nocturnorum, non est persolvendum, tunc dicitur, etiam diebus privilegiatis,illud Nocturnum quod convenit, seu correspondet diei in quam incidit Officium dicendum, vel Missa de *Requiem* celebranda; nempe, dicitur 1 Nocturnum Feria II et Feria V, 2 Nocturnum Feria III et Feria VI, 3 Nocturnum Feria IV et Sabbato, sicut indicatur in Breviario Romano; quod si Nocturnum dicitur pridie, sumitur tamen illud quod correspondet diei in qua Missa celebratur; ex. gr. quando Anniversarium est celebrandum Sabbato, si pridie, Feria VI, jam persolvitur Officium Defunctorum, dicetur Nocturnum tertium conveniens Sabbato.

Nota. Juvat animadvertere, hanc regulam differre ab ea quæ data fuit pro exsequiis in depositione defuncti, in quibus semper dicendum est primum Nocturnum, si unum tantum dicitur. (Cfr. Q. 261, A, 3.)

3. Si Matutinum trium Nocturnorum dicitur, semper incipitur ab Invitatorio : *Regem, cui omnia vivunt, etc.;* si vero unum tantum dicitur Nocturnum, semper omittitur Invitatorium.

4. Si Matutinum trium Nocturnorum dicitur, seu novem Lectionum, ultimum seu nonum Responsorium semper erit : *Libera me Domine, de morte æterna, etc.;* si vero tertium Nocturnum solum dicitur, ultimum seu tertium Responsorium semper erit : *Libera me Domine, de viis inferni, etc.*

5. In fine Psalmorum semper dicitur in plurali : *Requiem... eis,.... luceat eis,* etiamsi pro uno tantum dicatur Officium. Item pro ℣. Versus ante primam Lectio-

nem in primo Nocturno, semper dicitur : *Erue Domine animas eorum.*

6. Psalmi *Lauda anima etc.*, in Vesperis, et *De profundis etc.*, in Laudibus, præscripti post *Pater noster*, ante Versus et Orationem, non dicuntur in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum ; sed in omnibus aliis casibus de quibus in præsenti Capite agitur, semper dicuntur, etiamsi Officium peragatur ritu duplici. (S. Rituum Congregatio, Decret. 10 Januarii 1896, n. 3877.)

7. Versus qui dicuntur in Vesperis et in Laudibus, post *Pater noster*, ante Orationem, dicuntur in singulari, si pro uno defuncto, in plurali, si pro pluribus defunctis Officium peragitur ; sed post Orationem dicitur semper in plurali : *Requiem... eis,.... luceat eis,* et *Requiescant in pace.*

8. Oratio seligitur, ex iis quæ in Rituali prostant, ea quæ convenit defuncto, vel defunctis, pro quo vel pro quibus Officium dicitur.

9. Si aliquando Matutinum, aut Nocturnum solum dicitur, aut separatur a Laudibus, post ultimum Responsorium dicuntur omnia sicut in fine Laudum.

10. Si immediate post Laudes sequitur Missa, aut proceditur ad Absolutionem, tunc, dicta Oratione Laudum, non adduntur Versus *Requiem æternam, etc., Requiescant in pace ;* quia hi Versus, qui inserviunt quasi ad ultimum vale defunctis, in finem precum reservandi sunt.

B) **Quoad cæremonias.** — Servantur ea omnia quæ supra (Q. 261, B) pro Officio in exsequiis depositionis defuncti præscripta fuerunt.

Q. 281. *Quid notandum est pro Missa de* **Requiem**, *quæ celebratur occasione Officii, extra exsequias pro defuncti depositione ?*

R. Ex quatuor Missis de *Requiem*, quæ prostant in Missali Romano, ea sumitur quæ convenit circumstantiæ, seu casui in quo Officium pro defuncto, vel pro defunctis, extra exsequias pro defuncti depositione peragitur. Animadvertendum vero omnino est, quod in hac Missa oportet servare regulas de numero, et qualitate Orationum, quæ exponuntur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani (QQ. 323-325).

Q. 282. *Ubi peragitur Absolutio quæ fit in Officio pro defunctis, extra exsequias pro defuncti depositione? Quot partibus constat hæc Absolutio?*

R. I. In præcedenti Capite I, Articulo IV, dictum fuit de Absolutione ad feretrum, præsente defuncti corpore, in ordine ad ejus Sepulturam factam.

Præsens Absolutio jam fit absente corpore, in Officio quod peragitur extra exsequias stricte dictas pro defuncti depositione factas.

Hæc Absolutio peragitur ad tumulum in Ecclesia occasione Officii erectum, qui figuram habet feretri, panno nigro undique dependente et fasciis in figura Crucis ornato cooperti; qui tumulus etiam vocatur castrum doloris, lectus, lectica, cœnotaphium; ab utraque parte ponuntur aliquot cerei accensi. In quibusdam Ecclesiis peragitur etiam hæc Absolutio super lodicem funeream, seu pannum nigrum, qui post Missam extenditur ante gradus Altaris pro Absolutione (cfr. Q. 288).

Plerumque tamen fit Absolutio ad tumulum, unde nomen ipsa habet (cfr. Q. 265).

Quoad dispositionem tumuli in Ecclesia, notandum est quod, ubi Absolutio ad tumulum fit pro defuncto Sacerdote, non observatur ea dispositio quæ pro Sacerdote præscripta fuit in ejus exsequiis, præsente physice vel moraliter corpore (cfr. Q. 258, 3°), nempe ut ponatur feretrum ita ut Sacerdotis caput sit a parte Altaris; etenim pro Absolutione ad tumulum semper, et pro quocumque Defuncto disponitur tumulus eo modo, ut pedes defuncti censeantur positi a parte Altaris, seu versus Altare.

II. Absolutio ad tumulum sequentibus constat partibus:

1. Responsorio: *Libera me Domine, de morte æterna, etc.*

2. Aspersione et thurificatione tumuli, interea dum dicitur *Pater noster.*

3. Versibus, et Oratione *Absolve, etc.*; vel alia Oratione, ex iis quæ pro variis defunctis describuntur.

4. Antiphona *Si iniquitates*, Psalmo *De profundis*, Versibus et Oratione pro Fidelibus defunctis.

Q. 283. *An Absolutio ad tumulum de præcepto fieri debet?*

R. Absolutio ad tumulum non de præcepto fieri debet, nisi in casu quo fiant pro aliquo defuncto exsequiæ absente corpore (cfr. Q. 277, I, 2°, a), uti præscribit Rituale Romanum (Tit. VI, Cap. 5, n. 1); pro aliis casibus lex non existit; etenim Rubrica Missalis Romani dicit : « Finita Missa, si facienda est Absolutio, » (cfr. Ritus, Tit. XIII, n. 4), qui loquendi modus non supponit obligationem; dein, speciatim pro Anniversariis declaravit S. Rituum Congregatio, quod « non ex obligatione, sed ad arbitrium facienda est Absolutio in Anniversariis mortuorum. » (Decret. 31 Julii 1665, n. 1322, ad 6, antiq. 2345, ad 7.) Obligatio tamen dari potest ex justitia, nempe ex fundatione, vel ex pia voluntate petentium, vel ex consuetudine.

Q. 284. *Quis debet et potest facere Absolutionem ad tumulum?*

R. Si Absolutio fit post Missam, ille solus qui celebravit Missam debet et potest facere Absolutionem; quia in casu Absolutio est veluti appendix Missæ; solus Episcopus loci Ordinarius, in loco ubi est Ordinarius, alium delegare potest pro Missæ celebratione, sibique reservare tantum Absolutionem. (Cfr. Q. 269, ubi dicta probantur pro Absolutione ad feretrum, quæ dicta valent etiam pro Absolutione ad tumulum.)

Q. 285. *Quibus diebus permittitur Absolutio ad tumulum?*

R. Absolutio ad tumulum permittitur omnibus diebus quibus permittitur Missa de *Requiem*, post quam facienda est; si autem aliquo die prohibetur Missa de *Requiem*, prohibetur etiam Absolutio quæ est ejus appendix.

Si autem ex fundatione aliqua, sola peragenda est Absolutio ad tumulum absque Missa; ex. gr., si testator voluit ut quotidie fiat pro defuncto Absolutio, in tali casu decantari et peragi potest Absolutio omnibus diebus; prohibetur tamen in Festis duplicibus 1 et 2

classis, in Dominicis, infra Octavas privilegiatas, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, in Feriis privilegiatis ; his diebus privatim facienda est.

Q. 286. *Post quas Missas permittitur Absolutio ad tumulum ?*

R. Absolutio post Missam peragi potest tantum post Missam de *Requiem*, cujus est aliquod accessorium ; numquam vero permittitur post Missam quæ non est de *Requiem*, etiam si applicata fuerit pro defunctis, et Absolutio immediate post fieret in paramentis nigris. Si igitur dies tertius, septimus, trigesimus aut anniversarius occurrit in die, in quo Missa de *Requiem* cantari non potest, sicuti tunc ipsa Missa de *Requiem* anticipanda vel differenda est, ita et Absolutio ad tumulum post Missam facienda. Plura S. Rituum Congregationis Decreta prohibent hujusmodi Absolutionem post Missam quæ non est de *Requiem ;* sufficiet unum referre, diei 20 Martii 1869 (n. 3201, ad 8, antiq. 5430, ad 10), quo ad dubium : « An fieri possit post Missam solemnem Absolutio ad tumulum, relicta ex dispositione fundatoris,.... in Festo S. Hieronymi, Doctoris, occurrente in die Dominica ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative, et serventur Decreta. »

Q. 287. *Describe ordinem servandum pro Absolutione ad tumulum.*

R. « Finita Missa, si facienda est Absolutio, Celebrans retrahit se ad cornu Epistolæ, ubi exuitur Casula, et deposito Manipulo, accipit Pluviale nigrum. Subdiaconus medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis, defert Crucem, sicut in Processionibus, præcedentibus duobus aliis Acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, alio cum vase aquæ benedictæ et aspersorio : sequitur Celebrans, facta prius Altari reverentia, et Diaconus a sinistris ejus. Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes tumuli, seu lecticæ mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria : Celebrans vero ex alia parte in capite loci inter Altare et tumulum, aliquantulum versus cornu Epistolæ, ita ut Crucem Subdiaconi respiciat : a sini-

stris ejus Diaconus, et prope eum alii duo Acolythi deferentes thuribulum, et vas aquæ benedictæ. Interim cantatur ℣. *Libera me, Domine*, et circa illius finem Celebrans ponit incensum in thuribulum, benedicens illud more solito, ministrante Diacono naviculam : et finito *Kyrie eleison*, incipit intelligibili voce : *Pater noster*, et secreto prosequendo reliqua, accipit aspersorium de manu Diaconi,et facta Altari reverentia, comitante eodem Diacono a dexteris, et tenente fimbriam anteriorem Pluvialis, circuiens tumulum, aspergit illum aqua benedicta, ter a parte dextera, et ter a sinistra. Cum transit ante Crucem, profunde inclinat, Diaconus vero genuflectit : postea de manu ejusdem Diaconi accipit thuribulum, et eodem modo quo asperserat, incensat. Et rediens ad pristinum locum, Diacono tenente librum, junctis manibus dicit : ℣. *Et ne nos etc.* » (Ritus celebrandi Missam, Tit. XIII, n. 4.)

Ex hac norma Absolutionis ad tumulum, quam refert Rubrica Missalis Romani, patet eam Absolutionem eodem ferme modo fieri quam Absolutionem ad feretrum; quare, pro ulteriori expositione plerarumque cæremoniarum, remittimus ad ea quæ indicantur ad Quæstionem 270; hic tantum notantes quæ peculiaria sunt Absolutioni ad tumulum.

1, 2, 3, 4. Omnia observantur ut Q. 270.

Pacem habeamus cum supra citata Rubrica Missalis, ubi pro Absolutione ad tumulum dicit Subdiaconum se sistere **ad pedes tumuli**, Celebrantem vero **in capite loci**; quam dispositionem eamdem esse notamus quam illam Ritualis, describentis dispositionem ad feretrum, ubi præscribit Subdiacono ut se sistat **ad caput defuncti**, et Celebranti **ad pedes defuncti**. In tumulo non est quærere caput aut pedes defuncti, sicut in feretro, sed tantum objectum, seu locum ; objecti vero in Ecclesia positi, seu loci pars superior, seu anterior, seu caput hic censetur ea quæ est a parte Altaris ; pars inferior, seu posterior, seu pedes censetur ea quæ opposita est,et a parte januæ Ecclesiæ ; ita de tumulo dicendum est ; et si in feretro laici præter defuncti corpus locum, seu objectum consideres, dicere licebit quod in feretro pedes defuncti sunt ad caput loci.

5. Quæ in Questione 270, ad hunc numerum dicuntur pro supposito quod Officium fiat pro defuncto Sacerdote, hic in Absolutione ad tumulum omnino negliguntur ; dictum enim jam fuit (cfr. Q. 282, 1) quod, absente corpore, quoad dispositionem tumuli nulla habenda est distinctio Sacerdotem inter et laicum, ergo etiam nulla observabitur distinctio pro dispositione Celebrantis et ministrorum ad tumulum ; et in omni casu ac semper pro præsenti Absolutione Subdiaconus cum Cruce stat inter tumulum et portam Ecclesiæ, Celebrans vero inter tumulum et Altare.

6. Cfr. hic numerus ad Q. 270.

7. Omittuntur hic dicta ad hunc numerum, cum Oratio *Non intres etc.* non dicatur pro Absolutione ad tumulum, nisi in casu quinque Absolutionum (cfr. Q. 268, Nota I), qui casus hic non supponitur.

8, 9, 10, 11. Omnia observantur ut Q. 270.

12. Post incensationem, ad locum suum reversus, Celebrans reddit thuribulum Diacono , et occupat eumdem locum quam in principio Absolutionis, et stat manibus junctis. Diaconus reddit thuribulum ministro, et mox accipit librum, et stans ante Celebrantem librum ambabus manibus sustinet apertum, dum Celebrans dicit Versiculos et Orationem, ac Versiculos qui Orationem sequuntur.

13. Celebrans, manibus junctis stans, cantat Versiculos : *Et ne nos inducas etc ; A porta inferi ; Requiescat in pace* (vel *Requiescant in pace,* si pro pluribus defunctis fit officium) ; *Domine, exaudi etc., Dominus vobiscum.*

Orationem cantat Celebrans manibus junctis, tono feriali, et semper cum brevi conclusione. Dicitur Oratio *Absolve, etc.* Quod si Officium fuerit pro pluribus defunctis, Oratio dicitur in plurali numero, pro muliere dicitur in genere feminino ; pro Sacerdote, vel Episcopo exprimitur nomen dignitatis.

Potest etiam in hac Absolutione ad tumulum dici Oratio quæ dicta fuit in Missa, vel alia conveniens ; in recentioribus editionibus Missarum pro Defunctis describitur ritus Absolutionis , et post ritum adduntur quædam Orationes pro varia temporum opportunitate dicendæ, ex quibus igitur Celebrans seliget eam quæ

conveniet dignitati defuncti, vel numero defunctorum. Pro die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum assignatur in ultimis editionibus sola Oratio *Fidelium etc.*, et non alia.

14. Post Orationem, Diaconus retinens librum apertum, recedit aliquantulum versus sinistram Celebrantis ; et Celebrans, cum dicit Versum *Requiem æternam dona ei, Domine* (vel *eis*, si pro pluribus defunctis fit Officium), elevat dexteram, et facit Crucis signum super tumulum. Dein Diaconus stat iterum ante Celebrantem.

15. Cantores cantant Versum *Requiescat in pace* (vel *Requiescant*, si pro pluribus fit Officium) ; Chorus respondet : *Amen.*

16. Celebrans mox addit, eodem tono quo alii Versus dicti fuerunt, Versum : *Anima ejus* (vel *Animæ eorum*, si pro pluribus fit Officium), *et animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace.* Chorus respondet : *Amen.*

Notat Missalis Rubrica ad hunc locum, quod hic Versus *Anima etc.* omittitur in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum, ex S. Rituum Congregationis Decretis, 2 Decembris 1684 (n. 1743, ad 7, antiq. 3073, ad 11), et 28 Julii 1832 (n. 2694, antiq. 4692).

17. Dictis a Celebrante Versibus post Orationem, Diaconus mox reddit librum ministro, et accedit ad sinistram Celebrantis ; tunc Processio discedit ad sacristiam, quæ supponitur a parte Epistolæ ; ideo Subdiaconus portans Crucem, inter acolythos cum candelabris, de pede tumuli, ubi stetit, accedit versus locum quem occupat Celebrans a parte Epistolæ, et absque ulla reverentia Altari lente procedit ad sacristiam ; Celebrans vero, et Diaconus a sinistris Celebrantis, ac alii ministri inferiores qui adsunt, in loco quem occupant convertunt se ad Altare ; Celebrans caput profunde inclinat (si Tabernaculum SS. Sacramenti habetur in Altari, genu dextrum flectit) ; Diaconus ad sinistram Celebrantis in omni casu genu dextrum flectit ; item alii ministri inferiores ; Diaconus tradit biretum Celebranti, accipit suum, et ambo caput bireto cooperiunt ;

Diaconus tenet fimbriam pluvialis Celebrantis ; et omnes sequuntur Subdiaconum cum Cruce, et procedunt ad sacristiam.

Si sacristia est a parte Evangelii, Subdiaconus a pede tumuli procedit per partem Evangelii ad sacristiam ; Celebrans, Diaconus et alii ministri faciunt in casu reverentiam ut supra, cum transeunt ante Altaris medium.

18. Dum omnes post reverentiam Altari factam revertuntur,Cruce præcedente, ad sacristiam, Celebrans voce submissa sed intelligibili dicit verba *Si iniquitates*, et mox incipit et alternatim cum aliis ipsum comitantibus recitat preces ultimas ad suffragium omnium fidelium defunctorum, nempe Psalmum *De profundis etc.*, *Kyrie eleison*... *Pater noster*... Versus, Orationem *Fidelium, etc.;* omnino sicut præscribitur faciendum post Officium Sepulturæ in exsequiis, dum Clerus revertitur ad sacristiam. (Cfr. Q. 273, nn. 8, 9.)

Notat Missalis Rubrica ad hunc locum, quod istæ preces omittuntur in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum, ex S. Rituum Congregationis Decretis supra ad n. 16 citatis.

Nota. Quæ hic præscribuntur n. 16 de Versu *Anima ejus, etc.*, et n. 18 de precibus ad suffragium omnium fidelium defunctorum, præscripta vidimus in exsequiis, post officium Sepulturæ defuncti (cfr. Q. 273, nn. 8. 9).

In recentioribus editionibus Missarum pro Defunctis (post editionem typicam anni 1884), hæc præscribuntur dicenda etiam post Absolutionem ad tumulum ; motivum profecto idem est quod notatum fuit Q. 273 : Ecclesia nempe eas preces in fine Officii ad tumulum præscribit, ad suffragium omnium fidelium defunctorum, ne videatur, dum pro uno aut pro pluribus determinatis tantum fidelibus orat, aliorum omnium oblivisci ; unde jam intelligitur, quare hæc omittenda notantur (nn. 16, 18) in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum, quia integrum Officium hac die jam fit pro omnibus fidelibus defunctis ; et si hac die omittuntur, item omittentur ubicumque Officia per annum fiunt pro omnibus fidelibus defunctis generatim.

Missalis dispositionem confirmat sequens Decretum

S. Rituum Congregationis, 11 Martii 1899 (n. 4014) : Ad dubium : « Utrum in reditu ad sacristiam, Absolutione ad tumulum expleta, in Officiis et Missis cum cantu pro uno vel pluribus defunctis, die septima, trigesima, et anniversaria, aut etiam extra has dies celebratis, dici debeat : *Anima ejus* (vel *Animæ eorum*) *et animæ omnium Fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace ;* et Antiphona *Si iniquitates*, cum Psalmo *De profundis*, et Oratione *Fidelium Deus ?* » S. Congregatio respondendum censuit : « Affirmative, juxta Missale Romanum, et Decreta in una *Brixien.*, ad 2, diei 28 Julii 1832, et in altera *Florentina*, diei 31 Augusti 1872. »

Tenor hujus Decreti semel mutatus fuit (cfr. Collationes Brugenses, IV, 1899, pag. 364, et 484), et iterum (sicuti supra describitur). — S. Congregatio invocat Rubricam Missalis : intellige eam quæ recentius adjuncta fuit ad calcem editionis propriæ Missarum pro Defunctis ; nam neque Missalis Rubricæ (Ritus, XIII, 4), neque Ritualis (Tit. VI, Cap. 5, n. 4), eam additionem habent. — Nemo ex præsenti Decreto concludat Versum *Anima ejus etc.* dicendum esse « in reditu ad Sacristiam » ; nam Rubrica Missalis invocata evidenter dicit hunc Versum esse dicendum ante reditum ad Sacristiam : « Quibus expeditis », nempe dicto hoc Versu, « omnes in Sacristiam.... revertentes, etc. »; Decretum igitur quid sit dicendum, non autem præcise quo momento, præscribere intendit.

Q. 288. *Describe ordinem servandum pro Absolutione ad Altare super pannum nigrum extensum.*

R. Uti dictum fuit Q. 282, Absolutio quæ fit in Officio pro defunctis, absente corpore, in quibusdam Ecclesiis peragitur, non ad tumulum in Ecclesia erectum, sed super lodicem funeream, seu pannum nigrum, qui post Missam extenditur ante gradus Altaris. Hujusmodi Absolutionem proponit Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. XI, nn. 10, 11, 12, et Cap. XXXVI, nn. 2-5).

Pro hac Absolutione sequens ordo servatur :

1. Finita Missa, Celebrans, Diaconus et Subdiaconus, facta in medio Altaris debita reverentia (cfr. Q. 270, 1), descendunt a parte Epistolæ ad scamnum ;

Celebrans deponit planetam et manipulum, et accipit pluviale nigri coloris, Ministri deponunt manipulum. Celebrans et Ministri ascendunt iterum ad Altare a latere, et subsistunt in cornu Epistolæ, ubi in angulo Altaris depositum est Missale super legile. Diaconus stat a dextris, Subdiaconus a sinistris Celebrantis, in suppedaneo. Omnes tenent manus ante pectus junctas.

2. Interea acolythi, vel alii ministri ante gradus Altaris, in medio, super pavimentum explicant pannum nigrum.

3. Cantores et Chorus sedent, et cantant Responsorium : *Libera.* Cum repetitur ℣. *Libera,* thuriferarius accedit cum navicula et thuribulo ad Altare, a parte Epistolæ, et stat ad dexteram Celebrantis ; Diaconus aliquantulum secedens a thuriferario accipit naviculam, et sine osculis incensum præsentat Celebranti, dicens : *Benedicite Pater Reverende.* Celebrans ad thuriferarium conversus per dexteram suam, imponit incensum cum formula : *Ab illo benedicaris, etc.*, et benedicit. Subdiaconus accedit ad dexteram Celebrantis, et attollit fimbriam pluvialis. Imposito et benedicto incenso, Celebrans et Ministri sacri convertuntur ad Altare, stantes ut prius ; discedit ad planum thuriferarius, et mox cum alio ministro sustinente vas aquæ benedictæ, transit ad partem Evangelii ; genuflectunt cum transeunt ante medium Altaris. Caveant pedibus premere pannum.

4. Post tertium *Kyrie eleison,* Chorus assurgit ; Celebrans remanens ad Missale conversus cantat : *Pater noster,* quod continuatur secreto. Interea Celebrans accedit ad medium Altaris ; Diaconus prompte transit ad Celebrantis sinistram a parte Evangelii; Subdiaconus, postquam paululum recessit ut Celebrans et Diaconus possint transire, accedit ad Celebrantis dexteram. Celebrans caput inclinat Cruci Altaris, Diaconus et Subdiaconus itidem caput inclinant. Accedunt prope Diaconum minister aquæ benedictæ et thuriferarius. Celebrans et Diaconus convertunt se per dexteram suam versus pannum ante Altaris gradus extensum, Subdiaconus vero per sinistram suam; ita ut hoc momento Diaconus stet ad dexteram Celebrantis, Subdiaconus ad ejus sinistram ; remanent in loco suo in Alta-

ris suppedaneo. Tunc Diaconus accipit a ministro aspersorium, illudque sine osculis tradit Celebranti, qui ter aspergit pannum, in medio, a sinistris et a dextris suis, Diacono elevante pluvialis fimbriam. Celebrans reddit Diacono aspersorium, hic ministro restituit, et acceptum a thuriferario thuribulum tradit Celebranti, qui ter pannum thurificat eodem modo quo aspersit, et thuribulum Diacono reddit, qui thuriferario illud restituit.

5. Thuriferarius et minister aquæ benedictæ descendunt ad planum a parte Evangelii, et redeunt ad credentiam; genuflectunt cum ante Altaris medium transeunt. Celebrans et Diaconus per sinistram suam, Subdiaconus vero per dexteram suam convertunt se ad Altare : Celebrans caput inclinat Cruci Altaris, Diaconus et Subdiaconus itidem caput inclinant. Celebrans mox accedit ad cornu Epistolæ et stat conversus ad Missale; Diaconus prompte accedit de sinistra Celebrantis e medio ad ejus dexteram ante Missale; Subdiaconus paulum recedit ut Celebrans et Diaconus possint transire, et accedit tunc ad Celebrantis sinistram ante Missale, ita ut omnes ante Missale stent sicut in principio cæremoniæ. Celebrans tunc manibus junctis ex Missali cantat versiculos, et Orationem : *Absolve*, aut aliam, ut supra pro Absolutione ad tumulum dictum fuit. Post Orationem, Celebrans manens ad Altare conversus, sine signo Crucis cantat ℣. *Requiem;* cantores cantant ℣. *Requiescat in pace* (vel *Requiescant in pace*, si pro pluribus fit Officium). Celebrans mox addit, eodem tono quo alii Versus dicti fuerunt, Versum : *Anima ejus*, (vel *Animæ eorum*, si pro pluribus fit Officium) *et animæ etc.* Chorus respondet : *Amen.*

Interim acolythi, vel alii ministri auferunt pannum nigrum, et deponunt ad credentiam.

6. Finita Absolutione, Celebrans, Diaconus et Subdiaconus junctis manibus accedunt ad medium Altaris, et caput inclinant Cruci; Celebrans et Subdiaconus se convertunt per dexteram suam, Diaconus vero per sinistram, et descendunt ante Altaris gradus; conversi ad Altare, faciunt debitam Altari reverentiam, scilicet, Celebrans caput inclinat, aut, si in Altari habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, genu dextrum flectit in

plano, Diaconus et Subdiaconus itidem caput inclinant, aut genu dextrum flectunt. Diaconus tradit Celebranti biretum ; Celebrans caput cooperit ; Diaconus et Subdiaconus item caput bireto cooperiunt ; et omnes procedunt revertentes ad sacristiam ; Celebrans habet manus junctas ante pectus ; Diaconus ad dexteram Celebrantis tenet sinistra fimbriam pluvialis Celebrantis, Subdiaconus ad sinistram Celebrantis fimbriam dextera tenet.

7. Dum omnes revertuntur ad sacristiam, statim post reverentiam Altari factam, Celebrans voce submissa sed intelligibili dicit verba *Si iniquitates*, et mox incipit et alternatim cum aliis ipsum comitantibus dicit preces ultimas ad suffragium omnium fidelium defunctorum, nempe Psalmum *De profundis etc.*, *Kyrie eleison... Pater noster...* Versus, Orationem *Fidelium, etc.* ; omnino sicut præscriptum fuit post Absolutionem ad tumulum (cfr. Q. 287, 18) ; attamen, ut ibi dictum fuit, hæ preces, sicut et supra Versus *Anima ejus etc.* (n. 5), omittuntur in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum.

Nota. In quibusdam recentioribus editionibus Missarum pro Defunctis, inde ab anno 1884, etiam in authenticis seu typicis, descriptus reperitur aliquis singularis ritus Absolutionis **super tumulum defuncti** : post Orationem *Placeat*, Sacerdos dicit super tumulum Orationem aliquam *Adesto etc.*, et facta hac Absolutione, dicit Evangelium S. Joannis : *In principio, etc.*

Hæc Absolutio videtur antiquissima, et in quibusdam Ecclesiis in usu fuit antequam Evangelii S. Joannis initium de præcepto in fine Missæ debebat dici, quod præceptum pro omnibus refertur ad tempora S. Pii V, occasione reformationis Missalis Romani (cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, QQ.201, 202) ; Oratio *Adesto etc.* reperitur in antiquo Sacerdotali Romano sæculi XVI. Hic ritus tamen Absolutionis, qualis in decursu sæculorum habitus fuit, finita quidem hoc tempore Missa, sed ante Evangelium S. Joannis quod de præcepto non dicebatur, in reformatione Missalis Romani, a S. Pio V anno 1570 facta, locum in Missali non amplius habuit.

Quo consilio autem, aut ob quod motivum hæc Absolutio iterum circa annum 1884 in typicis editionibus Missarum pro defunctis introducta fuit, vix explicabile est; forsan, ne periret omnino memoria hujus ritus, hujusve Orationis, hujusve vestigii antiquitatis.

Interea Liturgici auctores non conveniunt de liceitate hujus ritus; aliis opinantibus contra disciplinam vigentem omnino esse, inserere hujusmodi Absolutionem in Missa nondum finita; aliis sentientibus Ecclesiam id posse statuere, et de facto jam statuisse, quemadmodum statuit, ex. gr., infra Missam pro sponso et sponsa plures speciales Orationes dicendas, quæ non magis ad Missæ ritum pertinent quam hæc præsens Absolutio. Res in incerto et non definita manet.

Quidquid sit, abstinere ab hoc singulari Absolutionis ritu, sapiens consilium erit, donec S. Rituum Congregatio authenticam hac super re declarationem dederit.

CAPUT III

DE EXSEQUIIS PARVULORUM

Q. 289. *Quinam intelliguntur parvuli, in quorum exsequiis specialis ritus observari debet?*

R. Parvuli, in quorum exsequiis specialis ritus debet observari, intelliguntur infantes, vel pueri, qui baptizati fuerunt, et defuncti sunt ante usum rationis, seu ante annos discretionis; de quibus videlicet jure merito, ratione ætatis, vitæ innocentia præsumitur, et qui nec doli, nec Sacramentorum suscipiendorum sunt capaces. Tales æstimantur, ut plurimum, qui septimum ætatis annum non compleverunt; nisi malitia suppleat ætatem, seu præsumi possit eos fuisse peccati capaces. — Sub nomine parvulorum etiam comprehenduntur perpetuo amentes septennio majores.

Pro iis vero, qui usus rationis capaces fuerunt, seu qui annos discretionis transegerunt, etiamsi indubia foret eorum baptismalis innocentia incolumis servata, hic ritus specialis adhiberi nequit in eorum exsequiis; pro his omnino observandus est ritus exsequiarum pro adultis præscriptus.

Nota. Parvuli non baptizati, honeste, sed sine ullis precibus aut ecclesiasticis ritibus sepeliri debent.

Q. 290. *In quo præcipue differt ritus exsequiarum pro parvulis a ritu qui pro adultis adhibetur? Quæ est ritus exsequiarum pro parvulis ratio?*

R. I. In eo præcipue differunt isti ritus, quod, dum in exsequiis adultorum omnia mœrorem et luctum significant, omnesque preces et cæremoniæ rationem habent suffragii, ut defuncti valeant pœnæ reatum pro admissis culpis expiare; — e contrario in exsequiis parvulorum omnia meram lætitiam spirant, omnesque cæremoniæ venerationis, ac preces gratiarum actionis rationem habent, quia parvuli expertes culpæ suffragiis, seu nostrarum precum auxilio non indigent, qui cœlestis gloriæ intuitu meritorum Christi participes jam sunt.

Etenim ibi nullum datur luctus tristitiæve indicium, sive in feretro, sive in paramentis, sive in lugubri campanarum sonitu; in illis locum non habent Psalmi aliæve preces Officium Defunctorum constituentes, non dicitur Missa exsequialis de *Requiem*, nulla fit absolutio, nihil de iis quæ suffragia pro defunctis nuncupantur; — sed in feretro ornatus est festivus, in paramentis color albus, innocentiæ signa; campanarum si pulsantur, sonus festivus; Psalmi dicuntur qui lætitiam, Deique laudem significant, qui terminantur, non versu *Requiem æternam etc.*, sed versu *Gloria Patri, etc.;* Orationes dicuntur, non ad eorum suffragium, sed ad nostrum adhuc in terris viventium juvamen, ut ad eamdem ac ipsi æternam vitam et gloriam nos pervenire valeamus.

II. Ideo Rituale, antiquæ Ecclesiæ disciplinæ inhærens, peculiares festivos ritus pro parvulis sepeliendis proponit: — 1° ut pietate speciali et veneratione humentur hæc corpora, quæ templa fuere Spiritus Sancti, et baptismalis innocentiæ reliquiæ sunt; — 2° ut ita nos fidem nostram profiteamur resurrectionis futuræ corporum; — 3° ut Deo gratias agamus, qui ad æternam vitam illico dignatus est evocare animas infantulorum, quorum mors natalis est vitæ.

Hæc dicta sufficiant, ut queant Sacerdotes considerare, et reputare, qua æstimatione et veneratione istos ritus peragere conveniat.

Q. 291. *Quomodo honorandum est in sepultura parvuli corpusculum ?*

R. 1° Corpus induitur vestibus albis, juxta ætatem, « et imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis et odoriferis, in signum integritatis carnis et virginitatis. »

2° Feretro imponitur pannus albi coloris, et corona de floribus. (Statuta Diœc. n. 355.)

3° « In primis admonendi sunt Parochi, ut juxta vetustam et laudabilem Ecclesiarum consuetudinem,parvulorum corpuscula non sepeliantur in communibus et promiscuis Cœmeteriorum et Ecclesiarum sepulturis ; sed ut pro illis in parochialibus Ecclesiis, aut illarum Cœmeteriis, quatenus commode fieri potest, speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant, seu fieri curent, in quibus non sepeliantur, nisi qui baptizati fuerint infantes, vel pueri, qui ante annos discretionis obierunt. »

Q. 292. *Expone ritus servandos in exsequiis parvulorum.*

R. Prænotato quod exsequiæ parvulorum fieri possunt iisdem diebus, et temporibus ac exsequiæ adultorum, de quibus expositæ fuerunt regulæ in Capite I hujus Tituli; ritus in exsequiis parvulorum servantur sequentes :

A) **In deportatione corporis ad Ecclesiam.** — 1. « In funere parvulorum ut plurimum non pulsantur campanæ ; quod si pulsentur, non sono lugubri, sed potius festivo pulsari debent. »

2. Præcedit minister gestans aspersorium; sequitur alius, qui defert Crucem sine hasta ; eum comitantur acolythi cum candelabris et candelis accensis ; sequitur Clerus, et ultimo Parochus, superpelliceo et stola albi coloris indutus ; induere potest etiam pluviale album. — Color albus semper adhibetur, etiam in Triduo sacro Majoris Hebdomadæ, in signum virginei

candoris parvulorum, et in lætitiæ harum exsequiarum argumentum.

3. Cum ad domum defuncti pervenerint, Parochus aspergit corpus, seu feretrum, in medio, a sinistris et a dextris suis; deinde recitat Antiphonæ verba: *Sit nomen Domini*, et alternatim cum Clero Psalmum: *Laudate pueri, etc.*, in cujus fine dicitur: *Gloria Patri, etc.*, et repetitur Antiphona integra.

Quoad versum *Gloria Patri, etc.*, declaravit S. Rituum Congregatio, quod in Psalmis qui dicuntur in exsequiis parvulorum in Triduo sacro Majoris Hebdomadæ, hic versus potest omitti, nempe pro conformitate temporis. (Decret. 16 Januarii 1677, n. 1589, ad 4, antiq. 2812, ad 6.)

4. Effertur e domo feretrum; et eodem quo venerunt ordine, omnes procedunt ante feretrum ad Ecclesiam, recitantes Psalmos: *Beati immaculati, etc.*, et alios indicatos. Circum feretrum procedunt qui candelas accensas deferunt. Ad ingressum Ecclesiæ cessat recitatio Psalmi, et dicitur *Gloria Patri, etc.*

5. In Ecclesia omnes consistunt sequenti modo: feretrum deponitur in medio Ecclesiæ; qui Crucem portat, et acolythi locum sumunt ad caput cadaveris, a parte januæ Ecclesiæ; Parochus consistit ad pedes, a parte Altaris, paulum tamen e medio ne tergum vertat Altari; Clerus stat ab utroque latere.

Nota. I. Si feretrum ad Ecclesiam defertur sine processione ad domum defuncti, omittuntur quæ supra describuntur; feretro deposito in Ecclesia, accedit Clerus, et omnes consistunt modo supra n. 5 descripto; Officium exsequiale tunc incipit a parte quæ in Ecclesia observanda proponitur infra.

Nota. II. Supra ad n. 2 notatur quod minister in his exsequiis Crucem defert sine hasta; hic Crucem deferendi modus non caret mysterio: Crux processionalis Ecclesiam significat in hoc mundo peregrinantem, ac militantem sub Christi sui Ducis vexillo; idcirco sine hasta, seu brevis defertur in exsequiis parvulorum, quia isti per brevissimum tempus tantum militiam in hac vita sustinuerunt, et peregrinationem in hoc mundo confecerunt.

B) **In Ecclesia.** — Deposito feretro, et non prius, unus cantorum intonat Antiphonam : *Hic accipiet*, et Clerus alternatim cantat Psalmum : *Domini est terra, etc.*, et repetitur Antiphona integra. Dicto deinde : *Kyrie eleison*, Parochus cantat : *Pater noster*, quod omnes prosequuntur secreto. Interim Parochus, accepto aspersorio, de loco ubi stat, aspergit cadaver, in medio, a sinistris et a dextris suis, quin circumeat feretrum. Reddito aspersorio, Parochus cantat tono feriali versiculos, et Orationem : *Omnipotens et mitissime Deus, etc.*, e libro quem sustinet minister.

C) **In deportatione ad Cœmeterium.** — 1. Ordinatur processio ad Cœmeterium, eodem modo quam supra. Interea cantatur Antiphona : *Juvenes*, et Psalmus : *Laudate Dominum, etc.*, post quem repetitur Antiphona integra.

2. Ad sepulchrum omnes eodem modo consistunt quam in Ecclesia. Omnibus dispositis, et posito feretro juxta sepulchrum, Parochus tono feriali cantat : *Kyrie eleison, Pater noster*, quod omnes prosequuntur secreto; sed interim hic non aspergitur feretrum; dein Parochus cantat versiculos, et Orationem : *Omnipotens, sempiterne etc.*, e libro quem sustinet minister.

3. Accedens thuriferarius, exhibet Parocho thuribulum, et alius minister incensum ; Parochus cum consueta formula : *Ab illo benedicaris etc.*, incensum imponit, illudque benedicit.

4. Parochus, accepto tunc aspersorio, aspergit primo cadaver, secundo sepulchrum, utrumque nempe in medio, a sinistris et a dextris suis ; deinde, restituto aspersorio, et accepto thuribulo, eodem modo thurificat primo cadaver, secundo sepulchrum.

5. Si cadaver non deportatur ad Cœmeterium, omnia hæc fiunt in Ecclesia, omissis tantum aspersione et thurificatione sepulchri.

Nota. I. Animadvertunt auctores, quod in hoc ritu de exsequiis parvulorum nihil expresse dicitur de benedictione sepulchri, pro casu quod hoc non sit benedictum ; qui casus supponitur in ritu pro sepultura adultorum, ubi Rituale præscribit tunc benedictionem sepulchri esse faciendam, nempe per Orationem specia-

lem, et per aspersionem ac incensationem tum corporis, tum sepulchri. (Rituale, Tit. VI, Cap. 3, nn. 12, 13; cfr. QQ. 271, et 273, 3.)

Oratio præscripta pro benedictione sepulchri adultorum videtur non convenire in exsequiis parvulorum: in ea enim rogamus pro animabus ab omnibus vinculis delictorum absolvendis; quod non verificatur in parvulis sepeliendis; ast non idem est dicendum de aspersione, et thurificatione, quæ optime conveniunt etiam in exsequiis parvulorum.

Unde putant quidam auctores, hanc aspersionem et incensationem, in ritu sepulturæ parvulorum ad sepulchrum præscriptam, tum pro corpore, tum pro sepulchro (supra nn. 3 et 4), habere rationem benedictionis sepulchri, sicut in sepultura adultorum; unde sequeretur, hanc cæremoniam posse omitti, si corpus parvuli sepelitur in cœmeterio rite benedicto. Attamen, nullus auctor omitti posse censet aspersionem et incensationem corporis parvuli, etiam si cœmeterium sit benedictum; in quo casu omitti posse dicunt solam sepulchri aspersionem et benedictionem, sicuti hæ omittuntur in Ecclesia, si corpus non est illico deportandum ad cœmeterium (supra n. 5).

Alii auctores tacent de supposito benedictionis cœmeterii, et præscribunt, absque ulla exceptione, in casu sepulturæ, aspergendum et incensandum esse tum feretrum, tum sepulchrum, ut supra præscriptum fuit.

Propositum fuit hac de re S. Rituum Congregationi sequens dubium: « Quid de benedictione sepulchri parvulorum? An in omni casu omittenda sit, sive parvuli sepeliantur in cœmeterio jam antea benedicto, sive sepeliantur in cœmeterio non prius benedicto; et si omitti non debet, quomodo talis benedictio facienda erit? » S. Congregatio rescribere rata est: « Satis esse servare quæ a Rituali Romano præscribuntur. » (Decret. 4 Septembris 1880, n. 3524, antiq. 5818, ad 2.)

Nota. II. Quando ritus pro exsequiis parvulorum peragendus est super plura parvulorum corpora simul deposita in Ecclesia, et simul sepelienda, omnia dicuntur sicut in Rituali pro uno præscribuntur; solummodo in duabus Orationibus dicuntur in plurali ea quæ

hic in singulari pro uno parvulo proponuntur. In cœmeterio autem, si forte diversa in diversis alicujus cœmeterii locis præparata haberentur sepulchra, tunc, depositis singulis feretris ad propria sepulchra, Parochus ad unum ex ipsis tantum dicit preces et Orationem (supra n. 2); sed postquam ibi aspersit, et incensavit feretrum et sepulchrum (nn. 3, 4), accedit mox ad singula ex reliquis paratis sepulchris, et successive pro singulo feretro et sepulchro repetit aspersionem et incensationem. Ita fieri poterit, dummodo tamen sepulchra cum juxtapositis feretris sint in propinquo conspectu ipsius Sacerdotis, dum stans ad unum ex illis dicit preces et Orationem; alias vero, si nempe distarent sepulchra diversa ita ut non possent dici in propinquo Sacerdotis conspectu,repetere oportebit pro singulis etiam preces et Orationem.

D) **In regressu ad Ecclesiam, et ante Altare.** — 1. Finita incensatione, cadaver sepulturæ datur; vel si non portatur ad sepulchrum, in medio Ecclesiæ relinquitur.

2. Omnes procedunt a Cœmeterio, vel a medio Ecclesiæ, ad Altare primarium, eodem ordine quo supra. Interea cantor intonat Antiphonam *Benedicite*,et Clerus alternatim cantat Canticum trium puerorum,sine *Gloria Patri* in fine. Cum pervenerint ad Altare, minister qui gestat Crucem et acolythi stant ad credentiam, Clerus hinc inde ab utroque latere sanctuarii disponitur, et Parochus stat ante gradus Altaris.

3. Finito cantu Cantici et Antiphonæ, Parochus tono feriali cantat e libro, quem sustinent duo ministri, Orationem : *Deus, qui miro ordine etc.*, quæ eadem est ac Oratio Officii votivi de Sanctis Angelis.

4. Omnes deinde genuflectunt, et ordine eodem quo venerunt redeunt ad sacristiam.

Nota. Jubent Statuta Diœcesana (n. 387bis), ut « omnia fidelium defunctorum corpora, etiam pauperum, quæ ad Ecclesiam deferuntur,... per Sacerdotem ritu ecclesiastico terræ demandentur. » (Cfr. Q. 271, II.) Quæ sint observanda pro sepultura adultorum, in casu sepulturæ in cœmeterio non benedicto, vel profanato, aut cum Clerus processionaliter non comitatur funus

de Ecclesia ad cœmeterium, exposita fuerunt Q. 274. Hic adduntur quædam ex Instructione Clero Diœcesis Mechliniensis data, pro sepultura parvulorum in iisdem casibus. (Cfr. Litteræ Pastorales Diœcesis Mechliniensis, Tom. XI, pag. 393, 394.)

Constituto tempore, quo corpus defertur ad locum sepulturæ, Sacerdos, superpelliceo et stola albi coloris indutus, una cum ministro, toga talari et superpelliceo induto, qui aquam benedictam cum aspersorio, et thuribulum cum navicula affert, ubi pervenerit ad sepulchrum, prope quod depositum fuit feretrum, dicit : *Kyrie eleison... Pater noster...*, Versus et Orationem : *Omnipotens, sempiterne etc.* (cfr. supra C, n. 2). Deinde, imposito incenso, Sacerdos primum aqua benedicta ter aspergit feretrum et sepulchrum, dein incensat ter feretrum ac sepulchrum (cfr. C, nn. 3, 4). Postea Sacerdos dicit Canticum *Benedicite*, et reliqua (cfr. supra D, nn. 2 et 3). Hæc dicere poterit Sacerdos dum discedit a sepulchro.

Cum plura parvulorum corpora simul ad cœmeterium deportantur, eodem tempore sepelienda, Sacerdos poterit prædictas preces semel recitare, dicens in Oratione : *animas horum parvulorum ;* dummodo tamen sepulchra cum juxtapositis feretris sint in propinquo conspectu ipsius Sacerdotis. Absoluta autem Oratione, singula corpora et sepulchra distincte aspergantur et thurificentur.

Q. 293. *Quid dicendum est de Missa, quæ non raro petitur celebranda in exsequiis parvulorum ?*

R. In Ordine exsequiarum pro parvulis, Rituale Romanum ne verbulum quidem dicit de Missa earum occasione celebranda. Et revera, de celebratione pro ipsis Missæ de *Requiem*, quæ tota est ad defunctorum suffragium, quæstio in his parvulorum exsequiis non esse potest; sed et nec alia Missa, de die aut quæcumque, celebrari potest in juvamen animarum parvulorum, seu pro parvulis, qui suffragiis non indigent.

Consuetudo tamen existit, a pluribus sæculis, et in multis regionibus, et in nostra etiam patria, de qua consuetudine testantur Pastorale Mechliniense, et alii

antiqui Libri Liturgici vicinarum Diœcesium, celebrandi Missam occasione exsequiarum parvulorum ; non quidem pro parvulis, quod Sacerdotibus, data occasione, fideles docere et in memoriam eis revocare commendatur ; sed ob alios fines, scilicet, ex. gr., ad gratias Deo agendas, quod parvuli animam e mundi periculis eripuit ; vel in laudem Divinæ Providentiæ, aliosque similes ; quæ consuetudo antiquissima, et familiis parvulorum certe acceptissima, pietati maxime favere dicenda est.

Dicitur itaque, ad intentionem ut supra, Missa de die in qua exsequiæ fiunt ; vel, si ritus occurrentis Officii id permittat, Missa aliqua ex votivis ; sed maxime convenire in casu videtur Missa votiva de Angelis, quam proponit jam Pastorale Mechliniense, et quorum Oratione concludi vidimus Ordinem exsequiarum pro parvulis, qui ita jam veluti inter Angelos adsciti censentur (cfr. Q. 292, D, n. 3) ; ut nempe cum Angelis ob felicem parvulorum transitum congaudeamus, ac Deum collaudemus, qui parvulorum animas in cœlum inter Angelos assumpsit ; unde vulgo hæc Missa in exsequiis parvulorum celebrata **Missa Angelorum** vocatur.

Non semel tamen S. Rituum Congregatio prohibuit, præsente cadavere parvuli, dicere Missam Angelorum ; sed hæc Decreta antiquiora e nova Decretorum editione, anno 1898, expuncta fuerunt.

Per Decretum vero 8 Februarii 1879 (n. 3481, antiq. 5766, ad 2), exposcenti Archiepiscopo Parisiensi, ut usus iste retineri valeat, S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, sed Missa votiva de Angelis legatur vel cantetur, diebus tantum a Rubrica permissis. » Item per Decretum 30 Januarii 1880 (n. 3510, antiq. 5801), petenti Episcopo Aurelianensi : « An servari possit consuetudo, ut in exsequiis parvulorum Missa de die, vel votiva de Angelis legatur, vel cantetur ? » S. Congregatio declarare censuit : « Servetur consuetudo ; sed Missa votiva de Angelis legatur vel cantetur, tantum diebus a Rubrica permissis. »

Hæc Missa votiva de Angelis est igitur Missa votiva privata, nullis gaudens privilegiis, quæ in casu celebranda est, quoad dies in quibus permittitur, et quoad

modum, juxta regulas pro Missis votivis privatis traditas in Tractatu de Rubricis Missalis Romani (QQ. 235-255). Quando vero ritus Officii, ea die qua fiunt parvuli exsequiæ, non permittet Missas votivas privatas, ex. gr. in Festo duplici, dicenda erit Missa Officio diei conformis.

Q. 294. *Quid animadvertendum est pro Missa celebranda in exsequiis illius qui septennium complevit?*

R. Si aliquis defunctus ad usum rationis pervenerit, aut septimum compleverit annum, sicuti in ejus sepultura adhibendus est ritus pro adultis (cfr. Q. 289), ita et pro eo dicenda est Missa de *Requiem*, ut in die Obitus; cum enim peccare potuerit, et de facto peccaverit, prout supponendum est, Missæ Sacrificio juvari potest, et debet. Quare, cum Parochus quidam puerum annorum novem non completorum, cujus simplicitatem, innocentiam, integritatem perspectas haberet, sepelierat, adhibito ritu exsequiarum pro parvulis, S. Rituum Congregatio declaravit Parochum male se omnino gessisse. (Decret. 7 Septembris 1850, quod quidem in Collectione Decretorum non reperitur, sed refertur apud A Carpo, *Bibliotheca liturgica*, Pars V, n. 169.)

Item dicetur Missa de *Requiem*, si dubitetur, an ad annos rationis pervenerit, vel an malitia ætatem ante septimum annum non suppleverit : sufficit enim ad celebrandum pro illo, ut suffragiis indigere possit; vel, si magis placeat, in casu dubio, nihil obstat Missam de Officio occurrente pro ipso celebrare. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Archidiœcesis Mechliniensis, anni 1872, ex Liturgia Q. II.)

TITULUS VII

De Sacramento Matrimonii

Q. 295. *Quid notandum est de ritu quo celebratur Sacramentum Matrimonii?*

R. Rituale Romanum exhibet pro universa Ecclesia ritum celebrandi Matrimonii Sacramentum (Tit. VII, Cap. 2). Sed ibidem (n. 5) notat : « Ceterum, si quæ provinciæ aliis ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas Sancta Tridentina Synodus optat retineri. » Eamdem notam proponit Pontificale Romanum, ubi describit Ritum pontificalem pro celebrando Sacramento Matrimonii. Verba Ritualis quasi ad litteram desumpta sunt ex Concilii Tridentini Capite I, de Reformatione Matrimonii (in Sessione XXIV, 11 Novembris 1562), ubi de his consuetudinibus dicitur quod « eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat. »

Jamvero Pastorale Mechliniense, editum anno 1588 (cfr. Q. 10), exhibet ritum celebrationis Matrimonii, in quo aliæ laudabiles consuetudines et cæremoniæ, ultra illas quæ in Rituali Romano, anno 1614 edito, descriptæ sunt, proponuntur servandæ; qui ritus in Diœcesi Mechliniensi semper fuit retentus; et etiam observatus ab iis, qui, initio sæculi XIX, subjecti accesserunt novæ Archidiœcesi Mechliniensi per Concordatum a Summo Pontifice Pio VII erectæ, ex partibus antiquarum Diœcesium vicinarum, nempe Antverpiensis, Buscodensis, Namurcensis, Leodiensis, et Cameracensis. Nonnulli tamen pro administratione Sacramentorum Rituali Romano usi sunt.

Quando igitur, ab anno 1873, indictus fuit, pro tota Diœcesi Mechliniensi, in administratione Sacramentorum, usus Ritualis Romani, loco Pastoralis Mechliniensis, juxta votum Concilii Tridentini, exceptio facta fuit pro ritu celebrationis Matrimonii (cfr. Q. 10).

Q. 296. *Juxta quem ritum ac formam in nostra Diœcesi celebrari debet Sacramentum Matrimonii?*

R. In Statutis Diœcesanis, anno 1872 post Diœcesanam Synodum eodem anno habitam editis, ubi statuitur (n. 212) in posterum utendum esse Rituali Romano, pro administratione Sacramentorum et aliis ecclesiasticis functionibus, additur :

« Attamen.... præcipimus, ut in omnibus parochiis, in quibus diversus a Rituali Romano usus hucusque obtinuit, Matrimonium celebretur juxta ritum ac formam in Appendice (XIV, B) descripta. » In citata Appendice Statutorum describitur Ritus celebrandi Matrimonii ex Pastorali Mechliniensi.

In iis vero parochiis, in quibus Ritus Matrimonii celebrandi juxta Rituale Romanum jam tunc in usu erat, necessario iste Ritus Ritualis debuit retineri; nec ibi licet Ritum particularem in Statutis assignatum adhibere in Matrimonii celebratione.

Q. 297. *Quænam hic de Matrimonii celebratione, veniunt exponenda ?*

R. Ad tria Capita reduci possunt ea quæ hic de celebratione Matrimonii exponenda sunt :

Primo dicendum est de præparatione ad Matrimonium, quæ complectitur a) Examen et instructionem sponsorum ; b) Sponsalia ; c) proclamationes faciendas.

Quæ dicenda sunt de examine et instructione sponsorum, necnon de proclamationibus faciendis, exponuntur tum in Theologia, tum in Jure canonico, et hic omittuntur.

De Sponsalibus ne verbum quidem habetur in Rituali Romano; et quæ de eis celebrandis dicenda veniunt, exponuntur juxta ritum particularem Mechliniensem.

Secundo dicendum est de Matrimonii celebratione, cujus ritus et cæremoniæ exponuntur tum juxta ritum particularem, tum juxta Rituale Romanum.

Tertio dicendum est de Nuptiarum Benedictione ; hæc autem apud nos duplex distinguitur : illa nempe, quæ juxta ritum particularem fit, statim post Matrimonii celebrationem, postquam annulus fuit benedictus; altera vero solemnior, et in mente Ecclesiæ sola

et vera Nuptiarum Benedictio, quam exhibet Missale Romanum in Missa quæ inscribitur : *Pro sponso et sponsa*, et quæ nonnisi infra Missam potest impertiri.

CAPUT I

DE SPONSALIBUS CELEBRANDIS

Q. 298. *Quid de celebrandis aut prætermittendis Sponsalibus dicunt Statuta Diœcesana?*

R. « Sponsalia solemnia celebrentur ubi in usu sunt. Attamen prætermitti Sponsalia permittimus, quoties id Parocho magis expedire videbitur, et si Matrimonio conjungendi Sponsalia inire non intendant. » (n. 298.)

Q. 299. *Coram quo, ubi, et quando celebranda sunt Sponsalia ?*

R. Juxta Statuta Diœcesana (n. 299), « Sponsalia pro more contrahantur coram proprio Parocho sponsæ, in Ecclesia aut sacristia, vel saltem in loco honesto, verbi gratia, in domo Parochi, ac juxta formam in Appendice (XIV) descriptam. » Laudanda est consuetudo ut mane post Missam celebrentur; at post meridiem etiam id fieri potest, cum nullum tempus sit præscriptum.

Ritus ac forma solemniter celebrandi Sponsalia in Diœcesi Mechliniensi describuntur in Statutis diœcesanis, in Appendice XIV, A. — Sub respectu rituum aut cæremoniarum nihil speciale observandum venit.

CAPUT II

DE MATRIMONII CELEBRATIONE

Q. 300. *Coram quo, quibus præsentibus, et ubi celebrandum est Matrimonium ?*

R. I. Matrimonium necessario celebrandum est coram Parocho ; et pro more contrahitur coram proprio Parocho sponsæ. (Stat. Diœc. n. 304.)

Munus interessendi Matrimoniis celebrandis per sese ipse Parochus, nisi legitima gravissimaque de causa impeditus, obire tenetur. (Benedictus XIV, Constit. *Nimiam licentiam.*)

Coram alio Sacerdote celebrari non potest Matrimonii Sacramentum, nisi de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia.

II. Dum Matrimonium contrahitur, adstant prope sponsos tres, vel duo testes, qui debent posse videre et audire quid agitur.

Decet etiam sponsos cohonestari præsentia parentum, vel propinquorum suorum. (Rituale, Tit. VII, Cap. 2, n. 1.)

III. « Matrimonium in Ecclesia maxime celebrari decet, » ait Rituale (Tit. VI, Cap. I, n. 16); « sed si domi celebratum fuerit præsente Parocho et testibus, sponsi veniant ad Ecclesiam benedictionem accepturi. »

Statuta nostra Diœcesana præscribunt, ut celebretur Matrimonium « intra Ecclesiam, non autem alibi, nequidem in sacristia, sine speciali facultate. » (n. 304.) Sacristia enim non est proprius Sacramentorum locus, nec ad hoc quod spectat Sacramentum, censetur ipsa tamquam Ecclesia.

In Ecclesia autem opportunior locus est Altare; et universalis consuetudo fert ut Matrimonium ad Altare celebretur.

Si vero contrahitur Matrimonium mixtum, hoc « in loco honesto, non autem in loco sacro, contrahendum est, absque benedictione sacerdotali, ulloque alio ecclesiastico ritu. » (Stat. Diœc. n. 305.)

Attamen, urgentibus rerum adjunctis, judicio Episcopi remittitur caute tolerantia, adhibendi aliquam partem catholici ritus in ejusmodi mixtis nuptiis celebrandis, exclusa tamen semper Missæ celebratione. (Cfr. Instructio S. Sedis Apostolicæ, de die 15 Novembris 1858, apud Acta Sanctæ Sedis, VI, 1858, pag. 456.) Recenter vero, in speciali casu, permisit Sedes Apostolica ut, celebrato Matrimonio mixto in loco non sacro, mox in Ecclesia celebraretur Missa; quod profecto intelligendum est de Missa absque Nuptiarum Benedictione.

Q. 301. *Quando celebrari potest Matrimonium?*

R. I. Si quæstio intelligitur de diei parte, dicendum est quod, absolute loquendo, Matrimonium omni tem-

pore contrahi potest ; optimæ vero rationes suadent, ut celebretur aptiori diei tempore, quod est ante meridiem ; et ritibus quibusdam attentis, ex. gr. Benedictionis Nuptialis intra Missam, mens Ecclesiæ est, ut semper mane contrahatur. Statuta nostra Diœcesana præscribunt (n. 304), ut Matrimonium celebretur « ante meridiem, nisi postulet aliud necessitas. »

II. Si quæstio intelligitur de anni tempore, dicendum est quod Matrimonii simplex celebratio, cum solis cæremoniis et precibus quæ in ejus ritu reperiuntur, omni anni tempore permittitur ; attamen, ut liceat Matrimonium ita contrahere tempore clauso (de quo infra mox dicetur), accedat oportet Episcopi venia, sicut rescripsit S. Rituum Congregatio. (Decret. 14 Augusti 1854, n. 3079, ad 1, antiq. 5275, ad 3.) In nostra Diœcesi ex delegata ab Episcopo facultate etiam in tempore clauso dispensare possunt Decani. (Cfr. Stat. Diœc. n. 67, 2°.)

Sed solemnitates nuptiarum agere, quo nomine intelligitur, juxta Rituale (Tit. VII, Cap. 1, n. 18), « nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia, » prohibetur tempore clauso, scilicet, a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ, et a Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive ; hæc enim anni tempora celebriora, quia orationi tunc vacandum est et jejuniis, ea sunt in quibus non convenit apparatus solemnis nuptiarum, quæ communiter a spiritualibus avocant.

Et si quidem Episcopus licentiam concedit contrahendi Matrimonium hoc tempore clauso, non ideo censetur permissa solemnis Benedictio Nuptiarum infra Missam ; et nequidem potest Episcopus in casu eam facultatem concedere, uti rescripsit S. Rituum Congregatio. (Decret. 14 Augusti 1854, n. 3079, ad 2, antiq. 5275, ad 4.)

Q. 302. *Describe cæremonias servandas in celebratione Matrimonii, juxta ritum particularem diœcesis Mechliniensis.*

R. 1. In loco ubi pro consuetudine Matrimonii Sacramentum celebratur, qui locus plerumque est ante

Altare aliquod Ecclesiæ, disponuntur sponsi, eorumque testes ac parentes : ante Altare, scilicet in aliqua distantia ab infimo gradu, stant sponsi, vir ad dexteram, mulier ad sinistram; prope eos, aliquantum retro, stant utriusque testes, eo modo, ut isti videre possint et audire quid agatur et dicatur. In Altari accenduntur cerei. Monentur sponsi, ut tempestive dexteras manus teneant nudas. Annulus benedicendus præparatur in aliquo vase seu disco.

2. Parochus,indutus superpelliceo, et stola,quæ semper erit albi coloris, adhibito uno saltem ministro, superpelliceo pariter induto, qui librum, et vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, accedit ad Altare, capite bireto cooperto, et manibus ante pectus junctis. Ante Altaris medium biretum dat ministro, et caput profunde inclinat Cruci Altaris; aut, si Tabernaculum SS. Sacramenti habetur in Altari, genu dextrum in plano flectit; mox per momentum orat in infimo gradu Altaris genuflexus , et tunc procedit ad Matrimonii celebrationem.

3. Si vero, immediate post absolutum Matrimonii ritum, ipse Parochus celebraturus est Missam pro Benedictione Matrimonii, tunc jam antequam celebret Matrimonium induere potest paramenta pro Missa; et non solum induit amictum, albam, cingulum, et stolam ante pectus transversam, sed et debet induere etiam planetam. (S. Rituum Congregatio, Decret. 31 Augusti 1867, n. 3158, ad 3, antiq. 5382, ad 5.) Manipulus assumitur tantum pro Missa. Color paramentorum istorum non erit semper albus, sicut esse debet color solius stolæ cum superpelliceo assumptæ, sed erit omnino talis, qui convenit Missæ quæ post Matrimonium contractum celebrabitur. Si dici potest Missa votiva quæ inscribitur « Pro sponso et sponsa », color erit albus. In tali casu Parochus ante Matrimonium accedit ad Altare, sicuti cum celebraturus est Missam; et disposito in Altari Calice, ac Missali ordinato, descendit ante infimum gradum, et mox ad Matrimonii celebrationem procedit.

4. Parochus ad sponsos conversus, eos aspergit aqua benedicta, in medio, a dextris eorum et a sinistris, cum

oratiuncula : *Aspergat, etc.;* deinde, notis nominibus et cognominibus clare ab utroque prolatis, nempe nominibus quæ in Baptismo acceperunt, et cognominibus prosapiæ, interrogat de mutuo contrahentium consensu, prius sponsum, dicens lingua vernacula : *N. N. Zijt gij gekomen, enz.* — *N. N. Etes-vous venu, etc.*; et cum ille respondit, similiter Parochus interrogat sponsam, dicens lingua vernacula : *N. N. Zijt gij gekomen, enz.* — *N. N. Etes-vous venue, etc.*; eaque similiter respondente, Parochus mox subjungit duos versiculos : *Adjutorium nostrum etc.*, et *Sit nomen etc.;* ad quos respondet minister.

5. Parochus, apprehensis dexteris utriusque, eas conjungit, et stola involvit ; deinde signum Crucis faciens super manus junctas et involutas, dicit : *In nomine Patris, etc.*

Nota. Dicit Rubrica : *dextris.... stola involutis;* non requirere hic videtur Rubrica ut stola circumducatur ita ut manus totæ sint involutæ, quod admodum difficile fieret ; sufficit ut stolæ pars dextra ita imponatur manibus, ut extremitas ejus dependeat aliquantulum a parte sponsorum.

6. Dum sponsi tenent dextras junctas et stola involutas, Parochus, verbis ut in formula ritus traduntur, explicat indissolubilis vinculi obligationes ; quo facto, ipsis semper eodem modo stantibus, Parochus ad sponsum conversus, admonet ipsum, ut secum intelligibiliter, et accurate pronuntiet formulam mutui consensus; eamque dicit, et cum ipso dicit sponsus, nempe : *Ik N. N. geef u N. N. die ik hier enz.* — *Moi N. N. je donne ma foi etc.*; deinde Parochus, ad sponsam conversus, dicit, et cum ipso dicit sponsa : *Ik N. N. geef u N. N. die ik hier enz.* — *Moi N. N. je donne ma foi etc.*

Nota. I. Pro facilitate sponsorum, qui non raro aliquantum commoti sunt, posset ante ipsos a ministro teneri aliqua tabella, in qua inscripta habetur formula consensus.

Nota. II. Aliquando in solemnioribus quibusdam nuptiis, obligationes vinculi matrimonialis longiori sermone a Parocho explicantur; usus obtinuit, ut hujusmodi allocutio habeatur jam initio cæremoniæ, post

initialem aspersionem sponsorum (cfr. n. 4), antequam interrogentur.

Rituale Romanum nihil dicit de sermone habendo; Pontificale Romanum vero proponit ipsum habendum, in casu quo nuptiæ non sunt benedicendæ, immediate post completum ritum Sacramenti Matrimonii; Missale Romanum, et item Pontificale Romanum, in casu Benedictionis Matrimonii, dicunt sermonem habendum esse versus finem Missæ, post ultimam Orationem dictam super sponsos, antequam dicatur Oratio : *Placeat, tibi, etc.*

7. Data sic utrimque fide, Parochus statim adjungit : *Et ego, tamquam Dei minister, etc.*, faciens super sponsos signum Crucis, cum dicit : *In nomine Patris,* ✠ *etc.* Deinde Parochus retrahit stolam a manibus eorum; sponsi etiam non ulterius dexteras junctas tenent.

8. Omnes remanent eodem quo stant loco. Minister tunc tenet ante Parochum annulum in disco positum; et statim Parochus, remanens ad sponsos conversus, benedicit annulum, dicens Versum *Adjutorium nostrum etc.*, et reliquos, cum duabus Orationibus, infra quas, ad verba designata, facit signum Crucis super annulum; dein, accepto aspersorio, Parochus annulum aqua benedicta aspergit in modum Crucis, id est ter, in medio, a sinistris et a dextris suis. Rituale nihil dicendum jubet in hac aspersione, etiamsi in similibus casibus ordinarie præscriptum sit, ut aspergens dicat submissa voce Antiphonam : *Asperges me, etc.* — Qui Parochus voluerit pro Benedictione annuli ad Altare ascendere, et ibi ad Altare conversus, annulum super Altaris mensam in pelvi depositum benedicere, optime faciet.

9. Parochus accipit annulum, illumque inserit digito annulari dextræ manus sponsæ, aut alii digito, secundum morem loci, dicens interea : *Accipe annulum etc.* In plerisque locis Parochus imponit quidem annulum summitati digiti, sed mox sponsus eumdem annulum ulterius sponsæ digito inducit. — Indicatur digitus annularis, qui inde nomen quidem habet, quia semper et ubique habitus fuit ad portandum annulum. Sicut ritus noster permittit annulum imponere alii digito, ubi mo-

ris est, ita et permittitur etiam secundum morem loci, annulum imponere digito sinistræ manus; et quidem Rituale Romanum indicat digitum annularem manus sinistræ. Parochus hac in re semper agat secundum morem loci.

10. Sequitur tunc illa cæremonia, quæ in ritu particulari Mechliniensi inscribitur « Benedictio » ; de ea dicetur in sequenti Capite III, Q. 305.

Q. 303. *Quæ notanda sunt de annulo?*

R. I. **Quoad materiam.** — Materia annuli non determinatur : plerumque aureus est; sufficit etiam qui est ex argento, aut ex cupro, aut ex alio metallo infimi valoris; debet tamen esse ex materia solida, et non fragili. Notari potest quod si aliquando pauperiores non possent sibi providere, ipse Parochus debeat in casu tradere annulum, ne ejus benedictionis ritus umquam omittatur. (S. Rituum Congregatio, Decret. 4 Maji 1882, n. 3548, antiq. 5843, ad 2.)

II. **Quoad benedictionem.** — Ritus Mechliniensis dicit quod annulus benedicitur, si non « antea fuerit benedictus ». Quod si antea fuerit benedictus, omittenda foret quidem benedictio (cfr. Q. 302, n. 8), sed omnino ut alias fieri debet annuli traditio (ibid. n. 9). Supponit noster Ritus forsan casum viduæ, quæ iterum nubens, annulum præcedentis Matrimonii afferret. — Animadvertendum tamen, quod in hoc puncto Ritus Mechliniensis non concordat menti Ecclesiæ; etenim Rituale Romanum nullum suppositum habet de omissione benedictionis annuli; et S. Rituum Congregatio, ad sequens dubium : « Utrum in nuptiis, quæ secundæ dicuntur, omittenda sit benedictio annuli? » rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 27 Augusti 1836, n. 2743, antiq. 4780, ad 2.) Auctores dicunt, eumdem annulum pluries posse, non tamen in eodem Matrimonio, benedici, sed benedictionis hujusce ritum numquam esse omittendum. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 339.) Unde non perperam concludi posse videtur notam Ritus Mechliniensis, de annulo antea jam benedicto, esse negligendam, et annulum in omni casu esse benedicendum; eo vel magis, quod si-

gnificatio annuli, ejusque benedictionis, refertur ad præsens Matrimonium quod contrahitur.

Si annulus benedictus deperditur, aut frangitur, aut usu teritur, et sponsa petit novi annuli benedictionem, profecto potest Parochus hunc benedicere privatim, eadem benedictionis formula quæ in ritu Matrimonii traditur.

III. **Quoad significationem.** — Annulus in Matrimonio signum est fidei mutuæ, et unionis, ut eodem pignore corda sponsorum jungantur; datur vero sponsæ, ut mulier, natura fragilior viro, datæ fidei signum continuo sub oculis habeat.

Præclare de hac significatione scribit Gardellini : « Datur sponsæ annulus in signum mutuæ dilectionis eam inter et sponsum, et est tamquam pignus junctionis cordis utriusque ; idque ex ipsa eruitur Oratione, quam in dicti annuli benedictione adhibendam præscribit Ecclesia ; in hac enim, et de fidelitate integra, et de mutua charitate fit mentio, in qua vivere uterque semper debet.... Benedicitur vero annulus, ut omnis fascinatio a connubio amoveatur ;....cum signum Crucis, benedictio sacerdotalis, et aqua benedicta ad effugandos dæmones valeant, optime sapienterque statuit Ecclesia, Sancto edocta Spiritu, ad pacem in connubiis servandam,hanc annuli benedictionem instituere et præscribere, et peculiarem Orationem assignare, per quam annulus ab omni diabolica fraude, nequitia, versutia, malignitate purificetur. » (Suffragium super Decreto 27 Augusti 1836, n. 2743, antiq. 4780, ad 2 ; Vol. IV, pag. 349.)

Nota. In non paucis Matrimoniis, præsertim magnatum et præclarium civium, duo præsentantur annuli, unus pro sponsa, alter pro sponso; uterque deponitur in pelvi. In benedictionis Orationibus omnia referuntur ad sponsam, nihil refertur ad sponsum ; attamen in his Orationibus Parochus ne verbulum quidem mutare potest. Nihil ceterum obstare videtur, ut annulus pro sponso positus sit in eadem pelvi prope annulum sponsæ destinatum ; et si non participat annulus sponsi de benedictione per verba in Orationibus prolata, aspersio aquæ benedictæ quæ sequitur valere po-

test pro utroque quoad bonos effectus.Nihil obstat quoque, ut post traditum præscripto modo annulum sponsæ (cfr. Q. 302, n. 9), terminata totaliter formula, Parochus sponsi annulum simpliciter, nihil dicens, tradat sponsæ, quæ ipsum inserat digito sponsi, secundum morem loci.

Ritum duos annulos benedicendi, alicubi præscriptum, servandum esse rescripsit S. Rituum Congregatio per sequens Decretum : Ad dubium : « Num in solemni Nuptiarum benedictione servandus sit ritus benedicendi arrhas et duos annulos, prout in Appendice ad Rituale Romanum in Manuali Toletano præscriptus ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Nihil innovetur. » (Decret. 15 Septembris 1881, n. 3531, antiq. 5826, ad 4.) Sed in nostro particulari Ritu nulla fit mentio de annulo sponsi benedicendo, et benedici non potest, ut supra fuit dictum.

Q. 304. *Describe cæremonias servandas in celebratione Matrimonii, juxta ritum Ritualis Romani.*

R. Hic ritus, qui servari debet in omnibus parochiis in quibus anno 1873 in usu erat (cfr. Q. 296), describitur in Capite II, Tituli VII Ritualis Romani, et sequentibus constat :

1. Parochus, superpelliceo et stola alba, vel, si Missam immediate est celebraturus, omnibus paramentis coloris Missæ convenientis, exceptó manipulo, indutus, adhibito uno clerico superpelliceo indutó, qui librum et vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, post brevem orationem in infimo gradu Altaris factam, ascendit ad suppedaneum, et in medio Altaris convertitur ad sponsos,qui accedunt ad Altare,et genuflectunt in superiori gradu, sponsus ad dexteram sponsæ; ante Altaris gradus adstant ab utraque parte utriusque testes ; ante Altare, in aliqua distantia, adstant quoque parentes et propinqui, quorum præsentia nuptias cohonestari decet.

2. Parochus utrumque,sponsum prius,dein sponsam, singillatim vulgari sermone de consensu Matrimonii interrogat in modum descriptum,exprimens ad litteram N. eorum nomen baptismale et cognomen prosapiæ.

3. Intellecto mutuo contrahentium expresso consensu, Parochus jubet eos invicem jungere dextras manus, quæ nudatæ esse debent; quibus junctis dicit: *Ego conjungo vos,etc.*,manu extensa signum Crucis efformans super contrahentes.

4. Postea Parochus aspergit eos aqua benedicta, in medio, ad eorum dextram (super sponsum), et ad eorum sinistram (super sponsam), nihil interea dicens.

5. Mox ad Altare conversus Parochus benedicit annulum super Altare positum in pelvicula; vel remanens ad sponsos conversus, benedicit annulum quem minister tenet in pelvicula depositum; dicit versiculos et Orationem, et dein aspergit annulum aqua benedicta, in modum Crucis, id est, in medio, a sinistris et a dextris suis. Rituale nihil dicendum jubet in hac aspersione, etiamsi in similibus casibus ordinarie præscriptum sit, ut aspergens dicat submissa voce Antiphonam: *Asperges me, etc.*

6. Parochus ad sponsos conversus, annulum benedictum tradit sponso, qui acceptum imponit in digito annulari sinistræ manus sponsæ; interea Parochus dicit, efformans signum Crucis super sponsos: *In nomine Patris, etc.*

7. Mox Parochus, remanens ad sponsos conversus, dicit versiculos: *Confirma, etc.*, et sequentes, cum Oratione; quæ omnia semper recitanda sunt.

8. His expletis, neoconjuges cum testibus et propinquis recedunt ad locum suum; et Parochus descendit ante gradus Altaris, ubi facta reverentia, discedit ad sacristiam, aut, accepto manipulo, incipit Missam.

9. De benedictione Nuptiarum dicitur in sequenti Capite III.

CAPUT III

DE BENEDICTIONE NUPTIARUM

§ 1. De Benedictione præscripta per Ritum particularem Pastoralis Mechliniensis

Q. 305. *Quæ notanda sunt de hac Nuptiarum Benedictione?*

R. I. Uti jam animadversum fuit (cfr. Q. 297), Ritus particularis, observandus in plerisque locis Diœcesis Mechliniensis pro celebratione Sacramenti Matrimonii, exhibet, immediate post ritus et cæremonias hujus celebrationis, preces quasdam super sponsos, sub nomine Benedictionis.

Sed hæc Benedictio ea non est quam intendit Ecclesia, quando in Rubricis, et Decretis agit de Nuptiarum Benedictione, quamque proponit in Missali Romano, in Missa quæ inscribitur « pro Sponso et Sponsa. » In mente Ecclesiæ, ea Benedictio Nuptiarum quæ describitur in Missali Romano vera et sola est Nuptiarum Benedictio, cujus locum tenere non valet Benedictio particularis Ritus Mechliniensis.

II. Etiamsi hæc particularis Benedictio immediate post Matrimonii celebrationem impertiatur, numquam ideo omitti potest solemnis Benedictio Missalis Romani; imo de hac insuper impertienda mentionem facit Ritus particularis.

III. Etiamsi solemnis Benedictio Missalis impertiatur infra Missam immediate post celebrationem Matrimonii, numquam ideo omitti potest Benedictio particularis Ritus Mechliniensis ; pertinet enim ad Ritum Matrimonii celebrandi, quem integrum retinere et perficere debemus. (Cfr. Q. 296.)

IV. Numquam hæc particularis Benedictio impertiri potest infra Missam; sed omnino debet extra Missam impertiri, immediate post traditionem annuli, qua terminatur celebratio stricte dicta Sacramenti Matrimonii.

V. Ritus Mechliniensis nullum excipit anni tempus, quo non posset dari hæc particularis Benedictio; ideo, si datur dispensatio ut tempore clauso contrahatur Matrimonium, licita censetur eodem tempore hæc Benedictio. Non autem licita est eo tempore solemnis Benedictio Missalis, etiamsi dispensatum fuisset pro celebratione Matrimonii. (Cfr. Q. 301, II.)

Q. 306. *Describe cæremonias et ritus hujus Benedictionis particularis.*

R. 1. Completis cæremoniis et ritibus celebrationis

Matrimonii per benedictionem et traditionem annuli (cfr. Q. 302, n. 9), quæ omnia facta fuerunt ante Altare, in aliqua distantia ab infimo Altaris gradu (ibid. n. 1), proceditur immediate ad Benedictionem.

2. « Sponsus, ait Ritus, decenter ad Altare procedet, quo sponsa contingens fimbriam stolæ Sacerdotis sequetur. » Ideo Parochus, qui hucusque stetit ante sponsos et ad eos conversus, e medio discedit ad sinistram sponsæ, et convertitur ad Altare ; stolæ extremitatem pendentem ad suam dexteram tradit sponsæ, quæ eam dextera accipit ; et eodem quasi tempore quo sponsus procedit ad Altare, procedunt Parochus et sponsa.

3. Ante Altaris gradum infimum subsistunt ; sponsa relinquit stolæ fimbriam ; sponsi genuflectunt in infimo gradu, sponsus ad dexteram sponsæ ; Parochus ascendit, et subsistens in medio ante sponsos, ad eos conversus, præbet osculandam imaginem Crucifixi Canoni Missæ præfixam, prius sponso, deinde sponsæ.

Nota. Cur indicetur imago Crucifixi præfixa Canoni Missæ, ratio forsan est, quod ibi solum hæc imago reperiatur certe, et non, aut rarius in aliis libris liturgicis ; ordinarie tamen olim præfixa erat hæc imago etiam Pastorali Mechliniensi, et communiter hæc præbebatur osculanda.

Parochus prudenter aliquando judicabit de opportunitate observationis hujus rubricæ, inspectis, præsertim in civitatibus, dispositionibus non valde eousque piis quorumdam sponsorum.

4. Parochus ascendit ad Altaris suppedaneum, et facta ad Crucem capitis inclinatione, per dexteram suam se convertit ad sponsos ; et stans in medio Altaris, ibi dicit super sponsos preces Benedictionis, scilicet Versum *Adjutorium nostrum etc.*, et alios Versus, et duas Orationes, infra quas ad verba indicata dextera facit signum Crucis versus sponsos.

5. Parochus deinde subjungit Psalmum 127 : *Beati omnes, etc. ;* vel, si non sit spes prolis, Psalmum 124 : *Qui confidunt etc.* Tunc monet desponsos, et circumstantes, ut secum legant Orationem Dominicam, deprecaturi Dominum pro felici successu Matrimonii, inter præsentes nunc contracti ; et mox dicit : *Kyrie*

eleison,.... Pater noster, etc., et Versiculos ac Orationes sequentes, infra quas ad indicata verba facit dextera signum Crucis versus sponsos.

6. Postremo Parochus accipit aspersorium, et aspergit novos conjuges, in medio, a dextris eorum et a sinistris, dicens interea : *Aspergat vos Deus, etc.*

7. Mox novi conjuges discedunt de Altari ad loca sua; Parochus convertit se ad Crucem Altaris, et facta inclinatione, descendit; et ante gradus conversus ad Altare, caput inclinat, vel in plano genu dextrum flectit, si habetur ibi Tabernaculum SS. Sacramenti; et accepto bireto caput cooperit, et revertitur ad Sacristiam. Si autem immediate post Benedictionem impertitam dicit Missam, accepto tunc manipulo, eam ante gradus Altaris immediate incipit.

Q. 307. *In quo casu omittitur prædicta Benedictio? Quid tunc fit ejus loco ?*

R. I. Omittitur hæc Benedictio, si sponsa est vidua quæ jam fuit in præcedenti Matrimonio benedicta. « Secundæ Nuptiæ, ait Ritus Mechliniensis, non sunt benedicendæ; illæ vero censentur secundæ, ut non benedicantur, quæ sunt secundæ ex parte feminæ, quamvis sint primæ ex parte viri. »

II. In eo casu, juxta Ritum Mechliniensem, dicitur super sponsos aliqua Oratio: *Respice, Domine, etc.*, quæ non censetur Benedictio, sed recitatur super eis quorum Nuptiæ non benedicuntur; ideo, peracta benedictione annuli, vel, si immediate post Matrimonium Missa celebratur, finita totaliter Missa, sponsi accedunt ad pedem Altaris, et genuflectunt in infimo gradu, sponsus ad dexteram sponsæ; Parochus, in medio suppedanei Altaris ad ipsos conversus, dicit : *Oremus*, et Orationem : *Respice, Domine, etc.;* dein infra Oratiunculam *Gratia Domini nostri etc.*, dextera facit super sponsos signum Crucis; et accepto mox aspersorio, aspergit eos, in medio, a dextris eorum et a sinistris, nihil dicens. Quo facto, subjungit : *Ite in pace.* Et omnes discedunt.

Q. 308. *Quid dicit Ritus particularis Mechliniensis de Missa celebranda in Matrimonio?*

R. De celebranda Missa post contractum Matrimonium, sequentia dicit Ritus Mechliniensis : « Quia vero Matrimonium, quod conciliat Ecclesia, ipsa confirmat oblatio sacra, convenit, ut, his peractis, novi conjuges honestiori loco collocati audiant Missam, orantes Deum pro Matrimonii jam initi prospero successu. »

« Si autem rubricæ permittant, dicitur Missa pro sponso et sponsa, ut habetur in Missali Romano, cujus Introitus est : *Deus Israel conjungat vos*, cum ceteris adjunctis. »

« Secus vero dicitur Missa de Festo, cum Commemoratione Nuptiarum, additis etiam Orationibus : *Propitiare*, et reliquis quæ in Missali præscribuntur. »

Nota. I. Per indicatas Orationes : *Propitiare*, et reliquas, designatur ipsa vera et sola Nuptiarum Benedictio, cui Ecclesia alligavit spirituales effectus pro Nuptiis ; de ea dicetur in § sequenti.

Nota. II. Etiamsi Ritus Mechliniensis dicat quod « convenit, ut... novi conjuges... audiant Missam, » infra quam Orationes *Propitiare*, et reliquæ super eis dicantur; omnino tenendum est, hanc Nuptiarum Benedictionem infra Missam esse de præcepto, et Sanctam Sedem ejus susceptionem universim, absque distinctione locorum urgere, ut dicetur in § sequenti. (Cfr. Conferentiæ ecclesiasticæ Diœcesis Mechliniensis, anni 1886, ex Liturgia et Statutis Q. VI, ad II.)

§ 2. De Benedictione Nuptiarum quæ præscribitur in Missali Romano

Q. 309. *Quæ notanda sunt de hac Nuptiarum Benedictione ?*

R. I. Hæc Nuptiarum Benedictio, quæ in mente Ecclesiæ vera et sola est Benedictio Matrimonii contracti, describitur in Missalis Romani parte quinta, scilicet in Missa quæ inter Missas Votivas ultimum tenet locum, et quæ inscribitur « Missa pro Sponso et Sponsa. »

In ea Missa reperiuntur Introitus, Oratio, Epistola, Graduale etc., Evangelium, Offertorium, Secreta, Communio, et Postcommunio; quæ diversæ hujus Missæ partes exhibent vel preces, vel instructiones relate

ad Matrimonium contractum; sed insuper describuntur in ea, tum duæ Orationes speciales super sponsos dicendæ post *Pater noster*, ante Orationem *Libera nos, etc.*, tum unica Oratio super sponsos dicenda in fine Missæ ante Orationem *Placeat, etc.*; istæ tres Orationes constituunt proprie dictam Benedictionem Nuptialem, quæ pertinet ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem conjugii.

II. Hæc Nuptiarum Benedictio est quasi pars Missæ, et numquam extra Missæ celebrationem impertiri potest; quod pluribus Decretis declaravit, et confirmavit S. Rituum Congregatio.

III. Hæc Benedictio communiter impertitur uni sponso cum sponsa; attamen pluribus nuptiis simul etiam impertiri potest; et animadvertendum est, quod, etiamsi in altera ex Benedictionis Orationibus agatur de unica sponsa, in singulari, tamen, quando plures sponsi cum sponsis præsentes sunt pro Benedictione Nuptiali, nihil in ea Oratione mutandum sit de singulari in plurali, sed ipsa recitanda sit prout legitur in Missali; nec requiratur ut Sacerdos pluries, pro singulis sponsis, recitet Orationes, sed semel eas dicere super omnes sufficiat.

Q. 310. *Quis Nuptiarum Benedictionis est minister?*

R. Minister Benedictionis Nuptiarum est proprius sponsorum Parochus; vel alius Sacerdos, sed ex ipsius Parochi, aut Ordinarii licentia et consensu.

Sed omnino requiritur, ut ille qui Benedictionem Nuptiarum impertitur idem sit quam qui Missam, infra quam datur, celebrat.

Unde, si coram Parocho contractum fuit Matrimonium, sed si ipse Parochus Missam pro Matrimonii contracti Benedictione non celebrat, Parochus non potest infra Missam intervenire pro Benedictione danda, sed hanc debet relinquere impertiendam ab eo Sacerdote qui Missam, de ipsius aut Ordinarii consensu, pro Nuptiarum Benedictione celebrat.

Itaque non Matrimonii celebratio et Benedictio, sed Missæ celebratio et Matrimonii Benedictio ita connexæ sunt, ut ab uno eodemque fieri debeant.

NOTA. De Missa dicenda pro Benedictione Nuptiarum, de Missæ qualitate, de ejus ritu, de ejus applicatione, dicitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani. (Cfr. ibi QQ. 301-309.)

Q. 311. *Quænam Nuptiæ benedici debent; quænam non possunt?*

R. I. Nuptiæ primæ ex parte viri et mulieris benedici debent, et de præcepto quidem; et a Parochis curandum est ut, quantum fieri possit, fideles Benedictionem solemnem sui Matrimonii suscipiant.

II. Nuptiæ quæ primæ sunt ex parte mulieris, sed secundæ ex parte viri, juxta Rituale Romanum benedicendæ non sunt, nisi ubi viget consuetudo (Tit. VII, Cap. I, n. 15); sed ex Decreto S. Romanæ Inquisitionis, 31 Augusti 1881, statuta fuit regula quod quoties mulier benedicta nondum fuerit, semper Benedictio sit impertienda.

III. Nuptiæ secundæ ex parte mulieris, etiamsi sint primæ ex parte viri, benedici non possunt, nisi in primis mulieris Nuptiis Benedictio quacumque de causa fuisset omissa.

IV. Nuptiæ in Matrimoniis mixtis numquam benedici possunt; etenim hujusmodi Matrimonia nequidem in loco sacro contrahi possunt, et in eis abstinendum est ab ullo ecclesiastico ritu. (Cfr. Q. 300, III.)

V. Nuptiæ quæcumque quæ ex dispensatione contrahuntur tempore clauso, scilicet a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ, et a Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive, benedici hoc tempore non possunt; et Episcopus quidem in casu facultatem concedere non potest. (Cfr. Q. 301, II.) Sed curandum tunc est Parocho, ut, elapso tempore clauso, conjuges ad Ecclesiam redeant Benedictionem Nuptiarum recepturi.

NOTA. Si conjuges quorum Nuptiæ benedici non possunt, exposcunt tamen occasione eorum Matrimonii Missam celebrari, poterit eorum desiderio satisfieri; sed numquam in casu dici potest Missa Votiva « pro Sponso et Sponsa », quæ tantum permittitur in ordine ad Nuptiarum Benedictionem; dicitur vel alia Missa Votiva, pro devotione sponsorum, si Rubricæ permittant

ea die Votivam dici; vel Missa Officio diei conformis; sed quæcumque dicatur, nulla fieri potest in ea Nuptiarum Commemoratio.

Pro Matrimoniis mixtis autem, juxta Instructionem S. Sedis Apostolicæ, de die 15 Novembris 1858, exclusa semper manet Missæ celebratio, ne forte hæretica pars ad tanti Sacrificii fructus videatur admissa. (Cfr. Acta Sanctæ Sedis, VI, 1870, pag. 456.) Vide tamen quæ notantur Q. 300, ad III, in fine.

Q. 312. *Quid de Benedictione Nuptiarum decrevit S. Congregatio Inquisitionis ?*

R. Dedit Decretum generale sequens, die 31 Augusti 1881 : « In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus in rebus fidei inquisitoribus generalibus, præhabito voto DD. Consultorum, iidem Emi ac Rmi DD. decreverunt: Benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum in Missa pro sponso et sponsa, semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missæ celebrationem, juxta rubricas, et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio, quacumque ex causa non obtinuerint ; etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab hæresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii. Contrariis quibuscumque non obstantibus. » (Cfr. Acta S. Sedis, XIV, 1881, p. 513.)

Itaque, etiamsi juxta Ritum peculiarem Diœcesis Mechliniensis, Matrimonia jam speciali Benedictione benedicantur, curandum tamen est ut, quantum fieri potest, fideles Benedictionem solemnem infra Missam suscipiant, cum Sancta Sedes hujus susceptionem universim, absque distinctione locorum, urgeat.

Q. 313. *Describe speciales ritus qui præscribuntur, in Missa « pro Sponso et Sponsa », ad impertiendam Nuptiarum Benedictionem.*

R. 1. Tempore Missæ, conjuges quorum Nuptiæ benedicendæ sunt honestiori loco propius ad Altare collocantur, et cum in Missa dicitur *Pater noster*, accedunt, et ante Altare genuflectunt in infimo gradu.

2. Dicto in Missa *Pater noster*, et responso a ministro : *Sed libera nos a malo*, et a Celebrante : *Amen*, Celebrans genuflectit, et se retrahens ad cornu Epistolæ, ad sponsos ante Altare genuflexos convertitur, et e Missali, quod tenet minister, junctis manibus, dicit Orationem : *Oremus. Propitiare, Domine, etc.*, et alteram : *Oremus. Deus, qui potestate, etc.* Cum dicit *Oremus*, et in conclusione *Jesum Christum*, caput profunde inclinat versus sacram Hostiam in Altari depositam.

Notare juvat, quod si Sacerdos in eadem Missa plures sponsos benediceret, tamen Oratio *Deus, qui potestate, etc.* non dicenda sit in plurali, sed recitanda prout legitur in Missali (cfr. Q. 309, III).

3. Dictis a Sacerdote his duabus Orationibus, sponsi ad locum suum recedunt, et Sacerdos ad medium Altaris reversus genuflectit, et extersa acceptaque patena, Missam continuat.

4. Postquam sumpserit S. Sanguinem, Sacerdos communicat sponsos, servans ritum consuetum. Rubrica Missalis indicat Communionem sponsorum in Missa Benedictionis Nuptiarum quasi certo faciendam et præscriptam ; attamen etsi S. Rituum Congregatio rescripserit, quod Benedictio Nuptialis fieri potest, etiam in casu ubi sponsi infra hanc Missam Communionem non perciperent : rescripsit etiam ut « curent tamen Parochi et animarum Rectores adhortari Fideles nupturos, ut in Missa, in qua Benedictiones Nuptiales impertiuntur,communicent. » (Decret. 21 Martii 1874, n. 3329, antiq. 5582.)

5. Statim ac dictæ sunt in Missa Postcommuniones, sponsus et sponsa iterum accedunt et genuflectunt ante Altare, in infimo gradu ; Sacerdos dicit *Benedicamus Domino*, et mox se convertit ad sponsos, vel, si

Missæ illius diei conveniat, dicit *Ite missa est*, et remanet ad sponsos conversus ; e Missali quod tenet minister legit precem: *Deus Abraham, etc.*, quam dicit junctis manibus, caput profunde inclinans ad verba *Jesu Christo.* Deinde, ait Missale, moneat Sacerdos sponsos « sermone gravi, ut sibi invicem servent fidem : orationis tempore, et præsertim jejuniorum ac solemnitatum, casti maneant : et vir uxorem, atque uxor virum diligat : et in timore Dei permaneant. » Tandem Sacerdos accipit aspersorium, et sponsos aqua benedicta aspergit, in medio, a dextris ipsorum et a sinistris, nihil interim dicens. Quo facto, sponsi redibunt ad locum suum, et Sacerdos convertitur ad Altare, ut dicat Orationem *Placeat*, et dat Benedictionem more solito.

APPENDIX

AD PARTEM PRIOREM TRACTATUS

314. De administratione Sacramenti Confirmationis, et de Ordinibus conferendis non agit Rituale Romanum, quia eorum administratio proprie pertinet ad Episcopum, et ritus quibus conferuntur descripti habentur in Pontificali Romano.

In Appendice Ritualis Romani datur quidem Instructio pro simplici Sacerdote, qui Sacramentum Confirmationis ex S. Sedis Apostolicæ delegatione administrat; quæ Instructio cum ritibus servandis edita fuit ex Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide, die 4 Maji 1774; sed ipsa fuit data in usum et commoditatem præsertim Missionariorum Apostolicorum; et in nostris regionibus, ubi Sacramentum Confirmationis regulariter ab Episcopis administratur, eidem S. Sedis delegationi concedendæ locus non datur.

315. De Ordinibus conferendis nihil dicitur in præsenti Tractatu, quia alumni Seminarii generatim utuntur libello, cui titulus : « Extractum e Pontificali Romano, in quo continentur Ritus Ordinationum, etc. » ; qui libellus maxime commendatur, non solum ut alumni in eo addiscere possint ritus in diversorum Ordinum susceptione servandos, qui eis opportuno tempore explicantur ; sed et etiam, ut ipsum per totam suam vitam sacerdotalem servent, tamquam memoriale Ordinum susceptorum, in quo postea poterunt relegere, et iterum meditari attente saluberrimas quas de cujusque Ordinis suscepti significationibus et obligationibus Episcopus ipsos edocuit instructiones, et ita aliquoties renovare intimos sacerdotalis sanctitatis sensus quos in diversorum Ordinum susceptione feliciter gustaverunt ; juvat enim in vita sacerdotali, pro multis tam laboriosa, susceptorum in limine Ordinum memoriam commemorando recognoscere, ad renovandum pristinum ecclesiastici spiritus fervorem.

De Sacramento Confirmationis

316. Quia Sacramentum Confirmationis quotannis, suis temporibus assignatis, in pluribus Diœcesis Ecclesiis ab Episcopo administratur, non inutile visum fuit in hac Appendice quædam de ejus administratione notare, ut eo facilius valeant Sacerdotes providere et præparare quæ oportet, et eo melius omnia rite, et secundum ordinem, ac cum ædificatione fieri possint.

Ubi primum de administranda Confirmatione nuntium receptum fuerit, Parochi, aliique quibus puerorum cura spiritualis incumbit, speciali prospiciant sedulitate, ut confirmandi ad illam digne et fructuose suscipiendam præparentur. Quapropter sedulo observabunt ea quæ in Statutis Diœcesanis de Confirmationis Sacramento et de ejus administratione præscribuntur (nn.231 ad 242). Insuper,quoties instat tempus Confirmationis conferendæ, e suggestu prælegi debent Litteræ Pastorales quæ, die 8 Aprilis 1890, Clero Diœcesis communicatæ fuerunt (cfr. Statutorum Appendix VI[bis]).

Nota.I. Ritus in Confirmationis administratione servandi ex Pontificali Romano describuntur in fine libelli Ordinationum, de quo dicitur supra Q. 315 ; sequentes hic adduntur notæ.

1. Quia in Ecclesiis nostris parochialibus plerumque ingens est confirmandorum numerus, consuetudo existit ut pueri per ordinem disponantur in Ecclesia, et Episcopus ad eos successive accedat pro unctione facienda ; ita enim omnis perturbatio facilius vitatur.

2. Quando Episcopus in initio jam genuflectit ante Altare, in nostris Ecclesiis ordinarie cantatur Hymnus *Veni Creator Spiritus ;* sed quia hic Hymnus nullo modo pertinet ad Sacramenti administrationem, absolute a cantoribus in odeo incipitur, et in fine non adduntur Versus, neque Oratio. Sub Hymni finem Episcopus accedit ad Altare, ut accipiat sacra paramenta.

3. Si forsan, inceptis jam precibus : *Spiritus sanctus superveniat etc.*, quidam confirmandus adhuc Ecclesiam intraret, is ab aliis segregari debet ; ut post reliquos

omnes, terminato per Benedictionem Confirmationis ritu, omnino separatim confirmetur, repetitis pro ipso omnibus ab initio precibus et ritibus.

4. Sacerdotum officium est, non solum ante inceptam Confirmationem confirmandos loco convenienti disponere, sed etiam ante et infra Confirmationem sedulo invigilare, ut ea qua par est modestia et pietate se gerant, atque in oratione perseverantes Spiritus sancti adventum exspectent. Ipsorum etiam erit curare, ut omnes frontem convenienter detectam habeant, chirothecas exuant, et schedulas testimoniales præ manibus teneant.

5. Pontificale præscribit ligandam esse linea vitta munda frontem confirmati ; usus linearum vittarum apud nos non existit ; sed Episcopum singulos unguentem mox sequuntur duo Sacerdotes, quorum unus pane, alter gossypio confirmati frontem abstergit.

6. Pontificale præscribit ut confirmandus, dum inungitur, ponat pedem suum super pedem dextrum patrini sui : hoc in nostris regionibus non observatur ; sed patrinus ponit interea manum dextram suam super humerum dextrum confirmandi ; quod sufficere rescripsit S. Rituum Congregatio, per Decretum 20 Septembris 1749 (n. 2404, ad 6, antiq. 4205, ad 8).

7. Nullus confirmatus discedat, nisi Benedictione accepta, quam Pontifex post omnium Confirmationem dabit.

8. Aqua quacum Episcopus manus lavit, et gossypii cineres ac panis debent in sacrarium Ecclesiæ effundi.

Nota.II. De significatione cæremoniarum et rituum ac precum in Confirmatione sequentia juvat dicere.

1. Ritus Confirmationis admodum simplex est, et talis ab antiquo fuit ; quia in primis Ecclesiæ sæculis Confirmatio administrabatur ab Episcopo immediate post Baptismum ; iste vero in Sabbato Sancto, et in Vigilia Pentecostes magno et festivo cæremoniarum apparatu conferebatur ; ideo quæ subsequitur Confirmatio jam non amplius eo indigebat rituum apparatu. (Cfr. Q. 117, ubi in Nota exponitur Ritus antiquus Baptismi.) Ipsa Oratio quæ in initio Confirmationis dici-

tur sub impositione manuum, et quæ antiquissima est, reperitur enim in Sacramentario Gelasiano (Cfr. Wilson, *The Gelasian Sacramentary*, Oxford, 1894, pag. 87), innuit Confirmationem sequi immediate Baptismum : *qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu sancto ; quique dedisti eis remissionem omnium peccarum ;* quæ verba ad Baptismum recens administratum referuntur.

2. Confirmatio ad id tendit, ut qui per Baptismum jam sunt regenerati, nunc accipiant corroborantem Spiritum sanctum, quo, in Christianam militiam acceptati, et ad pugnam armati, novo virtutis robore firmiores, Fidem semper firmiter teneant, et intrepide profiteantur, ac insurgentium hostium impetus superent et vincant.

3. Primo rogat Episcopus Deum, ut in suos famulos emittat de cœlis Spiritum sanctum suum Paraclitum, munere septiformem, et eos consignet signo Crucis. Interea extendit versus confirmandos manus.

4. Manuum impositio fit ad imitationem Apostolorum ; isti enim accedentes ad Samaritanos, quos Philippus Diaconus baptizaverat, « cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum ; .... tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. » (Actus Apost. VIII, 15, 17.) Exprimit autem manuum impositio obumbrationem Spiritus sancti, per quam confirmandi, in præliis contra hostes Fidei, sub peculiare præsidium supernum constituuntur.

5. Unctio sacri Chrismatis significat robur animi et spiritus, quod confirmato ad salutem tribuitur.

Chrisma conficitur ex Oleo et Balsamo : sicut Oleum hominis corpus roborat, ita roborat et confirmat hac sacri Olei unctione Spiritus sanctus animam ; sicut Balsamum a putredine et corruptione præservat, sed et suavissimo fragrat odore, ita confirmatus, per gratiam Spiritus sancti a peccati corruptione præservatus, virtutum floribus ornatus semper manebit, ut Christi bonus odor sit coram Deo. (II ad Corinth., II, 15.)

6. In fronte fit unctio, et signo Crucis frons signatur : frons sedes est verecundiæ et audaciæ ; per hunc ritum admonetur confirmatus, ut numquam Crucem

Christi Ducis erubescat, sed intrepide semper et audacter eam profiteatur, atque in illa etiam gloriari audeat.

7. Episcopus confirmatum leviter in maxilla cædit, dicens : *Pax tecum*. Non antiqua est hæc cæremonia alapæ ; prima ejus mentio reperitur apud Durandum († 1296), in opere : *Rationale divinorum officiorum* (Lib. VI, Cap. 84, n. 6). Sicut olim nobilis eques ictu gladii in Ordinem equestrem assumebatur, ita confirmatus in militiam Christi ictu quoque, in specie genæ ictu, assumitur ; ut tamquam fortis athleta paratus sit ad ignominiam, et adversitatem quamcumque pro fide Christi viriliter perferendum ; sciat tamen, se militem esse, cujus pugna et victoria eluceat, non in injuriis inferendis, sed in illis patienter perferendis, sicut pugnavit et vixit Christus, Rex et Dux noster. — Quod si fuerit ita semper animatus, constanter perfruetur illa, quam mundus dare non potest, pace, quam, ut effectum intrepidæ et constantis pugnæ, eidem adprecatur Episcopus, dicens : *Pax tecum*.

Alii opinantur alapam successisse pacis osculo, quod Episcopus dare in quorumdam Sacramentorum administratione solebat, sicut et hodiedum adhuc dat neopresbytero in fine ordinationis suæ ; sed osculo oris fuisse, modestiæ causa, substitutum osculum manus, et postea ictum genæ. (Cfr. Grancolas, *Commentarius historicus in Romanum Breviarium*, Lib. II, Cap. LXX.) De præsenti osculo pacis vero nullibi in antiquis documentis mentio habetur.

8. Patrinus, jam ipse militiæ christianæ adscriptus (debet enim jam esse confirmatus), exhibet Episcopo tamquam duci exercitus confirmandum, ut et hic militiæ Christi adscribatur. Tenet patrinus confirmandum, ut significetur quod hic adhuc spiritualiter imbecillis est, ideoque ab ipso in pugna spirituali erudiri verbo, et exemplo sustentari debet.

9. Omnibus jam signatis, orat Episcopus ad Altare Deum, ut confirmet quod in electis suis operatus est, et ut Spiritus sanctus eorum corda dignanter templum gloriæ suæ perficiat, eaque inhabitet. Demum illos benedicens, Episcopus adprecatur illis omnia bona omnibus diebus vitæ suæ, et vitam æternam.

PARS ALTERA

DE SACRAMENTALIBUS

Q. 317. *De quibusnam agitur in hac altera Tractatus parte?*

R. In hac altera Tractatus parte agitur de diversis rebus et functionibus, quæ ab Ecclesia institutæ fuerunt ad quosdam effectus, præsertim spirituales producendos; et speciatim, juxta ordinem Ritualis Romani, de Benedictionibus (Tit. VIII), de Processionibus (Tit. IX), et de Exorcismis (Tit. X). Hæc vocantur **Sacramentalia.**

Quidam auctores opinantur quod Processiones stricte loquendo Sacramentalia dici nequeunt, quia illis non solent attribui effectus omnino iidem qui Sacramentalibus proprie dictis tribuuntur; attamen, cum in Processionibus talia jam adhibentur quæ Sacramentalia proprie sunt, ut orationes, benedictiones, et similia, ipsæ etiam inter Sacramentalia computari possunt.

TITULUS VIII

De Benedictionibus

ARTICULUS I

DE BENEDICTIONIBUS IN GENERE

Q. 318. *Quid significat vox* **Benedictio**?

R. Vox **Benedictio** (dicere bene) plura significat:

1° Enuntiative est alicujus laus; et ita Deum benedicimus, in quantum ejus bonitatem corde recognoscimus, et ore confitemur.

2° Absolute est desiderium, seu omen, quo alicui bona et fausta adprecamur; talem homo homini dare solet.

3° Imperative est sanctificatio personarum vel rerum, quam dat solus Deus, per se vel per ministros suos, et quæ suos operatur effectus.

Hæc sanctificatio eo sensu intelligitur, quatenus personis vel rebus per aliquod sensibile signum quoddam esse sacrum confertur; atque ita personæ fiunt meliores, Deoque gratiores, res vero fiunt instrumenta salutis, sive animarum, sive corporum, vel etiam evadunt materia apta Sacramento vel Sacrificio.

Q. 319. *Quomodo definitur Benedictio in sensu liturgico?*

R. Benedictio solet breviter definiri: Ritus ecclesiasticus, quo, per invocationem Divini Nominis, vel aliud signum sensibile, aliquid boni confertur, vel postulatur.

Vel fusius: Benedictio in sensu liturgico est ritus, cæremonias et preces complectens, qui nomine Ecclesiæ, et ex auctoritate ei divinitus concessa, a sacris ministris peragitur, sive ad personas vel res cultui divino consecrandas, sive ad aliquid boni super aliquam personam vel rem exorandum.

« Deo itaque operante in ministerio Sacerdotali Benedictio Ecclesiastica suum sortitur effectum; non quidem ex opere operato ad instar Sacramentorum, sed ex vi precum Ecclesiæ, quæ cum Christi sit sponsa, non potest non exaudiri ab eo pro merito et dignitate sua, quando aliquid pro filiis petit. Tota itaque Benedictionum Ecclesiasticarum vis posita est in oratione et invocatione Ecclesiæ, quæ fit per suos ministros. » (Gardellini, Suffragium super Decreto 27 Augusti 1836, n. 2745, antiq. 4782, ad 4; Vol. IV, pag. 360.)

Q. 320. *Quænam possunt benedici?*

R. Benedici possunt: 1° personæ; vel ut specialiter destinentur ad Dei cultum, aut servitium, uti Clerici in ritu primæ Tonsuræ, Abbates, Virgines Deo sacratæ; vel ut super eas Dei benignitas invocetur, uti sponsi, mulier post partum.

2° Res; vel ut specialiter destinentur ad Dei cultum, ut ecclesia, vasa sacra, paramenta sacra; vel ut fiant instrumenta salutis, sive animarum, sive corporum, ut aqua, candelæ, cineres, palmæ; vel ut super eas nomen Dei invocetur, ad bonum spirituale, vel corporale.

Subjectum Benedictionis proprie solus homo est;

etenim, per quamlibet Benedictionem, etiam rerum inanimatarum, semper homo, saltem indirecte, utpote propter quem Benedictio omnis est, benedicitur.

Q. 321. *Quomodo distinguuntur Benedictiones, sub respectu status qui ex eis consequitur pro personis vel rebus benedictis? Explica.*

R. Sub respectu status qui, sive pro personis, sive pro rebus, ex accepta Benedictione consequitur, Benedictiones distinguuntur in **constitutivas**, et **invocativas**.

1° Benedictiones **constitutivæ**, etiam dictæ **consecrativæ**, illæ sunt, quibus personæ Deo dicantur, et in ejus ministerio seu servitio constituuntur, res vero destinantur ad Dei cultum, aut certa nostræ Religionis officia; ita, ut personæ et res quoddam esse sacrum acquirant, quo in statu permanenti rei sacræ constituuntur, et receptum hunc per Benedictionem statum amplius non immutare, neque ad profanum statum redire, aut ad profanum usum inservire possunt.

Tales sunt : pro personis : Benedictio Abbatis, Consecratio virginis; — pro rebus : Consecratio ecclesiæ, calicis; Benedictio Sacrorum Oleorum, cœmeterii, paramentorum sacerdotalium, aquæ baptismalis, etc.

Res ita benedictæ numquam, quamdiu in statu quo benedictæ fuerunt remanent, ad usus profanes, licet honestos, adhiberi possunt; etenim : « semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum. » (Regula Juris in Cap. 51, de Regulis Juris in VI.)

2° Benedictiones **invocativæ**, etiam dictæ **simplices**, illæ sunt, quibus benignitas Dei invocatur, ut vel personis, vel rebus benedicendis aliquid boni tribuat, easque a malo vindicet; quin tamen istæ statum mutent, et inde sacræ fiant; itaque personæ et res, licet benedictæ, relinquuntur sibi, et suæ pristinæ conditioni, aut usui consueto.

Tales sunt : pro personis : Benedictio nuptialis, Benedictio mulieris post partum, Benedictio puerorum; — pro rebus : Benedictio annuli, domus, agri, frugum, etc.

Res simpliciter ita benedictæ converti possunt ad usus profanos, honestos tamen.

Nota. Aliqui auctores distinguunt, ultra constitutivas et invocativas, Benedictiones rerum intermedias ; illas nempe quibus benedicuntur res, ut istæ speciali modo instrumenta fiant salutis animæ et corporis.

Tales sunt Benedictiones aquæ, salis, candelarum, cinerum, palmarum, etc.

Res ita benedictæ stricte loquendo esse sacrum non acquirunt; attamen aliis profanis rebus simpliciter benedictis sacratiores et veneratione digniores æstimari debent, et æstimantur; et nonnisi ad pios usus adhiberi possunt.

Hujusmodi Benedictiones ideo a pluribus videntur posse jure merito inter constitutivas reputari.

Q. 322. *Quis est Benedictionis minister?*

R. Quandoquidem Benedictio est ecclesiasticæ institutionis, Ecclesia etiam determinat quis Benedictionis sit minister; et censuit hoc munus adnectere ordini Sacerdotali ; quod manifeste ostendunt verba, quæ profert Episcopus in Ordinatione Presbyteri, maxime dum in ejus manuum consecratione dicit : « ut quæcumque benedixerint, benedicantur, et quæcumque consecraverint, consecrentur, et sanctificentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi. »

Sacerdos Dominum in Benedictione invocat, sed ipse Dominus Benedictionem efficaciter format : effectus itaque Benedictionis non ex merito Sacerdotis constat, sed effectum administrat invocatio Divini Nominis, ut quod ex ore sonat hominis, Creator impleat.

Nota. Quamvis munus benedicendi proprie ad Sacerdotes pertineat, excipi tamen debet Benedictio Cerei paschalis in Sabbato Sancto, quæ ex antiquissimo Ecclesiæ instituto peragitur in solemni hujus diei functione a Diacono; sed animadvertendum est, Diaconum id agere de mandato quasi Sacerdotis, et tamquam organum ipsius ibi præsentis; et Diaconum in ipsa adhibere ea quæ jam prius a Sacerdote fuerunt rite piata, nempe grana incensi, lumen ; et insuper ipsum hanc Benedictionem non conferre more Sacerdotali.

Q. 323. *Quid notat Rituale Romanum circa ministerium Benedictionum? Quomodo sub hac respecta distinguuntur Benedictiones?*

R. 1. Sequentia circa Benedictionum ministerium notat Rituale Romanum : « Noverit Sacerdos, quarum rerum Benedictiones ad ipsum, et quæ ad Episcopum suo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temere, aut imperite unquam usurpet propria auctoritate. » (Tit. VIII, Cap. 1, n. 1.)

Animadvertendum enim est quod, sicut in cœlis Dominus Deus statuit, juxta varios Angelorum ordines varia esse singulorum munera, et diversimode ipsos Dei dona dispensare pro sua dignitate, uti tam pulchre nos docet S. Gregorius Magnus (cfr. in Breviario Lectiones II Nocturni, tum in Festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli, 29 Septembris, tum in Officio votivo de SS. Angelis) ; ita ab Ecclesia præstitutum fuit, non omnes Benedictiones ad quoscumque Sacerdotes pertinere; et majori dignitati Episcopali reservatæ fuerunt quarumdum rerum insigniorum et sacratiorum Benedictiones, et quibusdam Sacerdotibus majora fuerunt tributa Benedictionum jura.

II. Igitur sub respecta ministerii, seu ministrorum qui eas possunt impertiri, Benedictiones distinguuntur :

1° Benedictiones quæ ipsi Summo Pontifici sunt propriæ ;

2° Benedictiones quæ ad Episcopos pertinent ;

3° Benedictiones quæ de jure Parochi sunt ;

4° Benedictiones quæ a quocumque Sacerdote fieri possunt ;

5° Benedictiones propriæ nonnullorum Ordinum Regularium.

Q. 324. *Initia Benedictionum quæ Summo Pontifici sunt propriæ.*

R. Summo Pontifici propriæ sunt : Benedictio Pallii : Benedictio Formarum cerearum quæ « Agnus Dei » vocantur : Benedictio Rosæ aureæ : Benedictio Ensis Principis. — De singulis delectat quædam notare.

1. Pallium est fascia lanea candida, tres circiter di-

gitos lata, sex nigris crucibus ornata, in circulum ita contexta, ut humeris imposita collum ambiat, ejusque duæ extremitates dependeant una ad pectus, altera ad tergum.

Fit autem Pallium ex lana duorum agnorum candidorum sine macula, qui in Ecclesia Sanctæ Agnetis, extra muros Urbis Romæ in via Nomentana sita, in festo die hujus Sanctæ, 21 Januarii, post Missam super Altare offeruntur et benedicuntur, et dein in Sanctimonialium Monasterio apud Basilicam S. Cæciliæ nutriuntur; ubi satis excrevere, tondentur et ex eorum lana Pallia texuntur.

In Vigilia Festi SS. Apostolorum Petri et Pauli, nova Pallia deferuntur ad Confessionem, seu Sepulchrum S. Petri in Basilica Vaticana; et post Vesperas inde desumpta per Summum Pontificem benedicuntur; benedicta includuntur in arcula argentea, et iterum deponuntur et asservantur super Sepulchrum S. Petri, donec tempus veniat ea tradendi, aut transmittendi.

Pallium, in quo tanta est antiquitatis veneratio, est symbolum plenitudinis Pontificalis officii, et unionis cum Sancta Sede Apostolica; traditur omnibus Patriarchis et Archiepiscopis residentialibus. — Circiter quindecim sunt Ecclesiæ Cathedrales, quarum Episcopi etiam Pallio honorantur : legimus in Breviario, 7 Octobris, in vita S. Marci, Papæ († 340), quod ipse « instituit, ut Episcopus Ostiensis,a quo Romanus Pontifex consecratur, Pallio uteretur. » Tales etiam sunt Ecclesiæ Massiliensis, Atrebatensis, etc. — Aliquando etiam, sed raro, Summus Pontifex tradit Pallium alicui Episcopo, quem speciali modo vult honorare; ita Illmus ac Rmus Dnus Joannes Joseph Faict, Episcopus Brugensis, speciali privilegio Sacro Pallio insignitus fuit anno 1889; sed est privilegium personale.

Patriarchæ et Archiepiscopi residentiales obligantur, intra trimestre a die electionis suæ, a Summo Pontifice petere « instanter, instantius, instantissime, » ut sibi assignetur « Pallium de corpore Beati Petri sumptum; » nec, antequam illud obtinuerint, Pontificalia in sua Diœcesi, aut jurisdictionem Metropoliti-

cam exercere valent, nec quidem Patriarchæ, vel Archiepiscopi appellari possunt.

Pallium non potest deferri nisi super Planetam in Missis Pontificalibus; nec in omnibus, sed tantum statutis diebus anni solemnioribus, qui recensentur in Pontificali Romano, et in Cæremoniali Episcoporum (Lib. I, Cap. XVI, n. 4).

Post obitum debent Archiepiscopi cum Pallio sepeliri.

II. Agnus Dei vocatur illa cerea forma, quæ, instar oblongi numismatis, exhibet a fronte imaginem, unde nomen habet, Agni Crucis vexillum gestantis, a retro imaginem alicujus Cœlicolæ.

A pluribus sæculis jam exstat apud fideles pius usus cereorum Agnus Dei quales hodiedum sunt, eorumque origo videtur sæculo octavo antiquior.

Conficiuntur Agnus Dei ex cera quæ superest Cereorum Paschalium, addita sufficienti quantitate ceræ albæ, virgineæ. Privilegium eos conficiendi concessum fuit Cisterciensibus, qui Romæ commorantur apud Basilicam S. Crucis in Jerusalem. Variæ sunt formarum dimensiones : minores sunt trium centimetrorum in longitudine, aliæ circiter septem, majores circiter viginti centimetrorum.

A Summo Pontifice solemniter benedicuntur anno primo sui Pontificatus, deinde singulis ejusdem septenis annis : sub imagine Agni impressum conspicitur nomen Pontificis, cum indicatione anni Pontificatus.

Benedictio fit in hebdomada Paschatis, ordinarie feria quarta. Summus Pontifex primo benedicit aquam, cui infundit Balsamum, quo Christi bonus odor significatur, et Sanctum Chrisma, charitatis symbolum ; post preces immergit formas in hanc aquam, quas mox adstantes Prælati extrahunt, ut serventur usque ad sequens Sabbatum in Albis, quando Summus Pontifex eas solemni ritu post Missam distribuit.

Ratione hujus solemnis Benedictionis, a Summo Pontifice peractæ, singularis æstimatur pii usus harum formarum efficacia : sanctissimæ enim sunt preces, quibus Pontifex orat, inter alia, ut eas devote deferentes defendantur « ab omni periculo incendii, fulguris,

procellæ et tempestatis ; » ut serventur « a morte subitanea ; » ut mulieres « in puerperio laborantes ab omnibus periculis » liberentur, et ut « partus cum matre incolumis servetur : » etc. ; quæ divina beneficia sæpius variis miraculis ostensa referunt auctores.

III. Rosa aurea est, non simpliciter unica rosa, sed rosarium, ex auro elaboratum, altitudinis unius circiter metri, vasi affabre cœlato infixum : inter ejus flores, seu rosas una gemmis ornata eminet.

Hæc Rosa aurea benedicitur a Summo Pontifice Dominica IV in Quadragesima, quæ vocatur *Lætare*, et ab hoc Benedictionis ritu etiam *Dominica Rosæ ;* incipit enim tunc tempus vernum, quæ est pars anni floridior ; dein rosa, odore visuque gratissima, symbolum est spiritualis lætitiæ.

Summus Pontifex ante Missam benedicit Rosam auream in Aula Paramentorum Palatii Vaticani : post preces dictas, eam ungit cum Balsamo, deinde in intima parte imponit pretiosa aromata cum Balsamo, eamque aspergit et incensat. Quo facto, Pontifex vel ipse Rosam auream defert, vel ante se deferri per Prælatum jubet, ad Sacellum Sixtinum, ubi solemniter Missa celebratur, deposita Rosa aurea super Altare. Post Missam, eodem ritu reportatur Rosa aurea ad Aulam Paramentorum.

Prima mentio hujus Rosæ in liturgica historia est anni 1050, sub Pontificatu S. Leonis IX. Antiquitus Summus Pontifex benedicebat Rosam auream in Palatio Lateranensi ; unde ipsam, solemni cum pompa equitans, deferebat ad Basilicam S. Crucis in Jerusalem, in qua Statio hac die habetur ; finita Missa, eadem cum pompa revertebatur ad Lateranum, ubi, ex equo descendens, Rosam offerebat nobiliori Principi, qui equi frenum tenuerat, et Papam adjuverat.

Rosam auream offert Summus Pontifex alicui digniori personæ, quæ de Sancta Sede bene merita fuit : legitur oblata imperatoribus, imperatricibus, regibus, reginis, aliisque ex nobilioribus ; aliquando etiam, sed rarius, civitatibus quibusdam, imo nonnullis ecclesiis. Anno 1893, Summus Pontifex Leo XIII Rosam auream

obtulit Serenissimæ nostræ Reginæ, cui solemni ritu transmissa fuit a Nuntio Apostolico ad hoc specialiter legato.

IV. Ensis, seu gladius, et etiam Pileus, benedicuntur a Summo Pontifice, ex instituto Urbani VI († 1389), in Festo Nativitatis Domini, ea nocte, qua pro nobis nasci dignatus est Rex pacificus, Princeps pacis ; ad proclamandum potestatem et imperium Regis regum, Domini exercituum, cujus imperium super humerum ejus.

Ensis benedicitur in defensionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et Christianæ reipublicæ ; ut Dominus per eum, qui illo accingitur, vim æquitatis exerceat, et Sanctam Ecclesiam protegat atque defendat; et ipsum, qui hoc gladio armatus erit, pietatis suæ firma custodia muniat, illæsumque custodiat.

In Pileo repræsentatur, opere margaritis ornato, imago Spiritus sancti, ut qui gladium portat sciat, se regi debere, non ambitionis spiritu, sed sapientia Spiritus sancti, ad regnum Christi in terris defendendum ac propagandum.

Olim Ensis et Pilei Benedictio locum habebat in Basilica S. Mariæ Majoris, ubi servatur Præsepe Domini, in Officio noctis, ante Matutinum. Benedictio constat Oratione, aspersione et incensatione.

Ensis et Pileus benedicti a Summo Pontifice mittebantur alicui Principi, vel nobili Equiti, qui pro re christiana contra Turcas, aliosve Ecclesiæ hostes arma sumpserat, quemque ob victorias reportatas Summus Pontifex honorare dignabatur.

Quando Princeps Ense et Pileo honoratus præsens in Officio erat, ipsius erat cantare Lectionem V Matutini, quæ incipit : *In quo conflictu, etc.*, et in qua agitur de certamine contra diabolum : ideo, ante thronum Summi Pontificis adductus, nudato capite, ter Ense terram tangebat, dein ter Ensem vibrabat; tunc, cappa indutus, ad pulpitum cantabat Lectionem; quo facto, cappa exutus, educebatur, præcedentibus officialibus, qui Ensem et Pileum ante ipsum portabant.

Hodie Benedictio illa fit in Aula Paramentorum

Palatii Vaticani, post Missam primam in nocte. Ensis et Pileus, si non ad aliquem Principem mittuntur, deponuntur in Vaticani armamentario.

Q. 325. *Quæ Benedictiones pertinent ad Episcopos ?*

R. Variæ Benedictiones quæ ad Episcopos pertinent describuntur in Pontificali Romano ; ex eis hic recensere sufficiat illas quarum cognitio utilis vel opportuna videtur.

A) **Personarum Benedictiones** : Benedictio Abbatis ; — Benedictio et Consecratio Virginum.

B) **Rerum Benedictiones** : 1. Benedictio Sacrorum Oleorum, et Confectio Sancti Chrismatis, in Feria V in Cœna Domini.

2. Benedictiones rerum in quarum ritu præscribuntur faciendæ unctiones cum Sacris Oleis ; scilicet : Dedicatio seu Consecratio Ecclesiæ ; — Consecratio Altaris ; — Consecratio Calicis et Patenæ ; — Benedictio Campanæ.

3. Benedictiones rerum quæ proximius inserviunt ad usum pro SS. Sacrificio Missæ, aut SS. Eucharistia, etiamsi in earum Benedictione Sacra Olea non adhibeantur ; scilicet : Benedictio sacerdotalium indumentorum ; — Benedictio mapparum, seu linteaminum Sacri Altaris ; — Benedictio corporalium ; — Benedictio Tabernaculi, seu vasculi pro SS. Eucharistia conservanda, sub quo nomine intelligi possunt, vel ipsum Tabernaculum (cfr. Q. 154, VII), vel lunula Ostensorii, necnon ipsum Ostensorium (cfr. Q. 159, 3°), vel Ciborium, Pyxis, aut parva Custodia (cfr. Q. 157, 5°).

4. Benedictiones rerum, vel quæ Ecclesias et Oratoria publica peculiariter respiciunt, vel quæ tamquam majoris gravitatis plerumque solemniori modo, publicoque apparatu perficiuntur ; scilicet : Benedictio et impositio primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda ; — Benedictio Ecclesiæ, seu Oratorii publici, ut ibi SS. Missæ Sacrificium celebrari possit, antequam postea ab Episcopo consecretur ; — Benedictio cœmeterii ; — Reconciliatio Ecclesiæ et cœmeterii simul, vel solius Ecclesiæ, vel solius cœmeterii ; — Benedictio, si solemniter fit, novæ Crucis, Imaginis Domini Nostri,

vel B. Mariæ V., vel alterius Sancti; — Benedictio sacrorum vasorum, et aliorum Ecclesiæ ornamentorum, ad usum nempe Altaris, et Ecclesiæ, ex. gr. candelabra; — Benedictio capsarum pro Reliquiis, et aliis sanctuariis includendis.

Q. 326. *An omnes istæ Benedictiones ita ad Episcopos pertinent, ut eas numquam impertiri possunt ii qui Episcopi non sunt? Explica.*

R. Inter Benedictiones in præcedentis Quæstionis responso recensitas, quædam sunt ita propriæ Episcopis, ut ab aliis peragi nequeant; scilicet: Benedictio Sacrorum Oleorum et Confectio Sancti Chrismatis; Dedicatio seu Consecratio Ecclesiæ; et Consecratio Altaris.

Reliquas vero ex his Benedictionibus peragere licet aliquando et aliis qui Episcopi non sunt; ea conditione tamen ut gaudeant, vel Indulto quod dat ipse Summus Pontifex, vel delegatione, quam Episcopi possunt dare, sive ex jure suo ordinario, sive ex speciali facultate Sedis Apostolicæ.

Resumendo enumerationem Benedictionum Episcopalium præcedentis responsi, notatur hic, quibus, et quo jure aliquando facultas delegatur has Benedictiones peragendi.

A) **Personarum Benedictiones.** Benedictio Abbatis: Abbates non possunt petere Benedictionem ab aliis Abbatibus suorum Ordinum; et non ab alio quam ab Ordinario eam petere possunt (S. Rituum Congregatio, Decret. 24 Julii 1638, n. 648, antiq. 1070); attamen non desunt exempla Benedictionis Abbatis peractæ per alium Abbatem; sed solus Summus Pontifex id permittere potest. — Benedictio et Consecratio Virginum: hæc solemnis Benedictio non apud nos locum habet; pleræque ex nostris Monialibus, tot diversarum Congregationum et Familiarum, juxta alium non ita solemnem ritum admittuntur ad habitum religiosum suscipiendum, et professionem emittendam; ad quas functiones Episcopus ordinarie committit aliquos Sacerdotes, apud nos plerumque Decanos.

B) **Rerum Benedictiones.** 1. Sacrorum oleorum Be-

nedictio, ut supra fuit dictum, propria est solis Episcopis.

2. Dedicatio Ecclesiæ, et Consecratio Altaris pertinent exclusive ad Episcopos, ut jam notatum fuit.

Consecratio Calicis et Patenæ permittitur Abbatibus usum pontificalium habentibus, non per se, sed ex speciali privilegio, quod ipsis concedere potest Summus Pontifex, et tantum pro usu Ecclesiarum sibi subjectarum, minime vero pro usu aliarum Ecclesiarum.

Benedictio Campanæ : Archiepiscopo Mechliniensi speciale Indultum Apostolicum concessum fuit, vi cujus ad Campanæ Benedictionem subdelegare potest qualificatum Sacerdotem, qui ad hoc servare tenetur ritum in Pontificali Romano præscriptum, nempe cum aspersionibus, ablutionibus, unctionibus et incensationibus ibi præscriptis. Olim requirebatur ut ipse Episcopus benediceret aquam in hac Benedictione pro aspersionibus et ablutionibus adhibendam ; sed in hodierno Indulto hæc conditio non amplius expresse describitur.

3. Ad Benedictiones sub hoc numero recensitas, nempe rerum quæ proximius inserviunt ad SS. Missæ Sacrificium, aut SS. Eucharistiam, delegare possunt Episcopi, non proprio jure, sed vi facultatis a Summo Pontifice concessæ, simplices Sacerdotes ; hæc facultas Episcopis Belgii concessa reperitur inter Quinquennales. In Statutis Diœcesanis notatur (n. 67), quod Archiepiscopus Decanis facultatem concedit « benedicendi, in territorio districtus sui, linteamina, ornamenta, et vasa cultus divini, quæ consecratione non indigent. » Abbates idem jure ordinario possunt, sed pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum vel monasteriorum.

4. Episcopi delegare possunt simplicem Sacerdotem, et quidem jure proprio, pro Benedictione primarii lapidis, Ecclesiæ seu Oratorii publici, et cœmeterii ; item ad reconciliandam Ecclesiam violatam si hæc nondum erat ab Episcopo consecrata, et cœmeterium. Delegare possunt etiam simplicem Sacerdotem, vi facultatis a Sancta Sede concessæ, pro Benedictione, quæ solemniter fit, Crucis, et Imaginum Domini nostri, B. Ma-

riæ V., et Sanctorum ; item pro Benedictione Ecclesiæ ornamentorum, et capsarum pro Reliquiis.

Nota. I. Sacerdotes facultatem ex delegatione habentes benedicendi res supra enumeratas, uti non possunt ritu et formulis in Pontificali Romano pro usu Episcoporum descriptis, nisi id expresse, uti ex. gr. pro Campanis, notetur ; sed debent uti formulis et ritu, quæ describuntur in Rituali Romano (Tit. VIII, Cap. 20 et seqq.), vel in Missali Romano (in parte octava, post Missas et Orationes diversas pro Defunctis), sub titulo : « Benedictiones ab Episcopis vel aliis facultatem habentibus faciendæ. »

Nota. II. In Appendice Ritualis Romani recensentur quædam « Benedictiones reservatæ, ab Episcopo vel Sacerdotibus facultatem habentibus faciendæ. » Notandum est, quod istæ Benedictiones indicantur tamquam « reservatæ », sed inde non sequitur eas omnes esse proprias Episcopis; pleræque tales quidem sunt, ex. gr. Benedictio Ostensorii, Capsarum pro Reliquiis Sanctorum includendis, Ornamentorum in genere, etc.; pro quibus facultas Episcopi requiritur; sed et aliæ ibi describuntur, quæ reservatæ nuncupantur, eo quod non omnes Sacerdotes eas peragere possunt, sed tantum ii, quibus permittitur a Sancta Sede ; talis est, ex. gr., « Benedictio puerorum et puellarum in Festis piæ Unionis a Sancta Infantia nuncupatæ; » quæ concessa fuit Sacerdotibus hujus operis Directoribus, vel aliis in casu delegatis ; hæc itaque reservata est, sed non ideo pertinet ad Episcopos. (Cfr. Nouvelle Revue Théologique, XXI, 1889, pag. 108.)

Q. 327. *Quænam Benedictiones sunt de jure Parochi ?*

R. De jure Parochi sunt sequentes Benedictiones :

1. Benedictio Nuptiarum, modo tamen ipse Parochus Missam celebret infra quam hæc Benedictio datur; sed alius Sacerdos id facere non potest, nisi cum licentia aut consensu Parochi, aut Ordinarii. (Cfr. Q. 310.)

2. Benedictio Fontis baptismalis in Sabbato Sancto, et in Vigilia Pentecostes, fieri debet a Parocho (S. Rituum Congregatio, Decret. 12 Januarii 1704, n. 2123, antiq. 3670, ad 6) ; sed debet ipse etiam celebrare Mis-

sam quæ sequitur (S. Rituum Congregatio, Decret. 1 Septembris 1838, n. 2783, antiq. 4638).

3. Benedictio domorum in Sabbato Sancto etiam est de jure Parochi,quia de eo mentio fit in rubrica Ritualis (Tit. VIII, Cap. 4). Hæc Benedictio in nostris regionibus non est in usu.

Idem videtur dicendum de alia Benedictione domorum,alio tempore per annum facienda (Tit.VIII,Cap.5); plures tamen auctores hoc non admittunt, hancque ab omnibus Sacerdotibus absque Parochi licentia fieri posse censent.

4. Benedictio mulieris post partum debet impertiri, juxta Statuta Diœcesis Mechliniensis (n. 230), « a proprio Parocho ejusve substituto,... et quidem in ecclesia parochiali, vel in sacello publico. » Decreta S. Rituum Congregationis, quibus declaratum fuerat hanc Benedictionem ubique spectare ad Parochum, e nova editione anni 1898 expuncta fuerunt ; et per novum Decretum (21 Novembris 1893, n. 3813, ad 2), S. Congregatio decernit : « Benedictionem mulieris post partum fieri debere a Parocho, si expetitus ipse fuerit : posse autem fieri a quocumque Sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacumque Ecclesia vel Oratorio publico, certiore facto Superiore Ecclesiæ. »

Nota. Benedictiones solemnes candelarum, cinerum, et palmarum, in Missali Romano descriptas, non esse de juribus mere parochialibus declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 12 Januarii 1704, n. 2123, antiq. 3670, ad 5). Fieri debent omnino istæ Benedictiones ab illo, quicumque sit, Sacerdote qui Missam celebrat immediate post eas. (S. Rituum Congregatio, Decret. 22 Martii 1653, n. 946, antiq. 1663 ; et 1 Septembris 1838, n. 2783, antiq. 4638.) Solus Episcopus Ordinarius potest has Benedictiones peragere, et alteri remittere sequentis Missæ celebrationem.

Q. 328. *Quænam Benedictiones a quocumque Sacerdote fieri possunt ?*

R. 1° A quocumque Sacerdote fieri possunt, sine delegatione Episcopi, omnes Benedictiones quæ reperiuntur in Missalis Romani parte octava (post Missas

et Orationes pro Defunctis), et in Rituali Romano, inde a Benedictione aquæ, usque ad Benedictiones ab Episcopo vel aliis facultatem habentibus faciendas (in Rituali, Tit. VIII, a Cap. 2 ad Cap. 20 exclusive) ; item quæ reperiuntur in Appendice Ritualis Romani, et pro quibus expressa facultas vel licentia non requiritur. Multas et varias esse hujusmodi Benedictiones, ex Nota in fine responsi patebit.

2° A quocumque Sacerdote possunt etiam simplici Benedictione benedici Cruces Altarium et Processionum (S. Rituum Congregatio, Decret. 12 Julii 1704, n. 2143, antiq. 3697, ad 2) ; necnon imagines Sanctorum, etiamsi publicæ venerationi in Ecclesiis exponendæ sint ; ea tamen conditione, ut earum Benedictio fiat privatim, absque apparatu; nam harum rerum Benedictio est Episcopis propria, ita ut eorum delegatio requiratur (cfr. QQ. 325, 326, B, 4), sed tantum quando ea fit publice, cum concursu populi, cum solemnitate, cantu, et pluribus ministris.

3° Item a quocumque Sacerdote sine delegatione benedici potest Oratorium privatum seu domesticum, ubi Missæ Sacrificium celebratur, vel Cappella, in qua Missa non celebratur; quia pro his non datur Benedictio propria, et adhibetur tantum simplex Benedictio loci (Rituale, Tit. VIII, Cap. 6).

Animadvertendum tamen est, in his servandas esse conventiones, constitutiones synodales, et immemorabiles consuetudines, si quæ alicubi existant. Item, sæpius decere saltem, ut Sacerdotes subditi, ex. gr. Vicarii non in his agant, antequam Parochum præmoneant, vel Parocho invito.

Nota. Juvat aliquas enumerare ex diversis Benedictionibus quæ in Rituali Romano, vel in ejus Appendice reperiuntur, et quæ a quocumque Sacerdote fieri possunt.

Personarum Benedictiones, pro diversis circumstantiis in quibus potissimum divino egent auxilio, describuntur in Appendice Ritualis sequentes :

Adulti ægrotantis; — plurium infirmorum; — mulieris prægnantis in periculis partus; — infantis; — pueri ad obtinendum super ipsum misericordiam Dei;

— puerorum cum præsertim in Ecclesia præsentantur; — puerorum ægrotantium; — etc.

Rerum, quæ hominem circumdant, quas homo possidet, vel quibus utitur, ut sint ad salutem animæ et corporis, Benedictiones habentur sequentes :

In Rituali : domus novæ; — domorum (per annum, extra Sabbatum Sanctum); — loci; — thalami; — navis; — frugum et vinearum; — agni paschalis; — ovorum; — panis; — novorum fructuum; — ad quodcumque comestibile; — olei simplicis; — etc.

In Appendice Ritualis : domus scholaris noviter erectæ; — seminum et segetum; — cujuscumque medicinæ; — cerevisiæ; — volucrum; — apum; — pecorum et jumentorum; — equorum et animalium; — animalium peste vel alio morbo laborantium; — salis et avenæ pro animalibus; — stabuli equorum, boum et aliorum armentorum; — fontis; — putei; — et cæterarum multarum rerum; et ne quid desit, cui per Benedictionem aliquid boni tribuatur, datur « Benedictio ad omnia, » scilicet pro omnibus rebus, de quibus specialis Benedictio non habetur in Rituali.

Sufficiat hæc enumeratio Benedictionum (quarum series in Rituali ejusque Appendice reapse duplo major existit); ex ea satis superque patet, quæ sit Ecclesiæ mens, ut Sacerdotes nempe identidem, at cum prudentia tamen atque judicio, eas adhibeant ad fidelium adjutorium et multiplex solamen. Igitur faciles sese præbeant, ut suorum fidelium necessitatibus subveniant, per hujusmodi convenientia remedia. Studeant tamen insimul ab omni superstitione, et temeraria in earumdem usu fiducia fideles avertere.

Q. 329. *Quid notandum est de Benedictionibus quæ propriæ sunt nonnullorum Ordinum Regularium?*

R. I. In Appendice Ritualis describuntur variæ Benedictiones, quæ propriæ sunt nonnullorum Ordinum Regularium, quæ igitur fieri possunt a Sacerdotibus qualificatis respectivi Ordinis, cui propria concessa fuit Benedictio, sed non a Sacerdotibus sæcularibus, aut alterius Ordinis. Ex eis sequentes speciatim hic notantur :

Methodus pro erigendis Stationibus Viæ Crucis, propria Ordinis Minorum Observantium S. Francisci ; — Ritus erigendi Stationes Viæ Matris dolorosæ, seu in honorem Septem Dolorum B. Mariæ V., propria Ordinis Servorum B. Mariæ V.

Benedictio et impositio Scapularis SS. Trinitatis, propria Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum ; — Scapularis B. Mariæ V. de Monte Carmelo, propria Ordinis Carmelitarum ; — Scapularis cærulei B. Mariæ V. Immaculatæ, propria Clericorum Regularium Theatinorum ; — Scapularis nigri Septem Dolorum B. Mariæ V., propria Ordinis Servorum B. Mariæ V. ; — Formula benedicendi quatuor Scapularia SS. Trinitatis, B. Mariæ V. de Monte Carmelo, Immaculatæ Conceptionis, ac Septem Dolorum, pro Sacerdotibus Congregationis SS. Redemptoris ; — etc.

Benedictio Rosariorum B. Mariæ V., propria Ordinis Prædicatorum; — Coronæ Septem Dolorum B. Mariæ V., propria Ordinis Servorum B. Mariæ V. ; — etc.

Benedictio Cinguli S. Thomæ Aquinatis, propria Ordinis Prædicatorum ; — Chordæ S. Francisci Assisiensis, propria Ordinis Minorum Conventualium ; — etc.

Benedictio Numismatum S. Benedicti, propria Ordinis S. Benedicti.

Benedictio aquæ S. Alberti, approbata pro Ordine Carmelitarum Excalceatorum ; — aquæ S. Ignatii, approbata pro Societate Jesu ; — aquæ S. Vincentii Ferrerii, pro infirmis, propria Ordinis Prædicatorum ; — aquæ S. Vincentii a Paulo, pro infirmis, propria Congregationis Missionis ; — etc.

Nota. In eadem Appendice Ritualis describuntur etiam aliquot Benedictiones approbatæ pro quibusdam particularibus Diœcesibus; ex. gr., Benedictio aquæ in honorem S. Willibrordi, approbata pro Archidiœcesi Coloniensi; — Benedictio S. Huberti, seu aquæ, salis et panis in honorem S. Huberti, approbata pro Archidiœcesi Coloniensi; — Benedictio panis et aquæ sub invocatione S. Machuti Episcopi, approbata pro Diœcesi Buscoducensi; — etc.

II. Omnes supradictæ Benedictiones nonnisi a Sacerdotibus specialem facultatem habentibus adhiberi possunt. Facultas obtinetur, sive per Apostolicum Indultum, sive a respectivis Superioribus Regularium Ordinum qui eam concedere valent. Sacerdotes qui sodales sunt quarumdam Associationum piarum, aut zelatores quorumdam Piorum Operum, eo ipso habent, sub quibusdam conditionibus, facultates speciales impertiendi nonnullas ex præcitatis Benedictionibus.

Quando a Sede Apostolica obtinetur hujusmodi facultas, regulariter notatur in Breve concessionis, quod tantum valet de consensu Ordinarii.

Unusquisque sedulo inquirat ex litteris concessionis alicujus facultatis, quid præcise possit facere, et sub quibus conditionibus, ne munera temere, aut imperite umquam usurpet.

Episcopi hac in re nihil possunt absque Indulto Apostolico, uti declaravit S. Rituum Congregatio, per Decretum 2 Decembris 1881 (n. 3533, antiq. 5828, ad 3) : Ad dubium : « Num Episcopus, et ab eo delegati Sacerdotes eas (Benedictiones proprias Ordinum Regularium) impertiri possunt, maxime si in propria Diœcesi Religiosi Ordinis illius non existunt ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Negative, absque Apostolico Indulto. »

Nota. Benedictiones pro quibusdam Diœcesibus approbatæ extra has Diœceses non possunt adhiberi sine Apostolico Indulto.

Q. 330. *Quænam res de præcepto sunt benedicendæ ? Quid de aliis dicendum est ?*

R. 1. De præcepto benedici debent : 1° primarius lapis pro Ecclesia ædificanda ; 2° Ecclesia, seu Oratorium publicum, « ut ibi Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrari possit » (Rituale, Tit. VIII, Cap. 27, in Titulo) ; « Ecclesia vero, quamvis a simplici Sacerdote, ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est (ibid. n. 13). Oratorium privatum, seu domesticum, etiam est benedicendum ad eumdem finem ; benedicitur vero, non solemni Benedictione, ut supra, sed tantum simplici Benedictione loci.

Constructiones quæ, occasione erectionis novæ Parochiæ, aliquando ad tempus tantum inserviunt pro Officiis ecclesiasticis in eis peragendis, et postea ad alium finem inservient, non possunt benedici solemni Benedictione Ecclesiæ, vel Oratorii publici, quæ constitutiva est, sed benedicuntur simplici Benedictione loci. (Cfr. Q. 342.)

2° Cæmeteria (Rituale, Tit. VI, Cap. 1, n. 18; cfr. Q. 343).

3° Paramenta sacra, quæ adhibenda sunt pro celebratione Missæ, sive Altaris (mappæ), sive Calicis (corporale, palla), sive Celebrantis et Ministrorum sacrorum (amictus, alba, etc.). De his singulis agitur in Quæstione 338, et in Tractatu de Celebratione Missæ.

4° Vasa sacra, quæ inserviunt Sacrificio Missæ, aut SS. Eucharistiæ servandæ : Calix et Patena consecrantur, sacra Unctione adhibita (pro his cfr. Tractatus de Celebratione Missæ) ; Tabernaculum vero et reliqua benedicuntur tantum (cfr. QQ. hujus Tractatus 154, VII; 157, 5° ; 159, 3 ; et 338).

5° Aqua quæ benedicta inservit, tum in Ecclesiis pro diversis functionibus, tum usui particulari fidelium (Rituale, Tit. VIII, Cap. 2 ; cfr. Q. 337).

II. A) Ornamenta Ecclesiæ, et Altaris (præter mappas) de præcepto non sunt benedicenda. Equidem in Dedicatione seu Consecratione Ecclesiæ aut Altaris fixi Episcopus, consecrato Altari, procedit ad solemnem et generalem Benedictionem « tobalearum, vasorum et ornamentorum Ecclesiæ, et Altaris consecratorum » ; per vasa et ornamenta hic intelligi debere videntur saltem Cruces Altarium, et candelabra ; quia statim post Benedictionem præcipit Pontificale ut ministri vestiant « Altare tobaleis, et ornamentis benedictis, ponentes desuper Crucem et alia ornamenta. » Hæc igitur in casu Consecrationis Altaris de præcepto benedicenda sunt ; sed hic agitur de præcepto Benedictionis horum vasorum et ornamentorum, extra casum Dedicationis seu Consecrationis Ecclesiæ aut Altaris. Declaravit S. Rituum Congregatio, quod Cruces Altarium et Processionum non sunt de præcepto benedicendæ (Decret. 12 Julii 1704, n. 2143, antiq. 3697, ad 1). Idem dicendum est de Imaginibus Domini Nostri, B. Mariæ V.,

et Sanctorum, etiam cum publicæ venerationi et ad cultum exponuntur; decet tamen quam maxime ut illæ Imagines benedicantur; et solent benedici solemniter ab Episcopo, vel a Sacerdote delegato; si privatim benedicuntur, fieri potest a quocumque Sacerdote.

B) Benedictiones Candelarum, die 2 Februarii; Cinerum, in Feria IV in Capite jejunii; et Palmarum, in Dominica Palmarum, quæ describuntur in Missali Romano, statuit et declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 21 Novembris 1893, n. 3813, ad 1), « esse ex obligatione faciendas in omnibus Ecclesiis Collegialibus; in aliis autem posse fieri. »

Hic tamen liceat animadvertere, quod istæ Benedictiones ex antiquissima et generali consuetudine fiunt in omnibus nostris Ecclesiis parochialibus; quæ consuetudo talis est, ut Parochi non sit eam in sua Ecclesia abrumpere, nisi prius Episcopum audiat; sunt enim istæ functiones publicæ, quas populus exspectare solet, quarum omissione non tantum valde minueretur cultus et devotio, sed daretur occasio scandali.

Nota. I. Benedictio Cinerum fieri potest etiam separatim a Missa, cum precibus et ritibus ut in Missali describuntur, si datur causa rationabilis; in Ecclesiis collegialibus tamen numquam potest omitti solemnis Benedictio ante Missam conventualem.

Nota. II. Extra dies prædictos istæ Benedictiones, quales in Missali describuntur, numquam fieri possunt. Si extra diem 2 Februarii candelæ sint benedicendæ, adhibetur Benedictio peculiaris quæ in Rituali Romano describitur (Tit. VIII, Cap. 3).

C) Fontis baptismalis aqua benedici debet in omnibus nostris Ecclesiis quæ Fontem habent; et quidem bis in anno, nempe Sabbato Sancto, et in Vigilia Pentecostes; et eo ritu qui in Missali describitur. (S. Rituum Congregatio, Decret. 13 Aprilis 1874, n. 3331, antiq. 5584; et 7 Junii 1892, n. 3776.)

D) Cæteræ omnes Benedictiones quæ in Missali aut in Rituali describuntur, ex gr., domus, panis, fructuum, animalium, etc., benedicuntur tantum de convenientia, et juxta prudens judicium, ad salutem animarum et juvamen.

Q. 331. *Quinam libri, aut quænam formulæ adhiberi debent ad impertiendas Benedictiones ?*

R. Ad impertiendas Benedictiones abhiberi debent a Sacerdotibus omnino et exclusive Missale Romanum aut Rituale Romanum, aut tales formulæ quas certum est fuisse ab Apostolica Sede approbatas. Non sufficit ut Benedictiones reperiantur in uno alterove libro, etiam aliquam approbationem, sed non Sanctæ Sedis, habentes. Declaravit S. Rituum Congregatio, quod pro Benedictionibus sint « illi soli libri adhibendi, et illæ tantum Benedictiones, quæ Rituali Romano sunt conformes » (Decret. 7 Aprilis 1832, n. 2689, ad 4, antiq. 4681, ad 5) ; « nec aliæ adhibeantur ; dummodo non constet ab hac Sacra Congregatione fuisse approbatas » (Decret. 23 Maji 1835, n. 2725, antiq. 4748, ad 9).

Caveant igitur Sacerdotes alias Benedictiones adhibere ; nam omnes formulæ non specialiter approbatæ a Sancta Sede proscribuntur per Decreta de libris prohibitis.

Formulæ Benedictionum ex Rituali, quæ propriæ sunt Ordinum Regularium, aut quæ approbatæ sunt pro quibusdam Diœcesibus tantum, non possunt ab omnibus Sacerdotibus adhiberi, sed tantum ab iis qui specialem facultatem acceperunt, aut illius Diœcesis sunt ; ita ex. gr. pro Benedictione panis in Festo S. Huberti, in Diœcesi Mechliniensi debet adhiberi formula quæ prostat in Rituali (Tit. VIII, Cap. 15 vel 16), et non potest adhiberi ea quæ approbata fuit pro Diœcesi Coloniensi, vel Buscoducensi.

Quod si res quædam benedicenda præsentatur, pro qua non reperitur in Rituali congrua formula, tunc adhiberi potest « Benedictio ad omnia, » quæ describitur in Appendice Ritualis. In tali casu sufficit etiam signum Crucis manu efformatum super rem benedicendam, cum formula : *In nomine Patris, etc.*, et rei aspersio cum aqua benedicta.

Q. 332. *In quo loco faciendæ sunt Benedictiones ?*

R. I. Quædam Benedictiones fieri debent ad Altare; nempe Candelarum, 2 Februarii ; Cinerum, in Feria IV in Capite jejunii ; Palmarum, in Dominica Palma-

rum. Candelæ tamen, et Palmæ poni debent, non super Altare, sed ante ipsum, aut a parte Epistolæ ; Cineres vero ponuntur in aliquo vase super Altare.— Item faciendæ sunt ad Altare Benedictio nuptialis, Benedictio mulieris post partum.

Nota. Quoad Candelas et Palmas signandus est usus fidelium, qui eas secum afferunt, et manu tenent in ecclesia, dum fit Benedictio earum quæ ponuntur ad Altare : ad valorem Benedictionis præsentia moralis sufficit ; sed quanta propinquitas sufficiat pro morali præsentia dubium est, et ex morali prudentum judicio pendet. Certum tamen est eas non esse benedictas, quæ sub vestimentis, aut quasi absconditæ retinerentur.

II. Aqua baptismalis benedici debet in ipso Baptisterio, in Fonte baptismali (cfr. Q. 337, Nota II).

III. Si locus benedicendus est, Benedictio fit, ut patet, in ipso loco. Sacerdos dicit Orationem in præcipua, aut honestiori parte loci, et aspergit hanc et alias loci partes ; ex. gr., in domo aspergit præcipua domus loca, et Orationem dicere poterit in principaliori et honestiori loco domus. Ordinarie nihil ibi præparandum præscribitur. Fideles tamen qui petunt domum suam benedici, valde congruenter in principali loco solent præparare mensam cum Imagine Crucifixi, aut Sancti, cum lumine, et ornatu ; in quo certe laudandi sunt ; sed Rubrica id non requirit.

IV. Pro reliquis rebus quibuscumque benedicendis, unum notat Rituale quoad locum ubi benedicuntur : Sacerdos « caveat, ne Benedictionis causa ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta ; sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratam. » (Tit. VIII, Cap. 1, n. 7).

Super Altare poni possunt, etsi non requiratur, paramenta sacra, vasa sacra ; eadem et reliqua omnia præparari pro Benedictione possunt et benedici, sive prope Altare, a parte Epistolæ, sive ante Altare, sive in ecclesia, sive in sacristia, sive in alio loco, modo sit honestus.

Q. 333. *Quibus sacris vestibus, et cujus coloris, indutus esse debet Sacerdos pro Benedictionibus ?*

R. I. Pro Benedictionibus quæ in Altari fiunt, et relationem habent cum Missa, quales sunt Benedictiones solemnes Candelarum, Cinerum, et Palmarum, Sacerdos induere debet amictum, albam, cingulum, et stolam violacei coloris, non vero manipulum, neque planetam; si haberi potest, induit etiam pluviale. (Rubricæ generales Missalis, Tit. XIX, n. 4.) Quando Benedictio Cinerum ex causa rationabili fit separatim a Missa, Sacerdos induit tantum superpelliceum et stolam violaceam.

II. Pro Benedictione Fontis baptismalis, in Sabbato Sancto, et in Vigilia Pentecostes, Sacerdos indutus esse debet amictu, alba, cingulo, stola et pluviali violacei coloris.

III. Pro Benedictione Nuptiarum, quia hæc fit intra Missam, Sacerdos indutus est omnibus paramentis pro Missa requisitis, et retinet ea pro Benedictione, etiam planetam et manipulum. Paramenta sunt ejus coloris qui Missæ convenit.

IV. Pro Benedictionibus quæ nullam cum Missa relationem habent, Sacerdos induit ea paramenta, ejusque coloris, quæ pro quibusdam in particulari specialiter a Rituali sunt præscripta; ita præscribuntur et induenda sunt amictus, alba, cingulum, stola et pluviale albi coloris, pro Benedictione primarii lapidis Ecclesiæ ædificandæ; item pro Benedictione Ecclesiæ, vel Oratorii publici.

V. Pro plerisque tamen hujusmodi Benedictionum nihil specialiter præscribitur in Rituali; et usuvenit regula generalis sequens, quam tradit Rituale (Tit. VIII, Cap. 1, n. 2): « In omni Benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo, et stola pro ratione temporis utatur. » Ergo induere debet Sacerdos saltem superpelliceum, et stolam; si cum quadam solemnitate et apparatu Benedictio fit, et si placet, addere poterit pluviale.

Quoad colorem stolæ et pluvialis notandum est:

a) Si Rituale designat colorem, is profecto tenendus est; ita pro Benedictione aquæ, quæ fit diebus Dominicis, præscribitur stola violacei coloris Sacerdoti qui aquam benedicens non celebrat sequentem Missam

principalem ; aliis diebus etiam stolæ color pro hac Benedictione semper est violaceus, ratione Exorcismi.

Si Sacerdos qui diebus Dominicis Aspersionem facit et Missam principalem celebrat, ipse ante Aspersionem aquam benedicit, induit jam pro hac aquæ Benedictione amictum, albam, cingulum, et stolam ejus coloris qui Missæ convenit. (Cfr. Q. 337, III.)

b) Si naturæ rei benedicendæ aliquis ex usitatis ab Ecclesia coloribus respondet, rectus liturgicus sensus innuit hunc colorem adhiberi posse ; ita, ex. gr., pro Benedictione Imaginis B. Mariæ Virginis recte adhibebitur color albus (eo vel magis quod iste color præscribitur in casu a Pontificali Romano, quando Episcopus benedicit hujusmodi Imaginem) ; similiter pro Benedictione Imaginis alicujus Sancti Martyris convenit color rubeus. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 217.)

c) Si nullus ex liturgicis coloribus respondet naturæ rei benedicendæ, ut si domus nova, panis, etc., sunt benedicenda, adhibetur color « pro ratione temporis, » id est, color Officii diei in qua fit Benedictio, nempe, vel albus, vel rubeus, vel viridis, vel violaceus.

Q. 334. *Describe ritus servandos in Benedictionibus.*

R. Prænotatur quod in hoc responso agitur tantum de ordinariis seu simplicibus Benedictionibus ; ritus solemniorum Benedictionum, nempe Candelarum, Cinerum, Palmarum, Fontis baptismalis, describuntur in Missali Romano suis respectivis anni diebus, et exponuntur in hujus operis Tomo V (Cæremoniale) ; et de quarumdam aliarum solemniorum Benedictionum ritu, ex gr., Ecclesiæ, vel Oratorii publici, dicetur in Articulo sequenti.

Ritus servandos in Benedictionibus generatim exponit Rituale sequentes (Tit. VIII, Cap. 1) :

1° « Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat ministrum cum vase aquæ benedictæ et aspergillo, et cum hoc Rituali libro, seu Missali. » Si cum apparatu placet facere Benedictionem aliquam, ex. gr., Imaginis B. Mariæ V., certe plures ministros habere nihil impedit.

2° Sacerdos « stando semper benedicat, et aperto capite. » Si res benedicendæ ponuntur super Altare, vel prope Altare a parte Epistolæ, Sacerdos pro Benedictione stat ad Altare, in cornu Epistolæ, facie versa ad Altare; alias stat ante res benedicendas, ubicumque ponantur. Rituale, vel Missale ponitur super legile in cornu Epistolæ, vel alias tenetur, sive a ministro ante Sacerdotem, sive ab ipso Sacerdote.

3° Sacerdos « in principio cujusque Benedictionis dicat : ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* » Rituale nihil dicit de Crucis signo faciendo ad verba : *Adjutorium nostrum, etc.;* nonnulli auctores docent quod interea Sacerdos signo Crucis a fronte ad pectus seipsum signat.

4° Sacerdos dein dicit : *Dominus vobiscum*, et minister respondet : *Et cum spiritu tuo.* Si Sacerdos stat ad Altare, aut alias renibus versis ad populum, numquam ad hæc verba se vertit ad populum; neque manus extendit, sed junctas eas tenet.

5° Sacerdos dicit Orationem Benedictionis, præmisso *Oremus*, quod dicens caput profunde inclinat; et si stat ad Altare, hanc inclinationem facit versus Crucem Altaris; manus autem non extendit.

Si Benedictio fit in cantu, Sacerdos Orationem cantat in tono feriali, nempe cum unica vocis inflexione in fine Orationis, et in fine conclusionis. Si in Oratione occurrit nomen *Jesu*, inclinat caput profunde, ut supra ad verbum *Oremus;* caput etiam inclinat ad nomen B. Mariæ V., versus librum. Sacerdos totam Orationem dicit manibus junctis; et numquam eas disjungit, nisi cum occurrat in Oratione ad quædam verba signum Crucis; tunc dextera facit signum Crucis versus rem benedicendam; et interea, si stat ad Altare, sinistram ponit super Altare, alias eam ponit contra pectus, nisi ipse librum teneat.

6° Dicta Oratione, aut, si plures sunt, dicta ultima Oratione, Sacerdos accipit a ministro aspersorium, et mox rem benedicendam aspergit; hæc aspersio fit ut de more ter, in medio scilicet, a dextris, et a sinistris rei benedicendæ; interea nihil dicit. (Paucissimæ sunt Benedictiones, in quibus præscribitur dicenda Anti-

phona *Asperges me, etc.*, interea dum fit aspersio.)

Si in quadam Benedictione præscribitur una cum aspersione rei benedicendæ, ejusdem incensatio, quod rarius fit, tunc Sacerdos, dicta Oratione, primo imponit incensum in thuribulo, cum consueta Benedictione : *Ab illo benedicaris etc.*; dein aspergit rem benedicendam; et postea eamdem ter adolet incenso, eodem modo quo eam aspersit, nihil interea dicens.

ARTICULUS II

DE QUIBUSDAM BENEDICTIONIBUS IN SPECIE

335. In hoc Articulo proponuntur quædam notatu digna de variis Benedictionibus quæ aliquando sunt faciendæ. Quædam Benedictiones jam occurrerunt in præcedentibus Titulis Ritualis, et hujus Tractatus, scilicet :

1° De Benedictione Fontis baptismalis extra Sabbatum Paschæ et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur, agitur in Rituali Romano, Titulo II, Capite 7, et notantur quædam in hoc Tractatu, Q. 125. Quod si dubium alicui sit de modo unam alteramve cæremoniam peragendi, recurri potest ad Tomum V hujus operis (Cæremoniale), ubi ritus exponuntur, tum pro solemni Benedictione, tum pro eadem a solo Parocho facta, juxta Memoriale Rituum pro minoribus Ecclesiis.

2° De ritu Benedictionis Apostolicæ, in articulo mortis, agitur in Rituali, Titulo V, Capite 6; et in hoc Tractatu, QQ. 241 ad 245.

3° De Benedictione Nuptiarum agitur in Missali Romano, in Missa pro sponso et sponsa, ejusque ritus exponuntur in præsenti Tractatu, QQ. 309 ad 312.

Restat ut quædam dicantur de Benedictione mulieris post partum, de qua agitur in Rituali, Titulo VII, Capite 3; et dein de quibusdam Benedictionibus in Titulo VIII descriptis, pro quibus servabitur ordo Ritualis.

Q. 336. *Ex quo motivo, quibus mulieribus, a quo, ubi, quando, et quo ritu datur Benedictio mulieri post partum?*

R. I. **Ex quo motivo** : Juxta piam et laudabilem consuetudinem, nulla tamen lege obligante, christianæ mulieres, exemplum imitantes Deiparæ Virginis quæ ex humilitate legi se subdidit cui non erat obnoxia, post partum per aliquod tempus, ex reverentia erga Ecclesiam ac divina mysteria quæ in ea peraguntur, ab ingressu Ecclesiæ se abstinent; nec in eam intrant, nisi se Sacerdoti præsentent, qui, precibus quibusdam præmissis, juxta ritum præscriptum in Rituali illas introducit, ad Deo gratias pro sua incolumitate agendum, et Benedictionem a Sacerdote accipiendum.

Mulieres laudabiliter solent prolem secum ad Ecclesiam deferre, ad imitationem B. Mariæ Virginis, ut eam Deo offerant; hoc tamen non præscribitur, et etiam prole mortua Benedictionem hanc accipere possunt ; ex precibus videtur sola mulier subjectum hujus Benedictionis.

II. **Quibus mulieribus** : Dari potest hæc Benedictio tantum iis catholicis mulieribus, quæ ex legitimo matrimonio pepererunt; ita ut deneganda sit illis, quæ vel per fornicationem vel per adulterium pepererunt. Benedictio tamen legitime impertitur illi mulieri quæ per fornicationem vel per adulterium concepit, modo subsequens matrimonium omnia ante partum sanaverit et purgaverit.

Declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 19 Maji 1896, n. 3904), « non esse negandam Benedictionem » puerperæ, cujus proles mortua fuerit sine Baptismo.

III. **A quo** : In Diœcesi Mechliniensi hæc Benedictio impertitur « a proprio Parocho, ejusve substituto,... et quidem in Ecclesia parochiali, vel in Sacello publico. » (Stat. Diœc., n. 230 ; cfr. Q. 327, ad 4.)

IV. **Ubi** : Ex natura et ritu hujus Benedictionis abunde patet, ipsam non posse dari nisi in Ecclesia, aut in Oratorio publico; insuper ratio prudentiæ dictat, indecens esse, ut Sacerdos pro ea danda ad domum mulieris accedat.

V. **Quando** : Nullum tempus determinatur pro hac Benedictione accipienda, sed mulieres sese præsentant,

prout circumstantiæ et partus incommoda permittunt, elapsis aliquot a partu diebus.

Nullum diei tempus quoque determinatum præscribitur; solent apud nos, et laudabiliter, mulieres accedere tempore matutino, ita ut SS. Sacrificio Missæ interesse possint ; sed nulla datur obligatio.

Nota. Si quæ mulier Missam petat celebrari, occasione suæ Benedictionis, hujusmodi Missa nullo gaudet privilegio; et tantum votiva dici potest iis diebus quibus Missæ votivæ privatæ permittuntur; quod si Missa petitur in honorem B. Mariæ Virginis, dicitur una ex quinque votivis, quæ de B. Maria V., pro diversitate temporis anni, in fine Missalis assignantur; sed numquam dici potest Missa propria Festi Purificationis B. Mariæ V.

VI. Quo ritu : 1. Sacerdos induit superpelliceum et stolam; hæc præscribitur coloris albi, ratione mysterii Purificationis B. Mariæ V., in cujus memoriam peragitur hæc Benedictio.

2. Sacerdos « cum ministro aspergillum deferente, ad fores Ecclesiæ accedit, ubi illam (mulierem) foris ad limina genuflectentem, et candelam accensam in manu tenentem, aqua benedicta aspergit. » Plerumque in nostris regionibus brumale tempus non permittit urgere mulieres, ut foris ad limina Ecclesiæ exspectent; sed earum et prolis debilis conditio sufficiens erit motivum, ut intra Ecclesiam se sistere possint.

Sacerdos ter aspergit mulierem, in medio scilicet, ad ejus dexteram, et ad ejus sinistram; interea nihil dicit.

3. Sacerdos mox post aspersionem, remanens conversus ad mulierem, dicit ℣. *Adjutorium nostrum, etc.*, et Psalmum cum Antiphona ; dein porrigit ad manum dextram mulieris extremam partem sinistram stolæ, et se convertens ad interiorem Ecclesiam, ad dexteram mulieris, quasi præeundo eam introducit in Ecclesiam, dicens : *Ingredere in templum Dei, etc.*

Mulier tenens stolæ extremitatem sequitur Sacerdotem.

4. Sacerdos ducit mulierem ad Altare ubi solet hæc Benedictio dari; cum ad Altare pervenerint,

mulier relinquit stolam, et genuflectit in infimo gradu ; Sacerdos caput inclinat ad Crucem, vel genu dextrum flectit si habetur in Altari Tabernaculum, ascendit ad suppedaneum, convertit se ad mulierem, et se sistit non in medio, sed aliquantum versus cornu Epistolæ.

5. Sacerdos dicit præscriptas preces. Post Orationem, Sacerdos accipit a ministro aspersorium, et dum dicit : *Pax et benedictio, etc.*, ter aspergit mulierem, in medio cum dicit : *Patris*, ad ejus dexteram, cum dicit : *et Filii*, ad ejus sinistram, cum dicit : *et Spiritus sancti*.

6. Mulier, accepta Benedictione, discedit de Altari ad locum in Ecclesia. Sacerdos convertit se ad medium Altaris, et caput inclinat ; descendit, ante gradus caput inclinat, vel genu dextrum flectit, ut supra, et discedit ad sacristiam.

Q. 337. *Quando, ubi, et quo ritu facienda est Benedictio aquæ?*

R. I. **Quando** : « Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur, » ait Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. VI, n. 2). Ita præscribitur, tum ad evitandam facilem aquæ corruptionem, tum quia frequentior est ejus in variis ecclesiasticis functionibus usus, tum quia « Christifideles possunt de ista aqua benedicta in vasculis suis accipere, et secum deferre, ad aspergendos ægros, domos, agros, vineas, et alia, et ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie et sæpius aspergi possint. » (Rituale, Tit. VIII, Cap. 2, n. 5.)

Juxta Rituale et Missale Benedictio aquæ fit diebus Dominicis, et cum ea ante Missam principalem aspergitur Altare et populus. Excipiuntur tantum duæ Dominicæ, Paschatis scilicet et Pentecostes, in iis Ecclesiis ubi habetur Fons baptismalis, quia in his Dominicis usuvenit aqua, quæ apud Fontem baptismalem pridie fuit benedicta, et extracta ante infusionem SS. Oleorum.

Rituale addit quod aqua insuper benedicitur « quandocumque opus fuerit ; » quæ Benedictio quocumque die et quacumque hora fieri potest.

II. **Ubi** : Diebus Dominicis, Benedictio aquæ, quam sequitur Aspersio et Missa principalis, juxta Missale fit in sacristia ; alias fit, juxta Rituale, in Ecclesia, vel in sacristia ; auctores addunt, eam ex causa rationabili fieri posse etiam in domibus privatis, et in quocumque honesto loco.

III. **Quo ritu** : Ritus simplex est, et non indiget expositione ; sequentia tamen notare juvat.

1. Diebus Dominicis, si aquæ Benedictio fit a Sacerdote, qui mox Aspersionem facturus, et Missam celebraturus est, is induit amictum, albam, cingulum, et stolam ejus coloris qui Missæ convenit ; si Benedictio fit ab alio Sacerdote,sive diebus Dominicis ante Aspersionem, sive quocumque die aut tempore, is induit superpelliceum, et stolam, quæ semper violacei coloris esse debet. (Cfr. Q. 333,V, a.)

2. Benedictio salis, per Exorcismum et Orationem, non debet fieri quotiescumque aqua benedicitur ; sed sal,semel pro hac aquæ Benedictione benedictus et servatus, adhiberi potest in sequentibus aquæ Benedictionibus, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 8 Aprilis 1713, n. 2218, antiq. 3853, ad 3).

3. Pro commixtione salis et aquæ, Sacerdos accipit pugillum salis inter digitos dextræ manus, et tria signa Crucis super aquam efformat, primum ad verba *In nomine Patris*, secundum ad verba *et Filii*, tertium ad verba *et Spiritus sancti;* ad cujusque Crucis lineas continuo salem in aquam mittit.

4. Si in pluribus vasis aqua benedicenda est, super omnia simul coram Sacerdote posita semel tantum dicuntur preces ; sed commixtio salis et aquæ in singulis fieri debet.

Nota. I. Aspersio Altaris et populi cum aqua benedicta solet fieri diebus Dominicis ante Missam principalem, a Sacerdote qui hanc Missam celebrat. Plerique auctores hucusque docuerunt, eam Aspersionem in Ecclesiis etiam parochialibus nequaquam omitti posse ; dicendum tamen, ex præsenti disciplina, Aspersionem in Ecclesiis parochialibus laudabiliter quidem fieri, sed non de præcepto esse faciendam.

Ea de re sequentia statuit S. Rituum Congregatio :

Ad Dubium : « Utrum in Ecclesiis Collegialibus Aspersio aquæ benedictæ de præcepto sit præmittenda Missæ Conventuali quæ canitur in Dominicis, sive cum Diacono et Subdiacono, sive absque sacris Ministris? Et utrum in Ecclesiis non Collegialibus eadem Aspersio præfatis diebus fieri saltem possit? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, ad utramque partem. » (Decret. 15 Decembris 1899, n. 4051, ad 1.)

Ergo Aspersio aquæ benedictæ in nostris Ecclesiis parochialibus, quarum nulla in præsenti est Collegialis, fieri potest, sed fieri non debet. — Cæremoniale Episcoporum notat (Lib. II, Cap. XXXI, n. 4), quod « si Episcopus celebrare voluerit solemniter, non esset facienda hujusmodi aquæ benedictæ Aspersio. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 108.)

Pro ritu Aspersionis cfr. Cæremoniale.

Nota. II. Solemnis est illa aquæ Benedictio, quæ cum peculiaribus ritibus fit in Sabbato Sancto, et in Vigilia Pentecostes, apud Fontem baptismalem, non tantum pro collatione Baptismi, sed etiam, ut ait Missale, ut inserviat « ad aspergendum in domibus et aliis locis. » Ad hunc finem jubet Missale aquam jam benedictam e Fonte baptismali extrahi, antequam Sacra Olea in Fontem, pro ulteriori aquæ ad solum Baptismum adhibendæ confectione, infundantur.

In Sabbato Sancto præsertim apud nos magna aquæ copia fidelibus distribuitur, qui eam habere valde cupiunt.

Cum amplus satis nullibi sit Fons baptismalis, ut ex eo tanta copia aquæ benedictæ hauriatur, quæritur quomodo fidelium desiderio satisfacere liceat. Sequentem methodum propositam probavit S. Rituum Congregatio, per Decretum 4 Septembris 1880 (n. 3524, antiq. 5818, ad 5) : Dubium : « Sabbato Sancto, nec non Sabbato in Vigilia Pentecostes, in Benedictione Fontis plerumque, si non semper, Fons baptismalis non potest capere aquam sat copiosam, ut Christifideles recipere queant in vasis (ante Olei infusionem) de hac aqua benedicta,ad eam habendam in suis domibus, cubiculis, etc. Igitur quæritur :

An liceat dolium vel aliud vas sat amplum aqua re-

fertum juxta Fontem ponere, et aquam in eo contentam benedicere secundum ritum præscriptum Sabbato Sancto usque ad effusionem Sancti Olei exclusive, et peracta hac prima parte Benedictionis, de dicta aqua in Fontem baptismalem fundere, et tum supra ipsum Fontem prosequi Benedictionem, ut in Missali legitur, relicta aqua, quæ remanet in dolio, usui fidelium ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Affirmative ; id est, licet perficere in uno tantum vase extra Fontem posito Benedictionem aquæ, deinde fundendæ in Fontem ipsum, ante immixtionem Sancti Olei. »

Animadvertere juvat, non posse in hac functione aquam benedici in Fonte simul et in aliis vasis prope Fontem positis ; Decretum enim permittit Benedictionem in uno vase tantum ; insuper diversi ritus in hac Benedictione sunt tales qui super diversis vasis congrue repeti non possunt.

Q. 338. *Quæ notanda sunt de Benedictione sacræ supellectilis Ecclesiarum ?*

R. I. **Quænam hic intelligitur sacra supellex.** — In hac Quæstione agitur de Benedictione hujus supellectilis Ecclesiarum, quam benedicere facultatem habent quidam Sacerdotes, in territorio determinato, ex delegatione Episcopi Ordinarii, vel etiam quandoque ex Indulto Apostolico ; scilicet : de paramentis Altaris, aut Calicis, aut Celebrantis et Ministrorum, et de Vasis sacris, quæ benedicuntur sine sacra unctione.

II. **Quæ supellex benedicenda est.** — Quod breviter dictum fuit Quæstione 330 (I, 3° et 4°), hic fusius determinatur.

1. Pro Altari, benedici debent mappæ, seu tobaleæ ; benedici possunt Crux, antipendium ; non benedicitur chrismale, quod usuvenit in Consecratione Altaris, neque tela stragula qua extra Officia Altare cooperitur.

2. Pro Calice, benedici debent corporale, et palla ; benedici possunt velum, et bursa ; non benedicitur purificatorium.

3. Pro Celebrante et Ministris, benedici debent amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula seu planeta ; pro dalmatica, tunicella, et pluviali præceptum

Benedictionis quoque exstat juxta plerosque auctores, unde ad minimum convenit ut hæc sicut prædicta benedicantur ; benedici possunt velum humerale, superpelliceum, et rochettum.

4. Pro cultu SS. Eucharistiæ, benedici debent ciborium, pyxis, custodia, et lunula ostensorii ; benedici potest ostensorium, nisi dicas illud debere benedici, eo ipso quod formula ejus Benedictionis inserta fuit in Appendice Ritualis Romani.

Nota. Ex recenti Decreto S. Rituum Congregationis dicendum est, quod etiam benedici debet Tabernaculum ; etenim, ad dubium : « Utrum Sacrum Tabernaculum..... sit benedicendum, priusquam Sacra Eucharistia in illo recondatur ? » S. Congregatio respondere censuit : « Affirmative. » (Decret. 20 Junii 1899, n. 4035, ad 4.)

(Quod in responso ad VII, Q. 154 hujus Tractatus, ante evulgationem præcitati Decreti impressum fuit, nempe saltem laudabiliter benedici Tabernaculum, reformari debet, cum dubium de præcepto non amplius exstet.)

5. Pro asservatione SS. Oleorum, et SS. Reliquiarum, benedici possunt vascula pro Sacris Oleis includendis, et capsæ pro Reliquiis Sanctorum includendis. Hucusque declaratio de obligatione Benedictionis horum vasorum expresse data non fuit, nisi dicatur ea de præcepto esse benedicenda, quia pro illis formulæ Benedictionis insertæ fuerunt in Appendice Ritualis Romani. Ita enim concludit Catalanus, in suis Commentariis ad Pontificale Romanum (Tit. II, § IV, n. V), ex eo quod in Pontificali habeatur Benedictio capsarum pro Sacris Reliquiis includendis, debere ab Episcopo benedici vasculum in quo reconduntur Reliquiæ pro Altari consecrando, etiamsi in rubricis de Dedicatione Ecclesiæ, aut Altaris, tantum dicatur Reliquias esse ponendas « in decenti et mundo vasculo, » nihil addito de vasculi Benedictione.

Nota. Sacra supellex, pro qua Benedictio requiritur, ante usum omnino benedicenda est iis ritibus et precibus, quæ pro singulis rebus præscribuntur ; non censenda est benedicta usu, id est, eo quod non bene-

dicta ad sacrum usum adhibita fuit ; etenim proposita fuit S. Rituum Congregationi sequens cujusdam auctoris assertio : « Si Sacerdos bona fide celebraverit cum vestimentis nondum benedictis, poterunt alii Sacerdotes cum iisdem rite celebrare ; quia per primam celebrationem bona fide factam, consecrata seu benedicta remanserunt. » Ad dubium : « Quæritur an hoc in praxi sequi tuto liceat ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 31 Augusti 1867, n. 3162, antiq. 5386, ad 7.)

III. **Quanam formula utendum est.** — Diversæ formulæ pro diversis sacræ supellectilis rebus benedicendis describuntur in Missali Romano, et in Rituali Romano ; quæ formulæ adhiberi debent a Sacerdotibus qui facultatem eas res benedicendi habent ; describuntur formulæ etiam in Pontificali Romano, sed quædam variæ sunt ab iis quæ in Missali et Rituali habentur ; propriæ sunt istæ Episcopis, et Sacerdotibus non licet eis uti. (Decret. S. Rituum Congregationis, 4 Septembris 1880, n. 3524, antiq. 5818, ad 2 ; et 2 Decembris 1881, n. 3533, antiq. 5828, ad 1.) Diversæ Missalis et Ritualis formulæ hic enumerantur ;

1. *Benedictio sacerdotalium indumentorum in genere* (Rituale, Tit. VIII, Cap. 20). Hæc usuvenit pro Benedictione amictus, albæ, cinguli, manipuli, stolæ, casulæ, dalmaticæ, tunicellæ, pluvialis, veli humeralis, superpellicei, rochetti. In Orationibus hujus Benedictionis, quæ tres sunt et omnes ordine suo dici debent, occurrit numerus pluralis ; si unum tantum ex iis indumentis benedicitur, « servanda tamen est formula in Missali Romano præscripta. » (S. Rituum Congregatio, Decret. 4 Septembris 1880, n. 3524, antiq. 5818, ad 2.) Hac prima Benedictione possunt etiam benedici antipendium Altaris, et Calicis velum ac bursa ; sed tantum simul cum aliis indumentis quæ supra recensentur, nam pro ipsis solis non præcise verificantur plura quæ in Orationibus dicuntur.

2. *Benedictio mapparum sive linteaminum Altaris* (ibid. Cap. 20). Inservit exclusive Benedictioni mapparum Altaris. Duæ Orationes ordine suo dicendæ sunt. Si una tantum mappa est benedicenda, servatur tamen

formula, prout in Missali aut Rituali describitur, juxta quod S. Rituum Congregatio pro aliis casibus declaravit (cfr. supra n. 1).

3. *Benedictio corporalium* (ibid. Cap. 22). Hæc usuvenit pro Benedictione corporalis; et etiam pallæ, quia palla primitus distincta non erat a corporali (cfr. Tractatus de celebratione Missæ. QQ. 62 et 66). Tres sunt Orationes, ordine suo dicendæ, in quibus occurrit numerus singularis, unde diceres unum tantum corporale, aut unam pallam posse benedici, et si plura sunt, repetendam esse pro singulis Benedictionem.

Hac de re datur sequens S. Rituum Congregationis Decretum (4 Septembris 1880, n. 3524, antiq. 5818, ad 3): Dubium: « Docent auctores quod Palla sit benedicenda simul cum Corporali,et non aliter.Quare quæritur : 1. An Palla possit benedici separatim a Corporali, ex. gr. quando Corporale est jam benedictum, et adest nova Palla, seu adsunt novæ Pallæ absque Corporali benedicendæ ? — 2. Quando autem benedicitur una Palla simul cum unico Corporali ; quæritur an Orationes præscriptæ recitari debeant numero singulari, veluti si tantum adesset Corporale benedicendum? — 3. Tandem si plures adessent Pallæ benedicendæ simul cum uno tantum Corporali, vel plura Corporalia absque vel simul cum una vel pluribus Pallis ; quæritur an Minister benedictionis uti debeat numero plurali ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Quoad primam quæstionem : Affirmative ; ad secundam et tertiam : Formula recitanda prout jacet. » Itaque omni possibili dubio jam respondetur per hoc Decretum.

4. *Benedictio Tabernaculi, seu Vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda* (ibid. Cap. 23). Hac formula benedicuntur ipsum Tabernaculum quod in Altari ponitur ; dein quodcumque vas « pro Corpore... Domini nostri... in eo condendo fabricatum, » nempe ciborium, pyxis, custodia, et etiam, juxta auctores, lunula ostensorii. De calice et patena pro SS. Missæ Sacrificio hic quæstio esse non potest ; consecrantur enim cum unctione S. Chrismatis ab Episcopo, qui simplicem Sacerdotem ad hoc delegare non potest.

5. *Benedictio Ostensorii, pro SS. Sacramento fidelium*

venerationi exponendo. Hac Benedictione, quæ reperitur in Appendice Ritualis Romani, benedicitur ipsum Ostensorium. Duplex ergo videtur adhibenda Benedictio pro Ostensorio : prior, pro ejus lunula, in qua conditur, seu conservatur Sacra Hostia ; altera, pro ipso Ostensorio, in quo Sacra Hostia in lunula conservata exponitur. An sufficiat hæc Ostensorii Benedictio pro ipso simul et pro lunula, S. Congregationis Rituum erit declarare ; interea duplex Benedictio adhibeatur.

6. *Benedictio Capsarum pro Reliquiis Sanctorum includendis* (in Appendice Ritualis). In Pontificali Romano datur etiam formula « de Benedictione Capsarum pro Reliquiis, et aliis Sanctuariis includendis, » quæ solemnior est, et Præfationem quidem continet ; ea uti non possunt Sacerdotes delegati. Præsens Benedictio rarius jam erit a delegatis Sacerdotibus facienda.

7. *Benedictio vasorum pro Sacris Oleis includendis* (in Appendice Ritualis). Hæc usuvenit pro Benedictione cujuscumque vasis, in quo servatur unum ex Sacris Oleis, Chrisma, aut Oleum Catechumenorum, aut Oleum infirmorum ; sive sit vasculum majus, sive minus seu quotidiani usus (cfr. Q. 68). Si unicum tantum benedicendum est, dicuntur tamen Orationes duæ prout jacent ; juxta quod S. Rituum Congregatio pro aliis casibus declaravit (cfr. supra n. 1).

8. *Benedictio Sacrorum Vasorum, et aliorum Ornamentorum in genere* (in Appendice Ritualis). In quibus circumstantiis, et sub quibus conditionibus liceat uti hac generali formula, ad benedicendum « vasa et ornamenta sacri Altaris, atque Ecclesiæ, sacri ministerii usui præparata, » non patet, cum nulla addatur in Rituali declaratio : forsan fuerit pro particularibus casibus et adjunctis concessa. Usque dum de ejus usu detur authentica declaratio, abstineant ab hac generali Benedictione nostri Sacerdotes, qui ab Archiepiscopo facultatem obtinuerunt sacram supellectilem benedicendi, et non sit eis oneri particulares Benedictionum formulas, de quibus supra, pro diversis rebus benedicendis adhibere.

Quod si aliquando conveniret, aut placeret benedice-

re Altaris, aut Ecclesiæ vasa quædam, aut ornamenta, ex iis quorum specialis Benedictio non de præcepto fieri debet ; puta, Crucem Altaris cum candelabris, vasa, antipendium, ampullas, thuribulum, et alia hujusmodi ; hæc præsens generalis formula videtur congruere pro hujusmodi rerum Benedictione.

Nota. De Cruce Altaris benedicenda (cfr. supra II, 1) dicetur in Quæstione sequenti (Nota).

IV. **Quo ritu Benedictio fit.** — 1. Prænotatur, quod antequam Sacerdos ad Benedictionem sacræ supellectilis procedat, debet omnino certiorem se reddere de debitis qualitatibus supellectilis benedicendæ, quoad ejus materiam et formam ; ex. gr., an quod ex auro aut argento, ex lino aut serico confectum esse debet, revera ex requisita materia sit confectum ; et sub debita et congrua forma. Quod si in aliqua re aliquid deficiat, ad ejus Benedictionem Sacerdos procedere non potest : esset enim illicita, imo quandoque invalida Benedictio. Quæ de materia et forma sacræ supellectilis præscripta sunt, pro singulis rebus descripta reperiuntur tum in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii, tum in præsenti Tractatu de administratione Sacramentorum.

2. Locus in quo fiat sacræ supellectilis Benedictio, non determinatur ; locus aptus et valde congruus est Altare, super cujus mensam poni possunt res benedicendæ ; sed ubi placuerit poterit Sacerdos ad Benedictionem procedere, modo locus sit honestus ; res benedicendæ ponuntur super mensam mundam, commodo loco paratam.

3. Sacerdos pro Benedictione induit superpelliceum, et stolam : color stolæ non determinatur, erit igitur coloris Officii diei, in qua fit Benedictio ; attamen pro eis rebus quæ ad cultum SS. Eucharistiæ pertinent, non perperam adhiberetur stola coloris albi (cfr. Q. 333, V).

4. Sacerdos dicit ℣. *Adjutorium, etc.*, et Orationem, vel Orationes, prout in Missali, aut Rituali describuntur, faciens signum Crucis versus res benedicendas, quoties assignatur. Dein aspergit res aqua benedicta, nihil interea dicens (cfr. Q. 334, 6°).

Q. 339. *Quotuplex describitur in Rituali Benedictio novæ Crucis ? Quid pro utraque notandum est ?*

R. Duplex describitur in Rituali Benedictio novæ Crucis : una, minus solemnis, in ipso Rituali (Tit. VIII, Cap. 24) ; altera, solemnior, in Appendice Rituali ; hæc, quoad textum et præcipuas cæremonias, conformis est Benedictioni ab Episcopo faciendæ, quæ describitur in Pontificali Romano.

Utraque Benedictio est ex reservatis ; et Sacerdos ad utramque procedere non potest, nisi fuerit ab Episcopo delegatus. Hoc tamen intelligendum est, si agitur de Benedictione cum apparatu et publice facta ; nam Crucem private benedicere, ea Benedictione quæ describitur in ipso Rituali, potest quicumque Sacerdos, sine delegatione.

I. Prior Benedictio, minus solemnis, inservit pro illis Crucibus benedicendis, quæ, ex ligno, aut metallo, aut lapide, aut ex quacumque materia confectæ, constituuntur aliquando, et collocantur in capitibus viarum, sive in locis publicis, sive in agris, sive in quocumque loco honesto, vel in eventus cujusdam memoriam, vel ut sint prætereuntibus occasio et stimulus ad orandum.

Animadvertendum præcipue est, hic agi de simplici Cruce sine imagine Crucifixi Redemptoris ; quod si imago Christi in Cruce apponatur, sumenda est, non præsens Benedictio Ritualis, sed quæ in sequenti Capite 25 describitur Benedictio Imaginis Domini nostri ; quia in hujusmodi Cruce Imago Domini apposita fit principale. (S. Rituum Congregatio, Decret. 4 Septembris 1880, n. 3524, antiq. 5818, ad IV, 2.)

Quoad ritum hujus Benedictionis nihil speciale notandum venit, nisi quod color stolæ, et pluvialis si assumitur, erit rubeus, qui convenit Officiis S. Crucis ; et quod duæ Orationes sunt dicendæ, infra quarum altera fit triplex Crucis aspersio cum aqua benedicta.

Adoratio, flexis nempe ante Crucem genibus, et osculatio Crucis, quæ in fine Benedictionis præscribuntur, signa sunt venerationis, et quasi fidei professio compendiosa ; qua testificamur nos militare sub Christi vexillo.

II. Altera Benedictio, in Appendice Ritualis, exhibet modum multo solemniorem quo benedicitur « nova Crux, seu Tabula, in qua Crucifixus est depictus. » Hæc autem Crux, seu Tabula, debet esse vel ex ligno, vel ex metallo, vel ex lapide ; Imago Crucifixi vero in ea erit « depicta » ; qua voce intelligendum venit non solum opus picturæ, sed etiam sculpturæ, vel cælaturæ.

Solemnior est hæc Benedictio, ita ut vix videatur convenire pro Benedictione privatim facienda ; pro ea Sacerdos delegatus induere debet superpelliceum, et stolam, et pluviale rubri coloris ; in ea dicuntur plures Orationes, et quidem Præfatio, quam Sacerdos dicit non in cantu, sicut Episcopus, sed voce mediocri. In fine, post Crucis aspersionem et incensationem, dicitur una ex duabus Orationibus præscriptis : prior nempe si Crux est ex ligno, altera vero si Crux est ex metallo vel lapide.

Nota. Crux Altaris extra casum Consecrationis Altaris non debet de præcepto benedici, ut dictum fuit Q. 330 (II, A). Si tamen ex circumstantiis conveniret, aut placeret Crucem Altaris benedicere, animadvertendum est quod non congruit prior Ritualis Benedictio Crucis, quia hæc inservit pro Benedictione simplicis Crucis sine imagine ; in Cruce Altaris vero omnino requiritur Imago Crucifixi Redemptoris ; sumenda est, ut dicitur supra, pro Cruce Altaris Benedictio Imaginis Domini nostri ; vel, si solemniori modo placeret eam benedicere, sumi potest altera Crucis Benedictio ex Appendice Ritualis.

Q. 340. *Quænam animadvertenda sunt pro Benedictione solemni Imaginum ?*

R. I. **Quoad Imaginum conditiones.** — Benedicere non licet nisi Imagines quæ apprime respondeant conditionibus requisitis; quare opportunum erit hic quædam de Imaginibus notare, utilia non solum Sacerdotibus qui ad benedicendum Imagines delegari possunt, sed et omnibus qui in Ecclesiis aut Oratoriis Imagines exponunt.

1. **Quæ Imagines benedici possunt.** — Benedici possunt Imagines Domini Nostri, Beatæ Mariæ Virginis, et aliorum Sanctorum.

Imagines autem Beatorum nondum canonizatorum in Ecclesiis et Oratoriis quibuscumque nullo pacto exponi possunt, nisi indultum expresse fuerit per ipsam Sedem Apostolicam, aut permissum per Episcopum Ordinarium ad hoc speciali Indulto Apostolico munitum ; et ubi in uno loco fuerit expositio concessa, non potest, inconsulto Summo Pontifice, concessio ad alium locum extendi. (Decret. Alexandri VII, 27 Septembris 1659, n. 1130, antiq. 2002.) Quædam Rescripta concessionis pro expositione Imaginis alicujus Beati varias conditiones exprimunt, inter quas animadvertitur prohibitio Benedictionis solemnis Imaginis expositæ ; alia Rescripta concessionis pro expositione generaliorem clausulam habent : « servatis servandis » ; inter servanda videtur retinenda prohibitio Benedictionis, donec expresse Benedictio fuerit in Rescripto concessa.

2. **Locus expositionis Imaginum.** — Imagines Christi Domini et Sanctorum exponi possunt,tum in Ecclesia, aut Oratorio, tum etiam super Altaria quæ in eorum honorem fuerint exstructa.

Imagines autem Beatorum, ubi conceditur earum expositio, possunt tantum exponi in Ecclesia aut Oratorio ad parietem, non autem super Altaria. (Decret. 27 Septembris 1659, n. 1130, antiq. 2002.) Attamen licebit alicujus Beati Imaginem super Altari etiam exponere, ubi indultum fuerit ut Missa de eo celebretur. (Decret. 17 Aprilis 1660, n. 1156, antiq. 2046, ad 1.)

3. **Materia Imaginum.** — Imagines possunt esse,vel depictæ super telam aut tabulam, vel sculptæ ex ligno aut lapide, vel fusæ ex metallo. Licet pro Imaginibus determinata materia non sit præscripta, ab Ecclesiis tamen removendæ, et non benedicendæ sunt Imagines confectæ ex fragili materia, aut non durabili, aut indecora : tales sunt Imagines super chartam impressæ, photographicæ ; statuæ ex gypso, charta ; item ex ferro, stanno, aut plumbo. Has tres ultimas materias metallicas etiam notamus, quia speciatim indicantur ut rejiciendæ, in Instructione pro Sacerdotibus quibus Summus Pontifex facultatem delegat benedicendi Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, etc. (Cfr. Appendix Ritualis Romani.)

4. **Forma et habitus Imaginum.** — Imagines non possunt exponi nisi cum eo « habitu, et forma, quam in Catholica et Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit. » (Decret. Urbani VIII, 15 Martii 1642, n. 810, antiq. 1403.) « Nemini liceat ullo in loco, vel Ecclesia, ullam insolitam ponere, aut ponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit. » (Concilium Tridentinum, Sessio XXV, de Sacris Imaginibus.) Ideo in Statutis Diœcesanis nostris de Sacris Imaginibus dicitur (n. 378) : « Inhærentes legi Concilii Tridentini, Decanorum vigilantiam excitamus et plane requirimus, ne ullæ falsi dogmatis Imagines, et rudibus erroris occasionem præbentes, statuantur in Ecclesiis vel Oratoriis, neque tales, in quibus appareat profanum aliquid aut inhonestum, quod piorum oculis offensionem utcumque afferre possit. »

Forma et habitus sint igitur tales, sub quibus Imagines jugiter et ex traditione ostensæ fuerunt, aut proponant, quantum possibile est, prototypa quæ repræsentant. Caveant pictores ne viventium virorum aut mulierum formam et similitudinem tribuant Sanctis quorum Imaginem depingunt.

Imago sit depicta aut sculpta a perita manu, ut devotionem pariat et pietatem, ac æstimationem, et non ludibrium et contemptum ; « ut quod auditui præstat oratio, hoc visui ipsa conferat. » (S. Joannes Damascenus, Oratio I de Imaginibus, § 17.) Numquam pro statua exponatur deformis machina vestibus operta et ornata, cum superimposito capite sculpto : inordinatum certe et Domo Dei indignum est.

5. **Insignia Imaginum.** — Christi Domini et Sanctorum capitibus apponitur ex Ecclesiæ antiquissimo usu diadema, seu corona, scuti rotundi vel circuli instar ; corona Christi Domini a coronis Sanctorum distinguitur Crucis figura. Cavendum est, ut ejusmodi corona nemini apponatur, nisi quos Ecclesia canonizavit. (Cfr. S. Carolus Borromæus, *Instructionum Fabricæ Ecclesiasticæ Liber I*, Cap. XVII.) Beatorum Imagines vero repræsentari non possunt cum diademate seu circulo, sed cum radiis tantum. (Cfr. Benedictus XIV, *De servorum Dei beatificatione*, Lib. I, Cap. 37.)

Insigne proprium cujusque Sancti tale sit, quod ex Ecclesiæ instituto aut usu, aut ex historiæ veritate comprobatum, apte et decore conveniat. — Particularia de singulorum Sanctorum propriis insignibus reperiri possunt apud sequentes auctores : Molanus, *De Historia SS. Imaginum et picturarum*. Editio Joannis Paquot. Lovanii, 1771 ; — Cahier, *Caractéristiques des Saints dans l'art populaire*. 2 Tomes. Paris, 1867 ; — Barbier de Montault, *Traité d'iconographie chrétienne*. 2 Tomes. Paris, 1890 ; — Detzel, *Christliche Ikonographie*. 2 Bande. Freiburg, Herder, 1896 ; — Cloquet, *Eléments d'iconographie chrétienne*. Société de S. Augustin, 1890.

6. **Imaginum approbatio.** — Ut præfatæ conditiones Imaginum semper sedulo ab omnibus observentur, in Statutis nostris Diœcesanis (n. 370[bis]) præscribitur Parochis « transmittere ad Vicariatum..... delineationes omnium partium supellectilis sacræ, quæ vel conficiendæ vel reficiendæ erunt. » Jamvero Imagines in Ecclesiis vel Oratoriis exponendæ ex præcipuis sacræ supellectilis partibus certo sunt ; ergo non solum Imagines insolitæ, juxta legem Tridentinam, sed et omnes quæcumque apud nos Archiepiscopi examini et approbationi deferendæ sunt. (Cfr. Collectio Epistolarum Pastoralium Diœcesis Mechliniensis, Tom. XI, pag. 143, in Nota.)

II. **Quoad Imaginum Benedictionem.** — 1. Sacerdos delegatus pro solemni Imaginis Benedictione, induit superpelliceum et stolam ; si placet, pro solemnitate induere potest etiam pluviale. Color paramentorum erit vel albus, vel rubeus ; pro Imagine Domini Nostri Crucifixi convenit color rubeus, pro reliquis Imaginibus ejusdem Domini Nostri color albus ; pro Imaginibus Sanctorum sumatur color, vel albus, vel rubeus, prout præscribitur in eorum Festo.

2. Ritus est valde simplex, et Benedictio quæ describitur in Rituali Romano constat tantum unica Oratione, qua dicta, aspergitur Imago aqua benedicta.

Non raro placet Benedictionem solemnem Imaginis peragere cum aliquo apparatu ; nihil obstat ut functio aliqua ratione protrahatur, ex. gr., peracta Benedictione

modo supra tradito, cantando Hymnum, et Orationem, in honorem ejus cujus Imago fuit benedicta.

3. In Oratione hujus Benedictionis fit distinctio imaginem inter et effigiem : effigies videtur referri ad statuam, imago vero ad tabulam pictam ; in eadem Oratione enim postea distinguitur iterum imaginem inter et sculpturam. Res non ita gravis momenti est, nam in Pontificali Romano, ad eamdem Orationem, habetur, sine distinctione facienda, uti textus : « imagines seu effigies, » et postea : « imaginem seu sculpturam. » Pro praxi, in Benedictione alicujus statuæ optime dicetur « effigies, » et postea « sculpturam, » omissis verbis « imagines, » et « imaginem. » Verba autem « sculpi aut pingi, » in principio Orationis, dicantur sicut habentur in textu, nulla facta distinctione ; verificantur enim in omni casu.

Nota. I. Pro Benedictione Imaginis B. Mariæ Virginis Filium suum brachio tenentis, nulla ratio tenenda est Imaginis Filii : principalis est Imago Matris ; item nulla mentio fiet S. Dominici in Benedictione Imaginis B. Mariæ Virginis a Rosario nuncupatæ.

Sed quid, si benedicenda est Imago B. Mariæ Virginis Filium suum emortuum super gremium tenentis (Pietà) ? Non perperam in Oratione nominabuntur et Christus Dominus, et ejus beatissima Mater. — Similiter in Benedictione Imaginis Sanctæ Familiæ nominari poterunt Christus Dominus, B. Maria Virgo, necnon S. Joseph.

Nota. II. In Pontificali Romano describitur Benedictio Imaginis B. Mariæ Virginis, quæ multo solemnior est ; sed cum hæc sit præscripta Episcopis, et non habeatur in Rituali Romano, neque in ejus Appendice, Sacerdos delegatus Benedictionem eo Pontificalis ritu peragere non potest.

Q. 341. *Quando fieri debet Benedictio et Impositio primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda ? Quid notandum est de lapide primario ? Quæ animadvertenda sunt pro ritu hujus functionis ?*

R. I. Quia Ecclesiæ et etiam Oratorii publicii ædificatio ad finem sacrum dirigitur, initium quoque sa-

crum habeat oportet, et primus qui in ædificatione ponitur lapis benedicitur ; hæc lapidis Benedictio et Impositio itaque fieri debet antequam Ecclesiæ aut Oratorii publici constructio initium habeat.

Lapis primarius, seu petra fundamentalis enim ponitur in Ecclesiæ fundatione, in fundamento (Rituale, Tit. VIII, Cap. 26, nn. 2, 8) ; fundamentum hic intelligitur solum, effossa ad debitam profunditatem humo, paratum, super quod lapidea structura erigetur. De eo legimus apud S. Augustinum : « Quantam quisque vult, et disponit superimponere molem ædificii, quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum. » (Cfr. Breviarium, Homilia II pro Abbatibus, Lectio VIII.)

Aliquando tamen fundamenta dicuntur illæ ædificii partes inferiores fundamento proximæ, quæ sub muro superimposito et humo juxtaposita latent, et occulta semper jacebunt in ædificio. Ita Rituale, in Benedictione Ecclesiæ (Tit. VIII, Cap. 27, n. 3), præscribit ut aspergantur « parietes Ecclesiæ in superiori parte, et in fundamentis ; » quod fieri nequit si pro fundamento intelligeretur solum super quod parietes sunt constructi ; fundamenta hic igitur vocantur parietum partes inferiores latentes, juxta quos fiet aspersio.

Functio Benedictionis et Impositionis primarii lapidis peragi potest quacumque die, et quavis diei hora.

II. Lapis præparabitur ex omnibus suis partibus perfecte « quadratus, et angularis » (Rituale,loco citato, n. 2) ; sit ejus magnitudinis, ut in functione impositionis satis commode pertractari possit.

Lapidis partes sunt sex : superior, inferior, et quatuor laterales ; per singulas partes cultro sculpi debet in functione signum Crucis : pro commoditate possunt ante functionem ab artifice sculpi sex istæ Cruces, una scilicet in medio cujusque partis lapidis. Præter Cruces possunt etiam in lapide sculpi ea quæ placuerit in rei memoriam super lapidem notare.

Ex eo quod lapis primarius in Rituali præscribatur « quadratus, et angularis, » dicunt auctores ipsum vocari angularem, non solum in figuram Christi qui lapis angularis in Scriptura nominatur (Ephes. II, 20),

sed et quia poni debet in angulo Ecclesiæ, ita ut utrumque parietem conjungens faciat caput anguli. Unde locum hujus primarii lapidis, ubi debet poni, designant auctores alii angulum superiorem Ecclesiæ ædificandæ, alii dextrum absidæ angulum, qui locus habetur a parte Evangelii Altaris primarii. Animadvertendum est perpaucas Ecclesias, etiam inter antiquas reperiri, quarum absidæ talem angulum habent in quo uterque paries lapide quadrato possit conjungi ; fere omnes absidæ aut sunt rotundæ, aut plures habent parietes. Nec Rituale, nec Pontificale Romanum aliquem locum expresse designant ; tamen ex ritu functionis patet mentem esse, ut lapis primarius ponatur in ea parte fundamentorum Ecclesiæ quæ prope Altare majus erit ; sed si angulus ibi deficit debitus, non ideo deformetur figura præscripta lapidis quadrati , nec quæratur angulus a parte illa Ecclesiæ ubi erit janua, sed ponatur lapis primarius quadratus eo quo fieri potest modo juxta mentem ut supra, etiamsi non faceret caput anguli.

III. Functio hæc est propria Episcopo, facienda juxta ritum solemnem in Pontificali Romano traditum ; Episcopus ad eam delegare potest simplicem Sacerdotem ; qui, facultatem habens, servare debet ritum descriptum in Rituali Romano (Tit. VIII, Cap. 26).

1. In eo loco fundamentorum, in quo erit collocanda et statuenda petra fundamentalis, fossio fiet, eo convenienti spatio ut accessus ad locum sit commodus. Reliquum fundamenti totius Ecclesiæ etiam convenit ut sit effossum et apertum ; attamen non est ita necesse, sed oportet ut saltem designetur fundamentorum locus, lineis ductis aut aliis signis, ita ut aliquo modo appareat totus situs benedicendus, tamquam Deo dicatus.

2. Crux ponenda in loco ubi postea Altare majus erigetur, debet esse lignea, et talis magnitudinis ut conspici in competenti distantia possit. Crucem pridie figere in eo loco debet ipse Sacerdos ad Benedictionem delegatus, vel alius Sacerdos. Nulla specialis cæremonia præscribitur ; convenit tamen ut Sacerdos hoc faciat indutus superpelliceo et stola albi coloris.

3. Ipso die Benedictionis et Impositionis primarii lapidis, præparatur, ante Crucem pridie positam, sed in aliqua distantia ab ea, tapetum, et super eo mensa tobalea cooperta, in qua disponuntur res in Benedictione requisitæ : amictus, alba, cingulum, stola et pluviale albi coloris, pro Sacerdote delegato ; superpellicea pro Sacerdotibus et Clericis præsentibus ; lapis primarius ; vas cum aqua benedicta, et aspersorium; si autem in ipsa functione aqua benedicitur,præparatur etiam sal in vase ; mantile ; culter, vel aliud instrumentum ferreum acutum,cum manubrio decenti, ad incidendum signa Crucis in lapide ; Rituale Romanum ; duo intorticia.

Prope locum ubi ponendus erit lapis, præparabitur calx cum lapidibus aut lateribus, ut immediate possit ipse lapis obstrui muro.

4. Pro functione, accedit Sacerdos delegatus ante mensam, versa facie ad Crucem positam, et accipit sacra paramenta ; reliqui Sacerdotes et Clerici induunt superpelliceum. Duo ex Sacerdotibus præsentibus in functione semper adsunt, unus ad dexteram, alter ad sinistram Sacerdotis delegati.

5. Nisi jam sit benedicta, Sacerdos delegatus primo benedicit aquam, modo ordinario, ut describitur in Rituali (Tit. VIII, Cap. 2).

6. Sacerdos delegatus, cum ministro aquæ benedictæ, accedit de mensa ante Crucem ; Clerici cantant Antiphonam : *Signum salutis, etc.*, et Psalmum : *Quam dilecta, etc.;* interim Sacerdos delegatus aspergit terræ partem ubi Crux posita est, aqua benedicta, ter, in medio, ad sinistram suam, et ad dexteram suam ; et reddito aspersio, exspectat finem cantus Psalmi.

7. Finito Psalmo, Sacerdos ibi stans dicit Orationem : *Oremus. Domine Deus, etc.* Si Ecclesia vel Oratorium fundabitur in honorem ac nomen beatæ Mariæ Virginis, vel alicujus Mysterii, omittuntur in hac Oratione verba *et beati N.*, et quæ parenthesis notat non considerantur. (S. Rituum Congregatio, Decret. 11 Martii 1871, n. 3241, antiq. 5476, ad 3.)

8. Postea Sacerdos de loco ante Crucem accedit ad mensam, et stans ante mensam ut prius, benedicit

primarium lapidem in mensa positum, dicens Versiculos et Orationem.

9. Dicta Oratione, Sacerdos aspergit aqua benedicta lapidem, ter, in medio, ad suam sinistram, et ad suam dexteram, nihil interea dicens. Dein accipit dextera cultrum, et dum dicit : *In nomine etc.*, efformat super partem superiorem lapidis, in loco ubi jam prævia sculpta fuit Crux, cultro triplex signum Crucis, primum ad verbum *Patris*, secundum ad verba *et Filii*, tertium ad verba *et Spiritus sancti*. Hæc verba cum triplici signo Crucis cultro impresso dein repetit Sacerdos delegatus super singulam reliquarum partium lapidis, qui in hunc finem per adstantes ministros movetur ; ita ut sex lapidis partes successive signentur in locis ubi prævie Cruces fuerunt sculptæ.

Quo facto Sacerdos dicit Orationem, dextera efformans signum Crucis versus lapidem, cum dicit : *Benedic Domine.*

10. Postea Sacerdos delegatus ante mensam genua flectit, et similiter faciunt omnes præsentes. Dicuntur mox Litaniæ ordinariæ, seu Omnium Sanctorum, non repetitis invocationibus aut versibus ; et dicuntur usque ad *Kyrie eleison* inclusive post *Agnus Dei*, sed nihil amplius additur.

11. Dictis Litaniis, omnes assurgunt, et Sacerdos delegatus inchoat, Clericis prosequentibus, Antiphonam : *Mane surgens etc.* Interea dum cantantur Antiphona et Psalmus, cæmentarii præparant calcem in loco ubi ponendus erit lapis.

12. Post Psalmum ponitur lapis primarius in fundamento : Sacerdos delegatus lapidem e mensa accipit, adjutus si necesse fuerit, vel saltem lapidem ab aliis acceptum dextera tangit ; lapis ita defertur ad fundamenti locum ubi ponendus est, ibique demissus collocatur in fundamento ; ipse Sacerdos delegatus lapidem ponit seu collocat, aut saltem lapidem ab aliis collocatum dextera tangit ; statim ac lapis fundum attigerit, Sacerdos dicit : *In fide Jesu Christi collocamus etc.*, ter signum Crucis versus lapidem faciens ad verba indicata. Interim cæmentarii locant lapidem ad libellam, et statim cum calce et cæmento ipsum firmant.

13. Sacerdos delegatus mox spargit super lapidem aquam benedictam, seu, aspersorio accepto, lapidem ter aqua benedicta aspergit, in medio scilicet, ad sinistram suam, et ad dexteram suam, dum dicit : *Asperges me etc.*, et cum assistentibus recitat Psalmum *Miserere*.

14. Dicto Psalmo, Sacerdos delegatus ascendit, et stans prope fundamenta, a parte quæ interior Ecclesiæ erit, accipit aspersorium dextera, et mox inchoat Antiphonam : *O quam metuendus est locus iste*, quam Clerus prosequitur, addito Psalmo : *Fundamenta etc.*, et repetita post Psalmum Antiphona.

15. Interim Sacerdos delegatus, cum ministro aquæ benedictæ, procedit ab eo loco ubi lapidem posuit, per partem quæ Evangelii erit, et circuit fundamenta totius Ecclesiæ usque dum ad locum prædictum reversus fuerit ; procedit vero juxta fundamenta, quæ, ut supra n. 1 dictum fuit, vel jam sunt aperta, vel saltem sunt designata, et continuo ipsa aspergit, nihil interea dicens.

16. Facta aspersione fundamentorum, Sacerdos delegatus revertitur ad locum Altaris, seu ante Crucem ibi fixam, et facie ad eam versa, dicit *Oremus*. Sacerdos, seu minister qui est ad ejus dexteram, mox dicit : *Flectamus genua*, et omnes præsentes, Sacerdote delegato excepto, genu dextrum flectunt, et mox assurgunt, cum alter minister, qui est ad sinistram Sacerdotis delegati, dicit : *Levate*. Sacerdos delegatus dicit Orationem : *Omnipotens etc.;* ad verbum *benedicas*, elevata dextera facit signum Crucis super locum.

17. Dictis Orationibus, terminatur functio, et omnes, salutata Cruce, accedunt ad mensam, et ibi deponunt paramenta.

Nota. Si functio solemniter fit cum cantu, cantus Antiphonarum reperiri potest in Pontificali Romano, ubi eadem functio describitur prout ab Episcopo fieri debet.

Q. 342. *Indica quæ præcipue notanda veniunt pro Benedictione novæ Ecclesiæ, seu Oratorii publici.*

R. 1. **Ob quas rationes benedicuntur Ecclesiæ et Ora-**

toria publica. — Ecclesiæ, quo nomine intelliguntur ædes cultui divino ad usum fidelium perpetuo dicatæ ; et Oratoria publica, illa scilicet quæ auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum , benedicuntur ob sequentes rationes : priorem, ut, percepta Benedictione, tamquam domus Dei et loca divino cultui sacra, in majori honore et veneratione sint apud fideles ; alteram majorem, ut in ipsis possit SS. Missæ Sacrificium celebrari. Etenim decrevit Concilium Tridentinum, SS. Sacrificium celebrari posse tantum in locis ad divinum cultum dedicatis (Sessio XXII, *Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missæ*) ; quare oportet ut, antequam ad Sacrificii usum inserviant, per specialem ritum ad hunc aptentur Ecclesiæ et Oratoria publica.

II. **Quo ritu proprie ad cultum divinum aptantur Ecclesiæ et Oratoria publica ; et ad quem pertinet ritum hunc peragere.** — Ecclesiæ, tamquam loca sacra cæteris digniora, ad cultum divinum proprie aptæ redduntur Dedicatione, seu Consecratione, qui ritus ex solemniòribus est, in quo fiunt sacræ unctiones Oleo sancto Catechumenorum et sancto Chrismate ; quare Dedicationem peragere exclusive pertinet ad majoris dignitatis ministrum, nempe ad Episcopum.

Oratoria publica, ex natura sua non ita digna reputata sicut Ecclesiæ, ad cultum divinum apta redduntur sola Benedictione, quæ constat precibus et aspersionibus, non autem adhibitis sacris unctionibus ; quare Benedictionem Oratorii publici peragere est functio de facto Sacerdotalis. Jus ad hanc Benedictionem est quidem penes Episcopum, et ideo nullus Sacerdos eam peragere valet absque licentia et facultate ab Episcopo accepta, sed ritus est Sacerdotalis, qui describitur in Rituali Romano, Titulo VIII, Capite 27, et non descriptus habetur pro Episcopo in Pontificali Romano. — Oratoria publica, etsi de jure tantum benedicantur solemni Ritualis Benedictione, tamen dicenda sunt etiam capacia Dedicationis seu Consecrationis ab Episcopo factæ ; de quo judicium in casu particulari ferre ad Episcopum pertinet.

Ecclesiæ,ut supra dicitur, ad cultum divinum proprie dedicantur ab Episcopo ; sed quoniam, post alicujus Ecclesiæ ædificationem, plerumque mox non adest opportuna occasio Dedicationis per Episcopum,et tamen novam Ecclesiam quamprimum usui tradere sæpius necesse est, aut saltem multum desideratur, ideo Episcopus, prolatando Dedicationem ad tempus opportunum, potest licentiam dare simplici Sacerdoti Ecclesiam benedicendi, ad hunc finem, ut ibi statim liceat SS. Missæ Sacrificium celebrare; quæ Benedictio peragitur in casu a Sacerdote delegato, eodem ritu qui supra assignatur pro Benedictione Oratorii publici, et describitur in Rituali Romano, loco citato.

Sed animadvertendum est, hujusmodi Benedictionem, quamvis per se sufficientem in perpetuum ad suum finem, tamen fieri tantum in subsidium, ad modum provisionis ; et Ecclesiam, etsi benedictam, remanere consecrandam ab Episcopo ; dicit enim Rituale (loco citato, n. 13) : « Ecclesia vero, quamvis a simplici Sacerdote, ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est. » Hæc verba Ritualis videntur præceptiva ; attamen communiter docent auctores, hodiedum saltem ea non esse intelligenda in sensu stricti præcepti omnibus Ecclesiis applicandi ; et, si excipias Ecclesias Cathedrales, non esse strictam obligationem pro Episcopis alias Ecclesias consecrandi, quamvis hoc pro Ecclesiis parochialibus, aliisque majoribus sit valde conveniens atque commendandum.

Omnes auctores autem docent Benedictionem solemnem Ritualis omnino et stricte præcipi, tum pro Oratoriis publicis, tum pro Ecclesiis quibuscumque, si non consecrentur, priusquam possit in ipsis SS. Missæ Sacrificium celebrari.

III. **Quis est effectus hujus solemnis Benedictionis.**— Effectus hujus solemnis Benedictionis, quæ inter constitutivas computatur (cfr. Q. 321), est, quod Ecclesia et Oratorium publicum ita benedicta constituantur in statu permanenti rei sacræ, et remaneant ad Dei cultum perpetuo dicata ; et quod postea nequeant ad profanum usum converti.

Unde animadvertere oportet, non posse eo ritu so-

lemni benedici illa loca, quæ ad Officia divina in eis celebranda destinantur ad tempus tantum, et postea ad alium usum inservient ; ex. gr., quando nova parochia erigitur, et, usque dum Ecclesia erit ædificata, construitur, ad modum provisionis, aliquod Oratorium, seu Sacellum, non licet istud solemni ritu benedicere ; non enim postea usum retinebit ad cujus finem tantum dari potest hæc Benedictio, quæ soli Oratorio publico, et in perpetuum publico debetur. Sufficiat in tali casu Benedictio loci, vel domus novæ, de qua dicetur in sequenti animadversione.

IV. **Quid dicendum est de Benedictione adhibenda pro Oratoriis quæ publica non sunt.** — Solemnis Benedictionis ritus requiritur et admittitur pro solis Ecclesiis et Oratoriis publicis, ut patet ex Rituali Romano ; sed præter Oratoria publica existunt permulta alia Oratoria, quæ vel privata, vel semipublica sunt ; quæri potest, an pro Oratoriis hujusmodi aliqua Benedictio, et quæ adhiberi debet, aut potest, antequam in ipsis SS. Missæ Sacrificium celebrare liceat.

A) **Oratoria privata,** ea scilicet, quæ in privatis ædibus in commodum alicujus personæ vel familiæ, ex Indulto Sanctæ Sedis erecta sunt, præsenti ritu pro publicis Oratoriis præscripto benedici non possunt. Non enim hujusmodi Oratoria devoventur Deo in perpetuum, sed pro mero arbitrio illius qui gaudet Indulto, vel post ejus mortem, vel ex variis circumstantiis, eorum destinatio immutari potest, et non raro immutatur. Ideo, postquam Episcopus omnia idonea in ipsis repererit, non proprie cultui ipsa addicit, sed simpliciter ut in eis Sacra rite peragantur approbat, omissa Benedictione solemni de qua hic agitur.

Satis esse docent auctores, si hujusmodi Oratoria privata, antequam SS. Missæ Sacrificium in ipsis celebretur, benedicuntur simplici Benedictione, vel loci, vel domus novæ, quæ in Rituali (Tit. VIII, Cap. 6 et 7) proponitur, et quæ fieri potest a quolibet Sacerdote, et quocumque tempore.

B) **Oratoria semipublica** ea sunt, « quæ etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt ; commodo tamen, non

Fidelium omnium, nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus inserviunt. In his sicut auctoritate Ordinarii Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerri potest, ita omnes qui eidem intersunt, præcepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Hujus generis Oratoria sunt quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica ; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis ; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas ; ad Convictus et Hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendæ destinata ; ad Nosocomia, Orphanotrophia, necnon ad Arces et Carceres ; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adjungi debent Cappellæ, in Cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Januarii 1899, n. 4007.)

Hucusque nulla exstat authentica S. Rituum Congregationis declaratio, utrum hujusmodi Oratoria semipublica possint solemni Benedictione benedici.

Auctores quidam negant, quia in Rituali Romano proponitur hæc Benedictio pro Oratoriis publicis tantum ; et dicunt, Oratoria in locis piis erecta ea esse quæ ab Episcopo ad Missæ Sacrificium celebrandum deputantur (cfr. Missale, *De Defectibus*, X, I), omissa solémni Benedictione ; et sufficere Benedictionem loci, vel domus novæ, ut dictum fuit pro Oratoriis privatis.

Alii auctores censent nihilominus, nonnumquam Oratoria hujusmodi posse ad instar Oratorii publici haberi, ipsaque esse capacia Benedictionis, quæ in Rituali proponitur non ita exclusive, juxta ipsos, sed maxime pro Oratoriis publicis. Ast omnino tunc requiritur certitudo, quod ipsa in perpetuum ad Dei cultum destinata remaneant, et hæc destinatio numquam immutari possit ; quæ certitudo si desit, omittenda est Benedictio solemnis, et sufficiet Benedictio loci, vel domus novæ. Jamvero experientia constat, pro non

paucis Oratoriis semipublicis, destinationem ad Dei cultum non ita leviter esse æstimandam immutabilem. Episcopi est, hac de re judicium ferre.

V. Quoad ritum hujus Benedictionis. — (Cfr. Rituale, Tit. VIII, Cap. 27.) 1. Omni die fieri potest hæc Benedictio, sed matutino tempore tantum; nam, peracta Benedictione, statim debet celebrari « Missa de tempore occurrenti, vel de Sancto » (n. 12). Hæc Missa erit, prout placebit juxta circumstantias, vel solemnis, vel cantata, vel privata. De ea dicitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani (cfr. ibid. Q. 299).

2. Ecclesia, vel Oratorium intus debent « esse vacua et nuda, et pariter Altaria nuda; excluso populo, donec absoluta sit Benedictio » (n. 3).

3. Sacerdos delegatus induitur, juxta Rituale (n. 1), « stola ac pluviali albi coloris; » auctores insuper notant, in casu non sufficere superpelliceum; sed ipsum induere etiam amictum, albam et cingulum. Ministri sunt: unus qui defert Crucem processionalem, medius inter duos Clericos deferentes cereos accensos; minister ad aquam benedictam; cantores plures; duo Sacerdotes, vel Clerici, qui assistunt ad utrumque latus Sacerdotis benedicentis, quorum prior a dextris dicet, ubi præscribitur: *Flectamus genua*, alter a sinistris dicet: *Levate*. Omnes isti induti sunt superpelliceis; Diaconus et Subdiaconus non adhibentur, quia de ipsis nulla fit mentio.

4. Nisi proxima sint vel alia Ecclesia, vel aliud Oratorium, vel alius honestus et opportunus locus, omnes se parant in sacrario Ecclesiæ benedicendæ, vel Oratorii; et inde procedunt, pro functione incipienda, ad primariam Ecclesiæ, vel Oratorii januam, quæ a principio functionis remanebit aperta. Præcedunt qui aquam benedictam defert, dein qui Crucem et cereos deferunt; sequuntur cantores, et reliqui de Clero, bini et bini; ultimo procedit Sacerdos Celebrans medius inter duos assistentes.

Ubi omnes pervenerint ante januam exterius, Celebrans et duo assistentes convertunt se ad januam et stant contra ipsam; qui deferunt Crucem et cereos consistunt a latere januæ, ab ea parte quæ est ad dexte-

ram Celebrantis ; Cantores in ordinem disponuntur retro post Celebrantem ; minister aquæ benedictæ stat ad dexteram primi assistentis. Omnes stant conversi ad Ecclesiæ, vel Oratorii januam.

5. Pro aspersionibus aquæ benedictæ notanda sunt :

a) Ad faciendas aspersiones præscribitur aspergillum « ex herba hyssopi » (n. 3) ; hyssopum est herba ex natura sua purgativa et mundificativa, et in Veteri Testamento sæpius leguntur hyssopo aspergenda ea quæ purificari, seu mundari debebant ; ex pluribus ramulis hujus herbæ fit fasciculus ad modum aspergilli. Herba hæc apud nos rara est, reperitur tamen apud quosdam horticolas, et in hortis unius alteriusve nosocomii ; quod si hyssopum haberi non possit, sumatur alia herba similis.

b) Celebrans aspergit Ecclesiam, vel Oratorium, primo exterius, circumdans totam structuram, incipiendo ad suam dexteram ; præcedunt qui Crucem et cereos deferunt ; comitantur assistentes et minister aquæ benedictæ. Asperguntur parietes « in superiori parte, et in fundamentis ; » in parte superiori, intelligitur supra altitudinem faciei, quousque decenti ictu Celebrans aspergillum vibrare valet ; in fundamentis, id est, in partibus parietum inferioribus quæ fundamentis proximæ sunt, seu versus fundamenta juxta solum.

Ecclesia, seu Oratorium deberet igitur exterius posse circumdari, seu circumiri ; quod si per totum hoc fieri non potest, quia obstant aliæ structuræ, vel quæcumque impedimenta, servetur ritus meliori qua ratione potest ; et sufficit tunc, ut circumdetur locus per illas partes in quibus est aditus. (S. Rituum Congregatio, Decret. 19 Septembris 1665, n. 1321, antiq. 2343, ad 1.)

c) Celebrans aspergit etiam, versus finem functionis, Ecclesiam, seu Oratorium, interius, inchoans aspersionem retro Altare majus a parte Evangelii, et circumiens totum ambitum usque dum pervenerit retro Altare majus a parte Epistolæ ; præcedunt qui Crucem et cereos deferunt ; comitantur assistentes et minister aquæ benedictæ. Asperguntur parietes « in parte supe-

riori et inferiori ; » in parte superiori, ut supra ad aspersionem exterius factam ; in parte inferiori, id est, deorsum versus, prope pavimentum.

d) Celebrans, dum aspergit parietes exterius et interius, dicit Antiphonam : *Asperges me, etc.*, eamque repetit quousque aspersio duraverit. Clerus interim dicit, seu cantat alternatim Psalmos indicatos pro singula aspersione ; non comitatur Celebrantem, sed remanet loco suo.

6. In Oratione : *Domine Deus, etc.*, quæ dicitur ante ingressum in Ecclesiam (n. 4), si Ecclesia, seu Oratorium dedicatur in honorem ac nomen Beatæ Mariæ Virginis, vel alicujus Mysterii, omittuntur verba *et beati N.* (S. Rituum Congregatio, Decret. 11 Martii 1871, n. 3241, antiq. 5476, ad 3.)

7. Post Orationem : *Domine Deus, etc.*, duo Cantores intonant Litanias majores, seu Omnium Sanctorum, ad quas respondet omnis Clerus ; et omnes intrant in Ecclesiam ; præcedunt, primo qui aquam benedictam defert, dein qui Crucem et cereos deferunt ; sequuntur tunc Cantores, et omnes de Clero, bini et bini ; ultimo procedit Celebrans inter duos assistentes. Cum ad Altare majus pervenerint, qui Crucem et cereos deferunt stant a latere Evangelii ; Cantores et reliqui de Clero procedunt ad partem Epistolæ ; Celebrans et assistentes usque ad gradus Altaris. Omnes genua flectunt, exceptis qui Crucem et cereos deferunt ; et genuflexi remanent donec perficiantur Litaniæ, usque ad ultimum *Kyrie eleison*, post *Agnus Dei, etc.*

8. Ubi dictum fuerit : *Ut omnibus fidelibus defunctis etc.*, assurgit solus Celebrans (n. 6), et dum librum ante ipsum tenent assistentes genuflexi, dicit intelligibili voce, seu cantat : *Ut hanc Ecclesiam, et Altare etc. ;* ad verbum *benedicere*, « manu dextera benedicit Ecclesiam, et Altare ; » scilicet, manu dextera elevata signum Crucis efformat versus Altare tantum, et non se vertit ad navem, aut ad latera Ecclesiæ ; deinde, ut prius, genuflectit donec perficiantur Litaniæ, et Cantores prosequuntur : *Ut nos exaudire etc.*

Si benedicitur Oratorium, nihilominus dicitur : *Ut hanc Ecclesiam, et Altare etc.*

Ad verba : *et nomen sancti tui N.*, Sacerdos nominat Sanctum, in cujus honorem dedicatur Deo Ecclesia, seu Oratorium ; si dedicatur Beatæ Mariæ Virgini, sub quovis titulo, dicitur : *et nomen Beatæ Virginis Mariæ ;* si dedicatur alicui Mysterio, dicitur : *et nomen Sanctissimæ Trinitatis*, vel *Sancti Spiritus*,vel *Sanctissimi Sacramenti*, vel *Sacratissimi Cordis Jesu*, vel *Sanctæ Crucis*, etc.

9. Post ultimum *Kyrie eleison*, omnes assurgunt ; et dicta Oratione : *Præveniat nos etc.*, Celebrans discedit ab Altari « congruenti spatio » (n. 8), id est, ad tres, quatuorve passus a gradibus Altaris ; ibi utrumque genu flectens, dicit intelligibili voce : *Deus in adjutorium etc.*, se signans ad hæc verba sicut in principio Horarum. Omnes, exceptis qui Crucem et cereos portant, simul cum Celebrante genua flectunt ; et cum respondent : *Domine ad adjuvandum etc.*, omnes, et cum ipsis Celebrans, assurgunt.

10. Præscribitur cantus pro Litaniis ; Antiphonas vero inchoat Sacerdos, et prosequuntur cantores, et dicuntur Psalmi, pro quibus cantus non describitur in Rituali ; hæc, ubi cantus non potest haberi, sufficiet dicere tono psalmodiæ.

11. Peracta Benedictione, Celebrans et ministri discedunt ad Sacristiam ; et populo permittitur ingressus in Ecclesiam, seu Oratorium. Statim Clerici præparant Altare pro Missa celebranda.

Super Altaris mensam ponuntur : Altare portatile, ab Episcopo consecratum ; dein mappæ tres, Crux, candelabra cum cereis accensis, et reliqua necessaria.

12. Sacerdos qui Benedictionem peregit, vel alius, in Sacristia induit, ad Missam celebrandam, paramenta coloris qui Missæ congruit, et mox celebrat Missam (cfr. supra n. 1).

Nota. Si, peracta Benedictione Ecclesiæ, vel Oratorii, statim Episcopus procederet ad Consecrationem Altaris, animadvertendum est, quod in Ecclesia, quæ postea ab Episcopo consecraretur, non posset post Benedictionem consecrari Altare majus ; etenim, cum Ecclesia consecratur, « debet cum ipsa omnino consecrari Altare majus ; nam istud est principale ; et si hoc

tantum sit in Ecclesia, sufficit; alia vero sunt accessoria, pro quibus datur Consecratio distincta, sine Ecclesiæ Consecratione.» (S. Rituum Congregatio, Decret. 19 Septembris 1665, n. 1321, antiq. 2343, ad 2.) Itaque in casu deberet Episcopus consecrare aliud Altare Ecclesiæ, remissa Altaris majoris Consecratione ad Ecclesiæ Dedicationem.

In hoc casu etiam, peracta Benedictione, non celebraretur Missa post Benedictionem præscripta de tempore occurrenti, vel de Sancto; sed post Altaris Consecrationem celebraretur Missa in Pontificali præscripta post hanc functionem, nempe de Dedicatione. De Missa in Consecratione Altaris dicitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani (cfr. ibid. Q. 300).

343. Rituale Romanum, post traditum ritum benedicendi novam Ecclesiam, seu Oratorium publicum, in sequenti Capite 28 describit ritum reconciliandi Ecclesiam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata, servandum per Sacerdotem ab Episcopo delegatum. Omittitur expositio hujus ritus, quia rarissime hæc functio occurrit peragenda, et quia in casu quidquid notandum venit ex præcedentibus facile colligi potest.

Q. 344. *Quænam notanda sunt de Benedictione Cœmeterii? Quæ de ritu hujus Benedictionis?*

R. 1. Cœmeterium, seu latine dormitorium, est locus auctoritate Ordinarii pro ecclesiastica fidelium sepultura deputatus. Quæ de Cœmeteriis dicenda sunt, in Jure canonico exponuntur; hic sufficiet notare, quod omne novum Cœmeterium, antequam fidelium sepulturæ inserviat, juxta ecclesiasticas leges benedici debet.

Nova Cœmeteria hodiedum non amplius regulariter Ecclesiis sunt contigua, saltem in civitatibus et majoribus pagis; quod si Cœmeterium aliquod novum adhæret Ecclesiæ, animadvertendum est, ex eo quod benedicitur, aut consecratur Ecclesia, Cœmeterium non participare de hac Ecclesiæ benedictione, seu consecratione, et specialiter ipsum esse benedicendum.

Si Cœmeterium benedictum postea amplificatur, seu majus redditur per alterius loci additionem, pars nova addita, antequam sepulturæ inserviat, benedici

specialiter debet ; quia per adjunctionem non fit benedicta ; in casu enim, etiamsi minor foret nova pars addita, major pars non trahit ad se minorem.

II. Benedictio Cœmeterii fieri debet per Episcopum, ritu solemniori in Pontificali Romano descripto ; fieri etiam potest per Sacerdotem ab Episcopo delegatum, eo ritu qui describitur in Rituali Romano (Tit. VIII, Cap. 29). Ritus pontificalis, Episcopis proprius, a simplici Sacerdote delegato numquam usurpari potest.

1. Crux, quæ pridie quam fiat Benedictio, ponitur in medio Cœmeterii, lignea esse debet, alta ad staturam hominis, et absque imagine Crucifixi ; in ejus summitate,et in extremitatibus brachiorum præparantur cuspides ferreæ tres, in quibus possint figi candelæ in actu Benedictionis. Ima Crucis pars insistat in ipso solo, quo sepeliuntur cadavera.

Ante dictam Crucem figitur etiam in terra paxillus, seu palus ligneus, in summitate tridens, altus ad cubitum unum, id est, circa 45 centimetris supra solum eminens ; in summitate cujusque rami tridentis præparuntur etiam cuspides ferreæ, in quibus commode possint figi tres candelæ in principio Benedictionis.

Crux et paxillus ponuntur pridie absque ulla cæremonia ; a quocumque potest id opus perfici.

2. Benedictio Cœmeterii fieri potest quacumque die ; sed functio matutino tempore exsequenda est.

3. Sacerdos delegatus pro functione paratur amictu, alba, cingulo, stola, ac pluviali albi coloris ; Ministri induti sunt superpelliceis. Si Cœmeterio proxima est Ecclesia, se parabunt omnes in Ecclesiæ sacristia ; alias id facere possunt in ipso Cœmeterio, ad mensam prope Crucem paratam.

Ministri sunt : minister qui defert vasculum aquæ benedictæ et aspergillum ; thuriferarius, cum thuribulo et navicula ; minister qui defert Rituale ; minister qui defert tres candelas cereas, et laternam cum lumine ad candelas accendendum ; cantores plures ; Sacerdotes duo, aut Clerici qui assistunt Celebranti, ad utrumque ejusdem latus semper adstantes et ministrantes.

4. In ipso Cœmeterio, non longe a Cruce paratur mensa, candida tobalea cooperta, in qua possint in

decursu functionis deponi varia quæ a ministris deferuntur, et etiam ante functionem præparari paramenta, si ibi assumuntur, et tres candelæ.

Ante Crucem extenditur tapetum, in quo genuflectere possit Celebrans dum dicuntur Litaniæ.

5. Hora constituta, Celebrans et ministri, parati ut supra, accedunt ad Crucem sequenti ordine : præcedit minister aquæ benedictiæ,vasculum et aspergillum portans ; alii omnes procedunt bini et bini ; ultimo loco venit Celebrans medius inter duos assistentes.

Ante Crucem omnes consistunt facie ad ipsam conversa ; Celebrans stat ante Crucem ; reliqui ministri ab utroque ejus latere, cantores ab una alterave parte.

6. Quando omnes loco suo consistunt, minister defert tres candelas, ac statim ipsas ponit super cuspides tridentis paxilli, et accendit ; et eo modo incipit Benedictio in nomine SS. Trinitatis. Quo facto, Celebrans, junctis manibus, alta voce dicit absolute : *Oremus*, cum sequenti Oratione ; ad verba indicata efformat dextera elevata signum Crucis versus Crucem.

7. Litaniæ ordinariæ, seu Omnium Sanctorum, cantantur ante Crucem, omnibus genua interea flectentibus ; cantores incipiunt, cæteri respondent. Ubi dictum fuerit : *Ut omnibus fidelibus etc.*, Celebrans solus assurgit, et clara voce dicit, seu cantat : *Ut hoc Cœmeterium etc.*, signum Crucis dextera elevata efformans versus Crucem ad verbum *benedicere* ; deinde Celebrans, ut prius, genuflectit, et Litaniæ perficiuntur usque ad ultimum *Kyrie eleison* post *Agnus Dei*. Quibus finitis, assurgunt Celebrans et cæteri omnes, et accedit ad Celebrantem minister aquæ benedictæ.

8. Post Litanias, Celebrans, accepto cum osculis consuetis aspergillo a primo assistente, intonat Antiphonam *Asperges me etc.*, quam prosequuntur Cantores, qui cantant totum Psalmum *Miserere mei etc.*, et eo dicto repetunt Antiphonam.

Dum dicitur Antiphona ante Psalmum, Celebrans aspergit Crucem per modum Crucis, id est, in medio, ad suam sinistram, et ad suam dexteram ; deinde dum dicitur a Cantoribus Psalmus, Celebrans comitatus a duobus assistentibus et ministro aquæ benedictæ,

incipiens ad Crucis dexteram (suam sinistram), circuit et perambulat totum Cœmeterium, aspergens illud ubique aqua benedicta, non per modum Crucis, sed a dextris et a sinistris, ita ut Cœmeterium totum et ubique aspergatur ; interea nihil dicit.

8. Facta Cœmeterii aspersione,et reddito aspergillo, Celebrans « redit ante Crucem , et ad ipsam respiciens, dicit » Orationem (n. 6) ; primum respicit Crucem,dein dicit Orationem. « Crucem respicit Sacerdos, expleta Benedictione, ut a signo humanæ Redemptionis auspicium sumat pro collata Benedictione, et propterea animæ illorum, qui in illis Cœmeteriis sepeliendi sunt, fructum ejusdem Redemptionis per Sanguinem Christi in Cruce effusum recipiant. » (Barrufaldus, *Ad Rituale Romanum Commentaria*, Tit. 74, n. 37.) Ad verba in Oratione assignata, Celebrans ter signum Crucis elevata dextera facit versus Crucem.

10. Dicta Oratione, Sacerdos Celebrans ipse accipit e paxillo mediam candelam ardentem, eamque figit in cuspide ad summitatem Crucis positam ; secundam candelam ponit in cuspide ad brachium dextrum Crucis (quod est ad suam sinistram), tertiam in cuspide ad brachium Crucis sinistrum. « Summa totius Benedictionis est, ut lux æterna luceat animabus defunctorum, qui in illo loco sepeliendi sunt. Per lumen igitur candelarum in summitate, et brachiis Crucis fixarum fit, ut fides Resurrectionis vigeat, et lumen æternæ vitæ in illis resplendeat per meritum Christi in Cruce passi. » (Barrufaldus, loco citato, n. 38.) Quo facto, Celebrans iterum stat ante Crucem.

11. Accedit tunc Thuriferarius ad Celebrantis dexteram ; et ministrante cum osculis consuetis incensum primo assistente, qui dicit : *Benedicite, Pater Reverende*, Celebrans imponit incensum in thuribulo, et benedicit, dicens : *Ab illo benedicaris, etc.;* accepto dein a primo assistente cum osculis consuetis thuribulo, Celebrans, facta ante et post profunda ad Crucem capitis inclinatione, Crucem triplici ductu incensat, et reddit thuribulum primo assistenti, qui illud reddit Thuriferario.

12. Accedit dein minister aquæ benedictæ, et Cele-

brans, accepto cum osculis consuetis a primo assistente aspergillo, aspergit aqua benedicta eamdem Crucem, in modum Crucis, ut supra (n. 8), et reddit aspergillum primo assistenti, qui illud mox reddit ministro.

13. Quo facto, omnes profunda capitis inclinatione reverentur Crucem, et, eodem quo venerunt ordine (n. 5), discedunt ad sacristiam, vel ad mensam (n. 3), et deponunt paramenta.

14. Candelæ in Cruce positæ non extinguuntur, sed remanent accensæ quoad totaliter consumantur ; « ut ita edoceamur, venerationem loci perpetuo durare debere, nec ab ulla humana vi posse extingui. » (Baruffaldus, loco citato, n. 40.)

Q. 345. *Quid est Benedictio Pontificia ? A quibus potest dari ? Quid notandum est de ritu in ea servando ?*

R.I. Benedictio Pontificia, seu Papalis, seu Apostolica, illa est quæ solemni ritu, statis diebus, nomine Summi Pontificis, super populum datur, ab illo qui specialem facultatem accepit ex Indulto Sedis Apostolicæ ; et cui annexa est Indulgentia plenaria sub certis conditionibus pro ea lucrifacienda præscriptis.

II. Benedictio Pontificia potest dari ab Episcopis Ordinariis, quotannis, semel in Festo Resurrectionis Domini, et iterum in alio die festo solemni, eorum arbitrio designando, expleta in utraque solemnitate Missæ Pontificalis celebratione ; quod si celebrare non valeant, pro illo die et illa vice Benedictionem Apostolicam impertiri non possunt, nisi speciale Indultum a Sancta Sede obtinuerint.

Benedictio Pontificia potest etiam dari a Superioribus designatis aliquorum Regularium Ordinum, in Ecclesiis suorum Ordinum ; sed numquam eodem die, et in eodem loco ubi Episcopus eam impertitur.

Benedictio Pontificia potest etiam dari aliquando, in extraordinariis circumstantiis, a Sacerdotibus designatis, tum sæcularibus, tum regularibus, ex speciali Indulto Sanctæ Sedis.

Notandum est quod facultas concessa non potest subdelegari, nisi specialiter per Indultum hoc fuerit concessum.

III. Ritus ab Episcopis adhibendus præscriptus fuit a Clemente XIII, in Constitutione *Inexhaustum*, data tertio nonas Septembris 1762, et a Benedicto XIV, in Constitutione *Exemplis prædecessorum*, data 19 Martii 1748, et describitur in Appendice Pontificalis Romani.

Ritus a Sacerdotibus, tam regularibus quam sæcularibus adhibendus præscriptus fuit a Benedicto XIV, in supra citata Constitutione 19 Martii 1748, et describitur in Rituali Romano (Tit. VIII, Cap. 32).

In superscriptione Capitis 32 in Rituali dicitur, Ritum descriptum esse servandum a Regularibus; quia Clemens XIII, per Constitutionem supracitatam anni 1762, revocavit et abolevit quæcumque Indulta et privilegia concessa, illis solis retentis quæ aliquibus Ordinibus Regularibus fuerant attributa; Sacerdotes sæculares tamen, qui facultatem Pontificiæ Benedictionis elargiendæ obtinent, eumdem ritum profecto servare tenentur.

De hoc ritu servando sequentia notantur:

1. Si in particulari concessione facultatis mentio fiat, Benedictionem esse elargiendam post Missam solemnem, ille Sacerdos, qui Benedictionem daturus est, debet ipse Missam hanc solemnem celebrare.

2. Indictio præmittenda Pontificiæ Benedictioni, ejusque descriptus ritus, tum quoad locum, tum quoad habitum, tum quoad modum, ad amussim in omnibus, et ab omnibus quibuscumque debent servari.

3. Lectio Apostolicarum Litterarum, seu Decretorum, quibus Indulgentia conceditur, una cum potestate Benedictionem Apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet, tum latino, tum vulgari ad populi intelligentiam accommodato sermone, necnon pius brevisque sermo ad populum, quo ad scelerum detestationem excitetur, fieri possunt, vel ab ipso Sacerdote delegato, vel ab alio, e suggestu, vel loco opportuno, ut ab omnibus possint audiri.

4. Sacerdos pro danda Benedictione induit superpelliceum, et stolam coloris Officii diei; alia paramenta superaddere non potest.

5. Sacerdos, indutus ut supra, accedit ad Altare, nullis circumstantibus sacris ministris; et genuflexus

in infimo gradu, alta voce dicit, seu cantat Versiculos præscriptos; et stans dicit Orationem. Nisi ipse librum teneat, manus semper junctas tenet.

6. Dicta Oratione, Sacerdos ascendit ad Altare, et facta in medio profunda capitis inclinatione ad Crucem, accedit ad cornu Epistolæ; ibi mox conversus ad Altaris Crucem, dicit alta voce: *Benedicat vos omnipotens Deus*, interim oculos elevans, manusque extendens et rejungens, sicut ad Benedictionem in fine Missæ; et statim super sinistram suam conversus ad populum, subjungit: *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*, interim dextera extensa unico signo Crucis populum benedicens.

7. Post Benedictionem ita datam, Sacerdos accedit ad Altaris medium, profunde inclinat caput Cruci, descendit,ante gradus Altaris facit eam quæ convenit reverentiam, inclinationem capitis profundam scilicet, vel genuflexionem si in Altare prostat Tabernaculum SS. Sacramenti, et discedit ad sacristiam.

346. Ritus Benedictionum 1° Candelarum, in Festo Purificationis B. Mariæ Virginis, seu 2 Februarii; — 2° Cinerum, in Feria IV in Capite Jejunii; — et 3° Palmarum, in Dominica Palmarum, describuntur, non in Rituali Romano, sed in Missali Romano, ad respectivos illos dies.

Exponuntur isti ritus in Tomo V hujus operis, qui inscribitur « Cæremoniale »; tum in Serie II Instructionum, Capite IX, §§ 1, 2, 3, pro Officio Cæremoniarii; tum in Serie III et IV, Capite XII, XIII, XIV, pro Officio Subdiaconi et Diaconi; tum in Serie V, Capite X, XI, XII, pro Officio Celebrantis; tandem in Appendice, cui nomen « Memoriale Rituum », Titulo I, II, III, pro minoribus Ecclesiis.

347. In Appendice Ritualis multæ et variæ describuntur Benedictiones: de quibus omnibus et singulis dicere, quarumque regulas et ritus exponere longius æquo duceret; ex hucusque expositis regulis Benedictionum, in genere et in specie, deduci satis poterit, quid pro diversarum Benedictionum Appendicis ritibus, et quomodo sit observandum.

TITULUS IX

De Processionibus

§ 1. De diversis Processionibus

Q. 348. *Quæ liturgica functio vocatur Processio? Quo fine institutæ fuerunt Processiones?*

R. I. Processio, sensu ecclesiastico intellecta, est publica supplicatio ad Deum facta, a clero et a populo christiano, de loco sacro ad sacrum certo ordine procedente.

II. Processionibus, ait Rituale (Tit. IX, Cap. 1, n. 1), « ex antiquissimo sanctorum Patrum instituto catholica Ecclesia, vel ad excitandam fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad divinum auxilium implorandum, uti consuevit. »

« Qua par est religione celebrari debent; continent enim magna ac divina mysteria, et salutares christianæ pietatis fructus eas pie exsequentes a Deo consequuntur: de quibus fideles præmonere et erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium est. »

Q. 349. *Quæ Processiones vocantur ordinariæ? Quæ extraordinariæ?*

R. I. « Processiones quædam sunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, ut (1) in festo Purificationis B. Mariæ semper Virginis, et (2) in Dominica Palmarum, et (3) in Litaniis majoribus in festo S. Marci, et (4) in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, et (5) in festo Corporis Christi; vel aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum. »

Processiones quinque ordinariæ quæ recensentur speciatim in Rituali (a Cap. 2 ad 5 inclusive), id proprium habent, quod intime connexæ sint cum Missa his diebus celebranda, et cum Missa unam quasi liturgicam functionem constituant.

II. Processiones « quædam vero sunt extraordinariæ,

ut quæ variis, ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur. » Extraordinariæ sequentes novem describuntur in Rituali (Tit. IX) :

Processio ad petendam pluviam (Cap. 6) ; — Processio ad postulandam serenitatem (Cap. 7) ; — Preces ad repellendam tempestatem (Cap. 8) ; — Preces dicendæ tempore penuriæ et famis (Cap. 9) ; — Processio tempore mortalitatis et pestis (Cap. 10) ; — Preces dicendæ in Litaniis tempore belli (Cap. 11) ; — Processio in quacumque tribulatione (Cap. 12) ; — Preces dicendæ in Processione pro gratiarum actione (Cap. 13) ; — Processio in translatione sacrarum Reliquiarum insignium (Cap. 14).

Extraordinariæ Processiones quasi votivæ potius habendæ sunt, alienæ ab Officio et Missa diei in qua fiunt. Ritus earum descripti sunt in præsenti Ritualis Romani Titulo IX ; præterea de illis dicitur in Cæremoniali Episcoporum (Lib. II, Cap. 32, nn. 8, 9) : « Ad similitudinem harum Processionum (scilicet in Litaniis majoribus et minoribus) regulari poterunt et aliæ Processiones extraordinariæ, quæ fieri quandoque contingit ad placandam iram Dei. »

« Si vero celebrandæ erunt Processiones ex causa lætitiæ, et pro gratiarum actione, aut etiam pro translatione aliquarum insignium Reliquiarum Sanctorum, ordinari poterunt ad exemplum Processionis SS. Sacramenti : lumina tamen, seu funalia accensa deferri magis convenit, cum SS. Sacramentum, vel saltem Reliquiæ in Processionibus deducuntur. »

Eadem regula servari debet pro iis Processionibus ordinariis, quæ celebrantur quotannis « aliis diebus pro consuetudine Ecclesiarum. »

Q. 350. *Quæ Processiones vocantur generales ? Quæ particulares ?*

R. I. Processiones dicuntur generales, seu publicæ, ad quas Clerus omnium Ecclesiarum illius loci vel civitatis convenire debet ; tales sunt Processiones Litaniarum majorum, et minorum, et SS. Corporis Christi, quæ a Rubricis præscriptæ sunt ; et etiam Processiones extraordinariæ, quæ aliquando pro publico

bono, causa, vel honore ab Episcopo indicuntur.

Quando in una civitate, aut in uno loco variæ sunt Ecclesiæ, non requiritur ut in singulis fiant istæ Processiones, sed sufficit ut instituantur in Ecclesia principali, ad quam conveniunt clerici reliquarum Ecclesiarum. De his Processionibus generalibus præscribit Concilium Tridentinum (Sess. XXV, *De Regularibus et Monialibus*, Cap. XIII), ut « exempti omnes, tam clerici sæculares quam regulares quicumque, etiam monachi, ad publicas Processiones vocati, accedere compellantur ; iis tantum exceptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt. »

II. Processiones dicuntur **particulares**, seu **privatæ**, quæ in unaquaque Ecclesia separatim instituuntur, quales sunt Processiones in Festo Purificationis B. Mariæ V., in Dominica Palmarum, a Missali præscriptæ ; aut aliæ in singulis Ecclesiis consuetæ.

Q. 351. *Pro quibus Processionibus, et cujus licentia requiritur ut celebrari valeant ?*

R. 1° Processiones ordinariæ particulares, quæ præscribuntur a Rubricis Missalis, in Ecclesia faciendæ in divinis Officiis, possunt in omni Ecclesia parochiali celebrari absque licentia Episcopi ; quia eo ipso quod erecta sit Ecclesia parochialis, concessa censetur facultas exercendi functiones liturgicas in Missali et Rituali, et proin in jure liturgico præscriptas.

2° Processiones ordinariæ publicæ, in Festo et per Octavam SS. Corporis Christi, celebrari possunt absque Episcopi licentia. Pro Processionibus in Litaniis majoribus et minoribus dubitatur, an non pro prima vice expetenda sit Episcopi licentia.

3° Processiones extraordinariæ, generales aut particulares, non possunt institui absque licentia Episcopi.

4° Processiones quæ jam fiunt ex consuetudine Ecclesiarum, tam generales quam particulares, celebrari possunt absque nova licentia Episcopi ; poterit tamen Episcopus eas prohibere, etiam non obstante consuetudine.

Hac de re sequentia habentur in Statutis Diœcesanis

(n. 333) : « Archiepiscopi mandatum vel assensus requiritur, ut intra vel extra septa Ecclesiæ instituantur Processiones cum Sanctissima Eucharistia,..... exceptis casibus quos Rubricæ vel Decreta Apostolica determinant. Excipimus quoque eas Processiones et Expositiones, quæ, ex Prædecessorum nostrorum concessione, in hac Diœcesi usu receptæ sunt. »

Q. 352. *Memora quædam de origine, et scopo quinque Processionum, quæ tamquam ordinariæ in Rituali recensentur.*

R. I. **Processio in die festo Purificationis B. Mariæ Virginis, seu 2 Februarii.**

Romani adhuc pagani, mense Februario, ritum ludorum amburbalium servantes, faces gestantes manibus, lustrabant Urbem, et diis manibus sacrificia offerebant. Quam lustrandi consuetudinem congrue et religiose Christiana mutavit religio, quum eodem mense, 2 Februarii, in honore Sanctæ Dei Genitricis, non solum Clerus, sed et omnis plebs Ecclesiarum loca cum cereis, et sub hymnorum cantu, lustrantes circumeunt, et Missarum solemnia devotissime celebrant, nullusque aditum publicæ stationis intret, si lumen manu non tenuerit ; tamquam scilicet Dominum in templo oblaturi, imo etiam suscepturi ; et fidei lumen, quo interius fulgent, exterius oblationis suæ religione demonstrantes. (Ex Alcuino, et S. Ildephonso Toletano.)

Quandonam vero, et a quo Pontifice substitutio christianæ festivitatis infamibus gentilium ritibus facta fuerit, in incerto est; in Oriente, non omnibus Ecclesiis communem fuisse solemnitatem ante sæculum sextum, patet ex edicto Imperatoris Justiniani, anni 542 ; ipsamque celebritatem apud Latinos a Græcis manasse auctores putant. (Cfr. Nilles, *Kalendarium utriusque Ecclesiæ*, 1879, Tom. I, pp. 91, 92.) Quidam auctores institutionem Processionis Romæ tribuunt S. Gelasio I († 496); alii S. Sergio I († 701) ; hunc tamen, Processionem, jam antea inductam, tantum moderatum fuisse tenet Benedictus XIV (*Commentarius de D. N. Jesu Christi Matrisque ejus festis*, Pars II, § 23).

II. **Processio in die Palmarum.** — Dominica quæ Pascha antecedit, a gestatione palmarum nomen traxit,

quod illo die rami palmarum in Processionibus deportentur, in significationem illorum, quos filii Israel sternebant in via, quum Dominus Hierosolymam tendens asello sedebat ; et ut ita nobis discipulorum turbarumque fides ac devotio in Christum imitanda proponatur.

In Ecclesia Occidentali, initio etiam dicta fuit **dies Hosannæ**,ab acclamationibus festivis, quibus turbæ Jesum sunt prosecutæ ; Hosanna enim vox acclamationis est, a Judæis adhiberi solita erga viros de republica optime meritos, et singulari vitæ sanctimonia præclaros, quibus felicitatem, benedictionem, et gloriam adprecabantur ; et significatio fuit lætitiæ, et gaudii, quibus populus triumphali illo die Christum Redemptorem salutavit Messiam.

Præ cæteris autem eminet appellatio, quam dies hæc a floribus traxit, nimirum **Dominica florum, Pascha floridum**. (**Pâques fleuries**) : Paschatis nomenclaturam quod attinet, observat Durandus, quodlibet magnum festum ea in quibusdam provinciis donari ; quod a floribus nomen accepit, id non una ex causa venit : cum diem hunc magnæ pompæ apparatu, ramis olivarum ac floribus in formas varias confectis, et in frondibus, baculis perticisque appensis, multis in locis solemni ritu celebrent Christiani ; et flores ipsi cum ramis olivarum, aliisque frondibus solemniter benedicti legantur. Accedit mystica appellationis ratio, quod nempe Dominica Palmarum veluti flos quidam appareat appropinquantis Paschatis, jamjam in fructum maturescens, atque ipso die Resurrectionis ad plenam maturitatem perventurus.

Cultum hujus Dominicæ in Occidente primum commemorat sæculo septimo S. Isidorus Hispalensis († 636) ; in Oriente vero multo maturius, sæculo jam quinto, celebratum fuisse indicatur. (Cfr. Nilles, in opere citato, Tom. II, pp. 198-206.)

III. **Processio Litaniarum majorum**, quæ in Festo S. Marci celebratur. — Litaniæ solemnes, in Kalendariis ad 25 Aprilis consignatæ, Litaniarum majorum nomine, ceu propria appellatione insignitæ fuerunt. Institutæ reperiuntur jam ante S. Gregorium Magnum († 604);

sed ex imitatione extraordinariæ Litaniæ septiformis, quæ ab ipso in Urbe, occasione pestis grassantis, anno 590, ordinata fuerat, solemniori eodem ritu celebrari, et Majores dici cœperunt; etenim antiquitus ad septem diversas Urbis Romæ Ecclesias conveniebant fideles ad singulas assignati; unde Litanias decantando procedentes, conveniebant omnes ad Basilicam S. Mariæ Majoris.

Finis Litaniarum Majorum Processionis spirituale Ecclesiæ bonum est, et fidelium quoque temporalis utilitas. Tunc enim temporis agitur, cum segetes omnes in via sunt ad profectum, messes pullulant, arbores florescunt, vineæ et olivæ prorumpunt : ut ergo impetrent Christiani a Deo messium et fructuum conservationem, maturitatem, felicemque exitum, hanc Processionem instituit Sancta Mater Ecclesia.

Non constat quare hæc dies 25 Aprilis fuerit assignata his Litaniis majoribus; forsan quia hac die Romani pagani celebrabant Festa dicta « Robigalia », quorum præcipuus ritus erat processio, seu lustratio per agros pro terræ frugibus; nulla autem habetur connexio eas inter et Festum S. Marci, quod postea tantum introductum in Kalendario fuit. (Amberger, *Pastoral theologie*, 1883, Tom. II, p. 834.)

Rubrica specialis Missalis Romani, ad diem 25 Aprilis, dicit : « Si contingat transferri Festum S. Marci, non tamen transfertur Processio, nisi quando prædictum Festum occurreret in die Paschatis; tunc enim in Feriam III sequentem transferatur. » Attamen, per Decretum, adhuc servandum, Concilii Provincialis Mechliniensis III, anni 1607, a Paulo V approbati, statuitur, Titulo XIII, Capite VI, quod : « Festum S. Marci, si in hebdomada Paschæ, vel in Dominica *Quasi modo* evenerit ; celebretur Feria quarta post *Quasi modo*, tam a Clero, quam a populo. Si vero in aliam Dominicam inciderit, Festum quidem servetur ipsa die Dominica ; sed Processio, abstinentia a carnibus per totum diem, et jejunium usque ad prandium, serventur die sequenti. Quod si vero in Feriam quartam post Dominicam *Quasi modo* translatum, cum Festis SS. Philippi et Jacobi, aut S. Crucis, concurrerit ;

celebritas quidem a populo illis ipsis diebus servabitur, sed dicta Processio, abstinentia, et jejunium, sicut in diebus Rogationum,in Feriam quintam transferentur.» (Cfr. Synodicon Belgicum, Tom. I, p. 386.) — Jejunium usque ad prandium, in Decreto præceptum, suppressum fuit per Decretum Cardinalis Caprara, 20 Junii 1804. Quoad abstinentiam a carnibus notandum est, quod ab Illmo Dno Archiepiscopo, vi specialis Indulti Sedis Apostolicæ, « annue dispensatio conceditur pro tribus diebus Rogationum, et pro Festo S. Marci, quibus in hac Diœcesi viget obligatio abstinendi a carnibus, vi consuetudinis aut legis localis.» (Stat. Diœc. n. 314.)

IV. **Processio in Litaniis minoribus Rogationum,** triduo ante Ascensionem Domini. — Has Litanias, non græco, sed latino vocabulo, quod idem valet, **Rogationes** antiquitas appellavit. Eas a S. Mamerto, Episcopo Viennensi, versus annum 470, primum fuisse institutas S. Gregorius Turonensis refert; quod confirmat Martyrologium Romanum, quinto Idus Maji : cum enim urbs illa multis terreretur prodigiis, ut terroribus terminum daret, Sanctus Pontifex cum gemitu et lacrymis Domini misericordiam imprecans, indixit populis jejunium, instituitque orandi modum. Cessantibus deinde terroribus, per cunctas provincias dispersa facti fama, cunctos sacerdotes imitari commonuit, quod Sacerdos fecit ex fide : quæ usque nunc in Christi nomine per omnes ecclesias in compunctione cordis, et contritione spiritus celebrantur. In Concilio Arelatensi V, anno 511, receptæ, atque ipsius tandem Romani Pontificis Leonis III († 816) auctoritate approbatæ fuerunt. (Cfr. Nilles, in opere citato, Tom. II, pp. 137, 362.)

Minores dictæ semper fuerunt in Liturgia Romana istæ Litaniæ : vel ut distinguantur a majoribus in Festo S. Marci, quæ Romæ a Pontificibus institutæ ac stabilitæ, dictæ etiam fuere Romanæ, dum præsentes a minori, nempe ab Episcopo Mamerto, primitus sunt introductæ; vel etiam quia olim minori cum solemnitate celebrabantur; unde etiam hodie Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. 32, n. 7) notat , in his

Litaniis minoribus eadem esse servanda quæ in majoribus, « sed aliquanto remissius. »

Porro finis hujus Processionis Litaniarum Minorum idem profecto est quam qui supra pro Litaniis Majoribus fuit indicatus. Itaque de facto utriusque Processionis propria denominatio permanet, quamvis vix exstet in præsenti ejusdem discriminis ratio.

Supplicationum forma, quæ in Litaniis reperitur, antiquissima est, et Processionum scopo convenientissima. Primitus tantum decantabatur : *Kyrie eleison*, (sicuti et hodie in Consecratione Ecclesiæ, cum Reliquiæ Sanctorum sepulchro Altaris includendæ circum Ecclesiam deferuntur, populus conclamat per totum circuitum : *Kyrie eleison*, sæpius repetitum). — Romæ mox alternatim dicebatur : *Kyrie eleison*, et *Christe eleison*, quas **invocationes** usque tercenties in quibusdam Processionibus repetitas fuisse notat Mabillon (*Commentarius ad Ordines Romanos*, I, 2, p. 34). — Postea additæ fuerunt, tum invocationes singularum personarum SS. Trinitatis, tum collectiva Trinitatis invocatio, quibus populus acclamabat : *miserere nobis ;* dein invocationes B. Mariæ V., Angelorum, et cujuscumque Ordinis Sanctorum, cum responsorio : *ora* (*orate*) *pro nobis*. Sancti invocati diversi fuerunt in diversis regionibus, et diversis temporibus : antiquissima Litania in Sacramentario Gregoriano recenset 101 Sanctorum nomina, et in quadam Litania Ecclesiæ Turonensis, anni circiter 800, occurrunt usque 300 cœlitum invocationes. — Adjunctæ his fuerunt primum **deprecationes**, seu preces ad avertenda mala, tum mentis tum corporis, cum **obsecrationibus** ad Filium, quibus populus respondebat : *libera nos, Domine ;* dein **supplicationes**, seu orationes pro Ecclesia, et omni hominum statu, cum responsorio : *Te rogamus, audi nos ;* — tandem : *Agnus Dei* ter repetitum, cum responsoriis : *parce nobis, Domine ; exaudi nos, Domine ; miserere nobis.* - Clauduntur Litaniæ primitia unica formula: *Kyrie eleison.* — Hanc antiquissimam Litaniarum formam quam fidelissime in nostris hodiernis Litaniis, dictis Omnium Sanctorum,servatam fuisse patet. (Cfr. Kraus, *Real-Encyclopedie der Christlichen Altherthümer*, 1882;v. Litaniæ.)

V. Processio in Festo Sanctissimi Corporis Christi.— Festum Theophoriæ, seu SS. Corporis Christi, originem ducit a sæculo XIII, quo primum in Ecclesia Leodiensi summa solemnitate celebratum est, opera præcipue Beatæ Julianæ, Montis Cornelii sanctimonialis, et Hugonis Cardinalis, Legati a latere ad provincias Alemaniæ. Ab universa Ecclesia celebrandum Festum instituit Urbanus IV, anno 1264. Quum autem hic Pontifex paulo post datam Bullam excessisset e vita, nec quisquam urgeret, ut executioni mandaretur, inde factum est, ut annis insequentibus ejusmodi festivitatem celebratam esse non reperiamus. Verum Clemens V, in Concilio Viennensi, anno 1311, Urbani Constitutionem confirmavit, ejusque exsecutionem Joannes XXII, qui anno 1316 Clementi V successit, omni studio curavit, ad eamque rem Martinus V, et Eugenius IV, novis indulgentiis concessis, plurimum contulerunt, ut tandem in tota Ecclesia festivitas celebraretur.

Quod augustissimum hoc Festum peculiari ratione reddit conspicuum, est solemnis illa Supplicatio seu Processio, qua SS. Sacramentum non tantum publico fidelium cultui exponitur, sed summo apparatu etiam per vias et loca publica circumfertur ; ut « christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem, pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentantur. Ac sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii, in conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant. » Ita Concilium Tridentinum (Sessio XIII, *Decretum de SS. Eucharistiæ Sacramento*, Cap. V). (Cfr. Nilles, in opere citato, Tom. II, pp. 464-468.)

§ 2. Regulæ quædam generales in Processionibus servandæ

353. Ritus Processionum : 1° in Festo Purificationis B. Mariæ Virginis, seu 2 Februarii; — 2° in Dominica

Palmarum ; — 3° Litaniarum majorum, et minorum ; — 4° in Festo SS. Corporis Christi; quæ describuntur in Rituali Romano (Tit. IX, Cap. 2-5), exponuntur in Tomo V hujus operis, qui inscribitur « Cæremoniale » ; tum in Serie III et IV Instructionum, Capite XII, XIV, XIX, XX, pro Officio Subdiaconi et Diaconi ; tunc in Serie V, Capite X, XII, XVII, XVIII, pro Officio Celebrantis ; — pro Processionibus in Purificatione, et in die Palmarum, quædam notantur quoque utilia Cæremoniario, in Serie II Instructionum, Capite IX, § 1 et 3 ; — pro iisdem duobus Processionibus instituendis in minoribus Ecclesiis, describuntur ritus in Appendice, cui nomen « Memoriale Rituum », Titulo I et III.

354. In diversis locis, occasione celebriorum festivitatum, extra ordinem consuetum occurrentium, non raro instituuntur pro gratiarum actione, vel ex causa lætitiæ, Processiones solemniores, in quibus interest Episcopus et SS. Sacramentum portat ; opportune ideo hic describentur ea quæ Cæremoniale Episcoporum præcipit observanda pro Processione SS. Sacramenti (Lib. II, Cap. 33) ; ad cujus exemplum aliæ Processiones extraordinariæ ordinari poterunt (cfr. Q. 349, II) ; valde utilia enim erunt his qui hujusmodi Processiones in casu ordinare, et dirigere debent.

1. Ut processio, quæ hac die erit facienda, rite, et recte, ac secundum debitas cæremonias in honorem tanti Sacramenti fiat, et ad removendas omnes contentiones, et lites, quæ forsitan causa præcedentiæ oriri possent, in ipso actu maxima cum indecentia, et scandalo processionem ipsam turbare, cura erit Episcopi pridie hujus diei, vel etiam per aliquos dies ante, demandare Magistris Cæremoniarum, vel alteri, ad quem forsitan secundum loci consuetudinem hujusmodi cura spectabit, ut omnia decenter, et diligenter præparentur, et prævideantur.

2. Nempe, ut viæ, per quas processio transire debebit, mundentur, et ornentur aulæis, pannis, picturis, floribus, frondibusque virentibus secundum posse, et qualitatem loci. Et ipsa ecclesia similiter perpulchre ornata sit, prout legitur in *Cap.* XII. *Lib.* I. de ornatu Ecclesiæ.

3. Item, ut fiat rotulus, in quo describantur per ordinem omnes, tam laicorum confraternitates, religiosi, et clerus, quam etiam alii quicumque, qui huic Processioni interesse consueverunt, vel debent : ut secundum debitum ordinem, et absque ali-

qua contentione procedatur : apposita etiam aliqua pœna pecuniaria, vel etiam, si Episcopo videbitur, pœna excommunicationis, contra inobedientes, et procedere recusantes, secundum ordinem præscriptum in dicto rotulo.

4. Quod si aliqua præcedentiæ lis inter aliquos religiosos, confraternitates, seu laicos pendeat, quæ non ita de facili terminari valeat, poterit Episcopus mandare, ut absque præjudicio jurium ambarum partium,vel procedant secundum ordinem in dicto rotulo descriptum, vel omnino ab hujusmodi processione abstineant, donec lis fuerit determinata ; et intimentur omnes in rotulo descripti, ut ipsa die festivitatis sanctissimi Corporis Christi, summo mane ad ecclesiam Cathedralem conveniant, et ibidem, vel in aliquo ejusdem Ecclesiæ atrio, seu platea congregentur, unaquæque religio, et confraternitas cum suis insignibus,et cruce, ac etiam funalibus, seu candelis in Processione deferendis. Omnes enim tam religiosi, quam laici deberent, si fieri posset, in hac Processione, si non funalia, saltem candelas ceræ albæ, accensas manibus portare.

5. Ordo autem describendus in prædicto rotulo erit, ut præcedant confraternitates laicorum, deinde religiosi secundum ordinem antiquitatis, vel prout de jure, vel consuetudine præcedere solent ; postmodum Curiales, et Officiales portantes intorticia accensa, inter quos ultimo loco ibunt Nobiliores, et Magistratus, deinde clerus, hoc est, primo minister portans crucem ecclesiæ Cathedralis, medius inter duos Clericos portantes duo candelabra cum candelis accensis ; deinde, si aderunt, clerici seminarii, et post eos Curati ecclesiarum parochialium cum cottis ; tum ecclesiæ Collegiatæ cum eorum insignibus, si alias illa deferre solent ; et ultimo loco clerus ecclesiæ Cathedralis, cujus ecclesiæ saltem octo Beneficiati, seu Mansionarii erunt parati cum pluvialibus albis, pro deferendis hastis baldachini in principio processionis, ut infra dicitur, et deinde ibunt ante Canonicos, qui similiter omnes una cum Dignitatibus erunt parati paramentis albis, sibi competentibus, quemadmodum solent parari, Episcopo solemniter celebrante, incipiendo a junioribus, et inferioribus hoc ordine, videlicet, primo Subdiaconi, et Diaconi cum tunicellis, et dalmaticis, deinde Presbyteri cum planetis, ultimo loco Dignitates cum pluvialibus ; et si erit Archiepiscopus, portabitur immediate ante prædictos octo Beneficiatos paratos, et Canonicos, per aliquem Subdiaconum paratum, medium inter duos acolythos ceroferarios,crux archiepiscopalis.

6. Ante Episcopum immediate ibit minister de baculo serviens, seu juxta loci consuetudinem, Dignitas, vel Canonicus paratus pluviali, baculum prædictum a terra elevatum ambabus manibus portans, prout in *Cap.* XVII. §. VI. *Lib.* I. de mitra, et baculo pastorali dicitur.

7. A lateribus hinc inde ibunt octo Capellani cum cottis, qui in Missa servierunt, quatuor pro qualibet parte, portantes eadem funalia accensa, quæ pro Missa servierunt ; et post eos duo acolythi cum duobus thuribulis, continue Ss. Sacramentum per viam thurificantes.

8. Sequetur Episcopus sub baldachino capite detecto, portans manibus suis sanctissimum Sacramentum in tabernaculo, sive ostensorio inclusum, medius inter duos Diaconos assistentes paratos, hinc inde pluvialis fimbrias elevantes.

9. Post Episcopum immediate minister, de mitra serviens, cum cotta, et velo ad collum, mitram ipsam manibus gestans.

10. Si aderit Legatus de latere, vel alius Cardinalis, aut Metropolitanus, seu Nuntius Apostolicus, habens facultatem Legati de latere ; vel alius Prælatus, ipso Episcopo superior, ibunt immediate post Episcopum cum cappa.

11. Alii vero Episcopi extranei, et Prælati post eos in habitu eorum ordinario, hoc est, mantelletto supra rocchettum : et si una cum Legato, vel alio Cardinali adesset Metropolitanus, vel Nuntius, seu alius Prælatus, Episcopo superior, tunc solus Cardinalis, vel soli Cardinales, si plures essent, erunt cum cappa, cæteri vero omnes in habitu ordinario, ut supra.

12. Cavendum etiam erit, ne in hac processione actus scenici, vel ludicri, et indecori intermisceantur, prout in *Capite præcedenti* dictum fuit; sed omnia cum gravitate, et devotione fiant, et procedant.

13. Deputentur etiam nobiles viri, seu Barones, et alii, qui hastas baldachini per viam processionis portent, et qui illos in tempore, quando opus erit, vocet, secundum regulam supra positam in *Cap.* XIV. *Lib.* I. §. II. de usu umbraculi.

14. Ipsa die summo mane, præparetur per sacristam, vel alios ministros baldachinum album perpulchrum,super sanctissimum Sacramentum deferendum; item super credentia,ultra candelabra, et alia ordinaria pro Missa,tabernaculum pulchrum ex auro, vel argento,sive ostensorium,in quo sanctissimum Sacramentum ponendum,portandumque erit; item duo thuribula cum naviculis, et thure; item velum sericum album, amplum, auratum,seu perpulchre ornatum, ponendum super humeros Episcopi, dum Sacramentum portabit. Præparentur etiam funalia, et candelæ ex cera alba in numero sufficienti pro Canonicis, et aliis, deferenda in processione. Quæ omnia per cæremoniarium prævideantur, an sint opportune et ad usum necessarium præparata.

15. Omnibus paratis, Episcopus, quanto citius poterit, veniet ad ecclesiam, ordine, prout dicitur de accessu Episcopi ad ecclesiam, et ibidem Missæ, per primam Dignitatem, vel digniorem Canonicum celebrandæ, paratus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali albo, et mitra assistit, in qua omnia servabuntur, quæ in *Cap.* IX. *hujus Lib.* II. de Missa solemni, quæ coram Episcopo celebratur, expressa sunt; ac etiam post communionem, cum cæremoniis, genuflexionibus, et reverentiis erga sanctissimum Sacramentum super altare positum, quæ explicantur in *Cap.* XXIII. §. VII. *hujus Lib.* II. de Officio, et Missa feriæ quintæ in Cœna Domini.

16. Elevato sanctissimo Sacramento, vel etiam ante, si opus erit, junior Magister Cæremoniarum curabit, ut processio, secundum ordinem in prædicto rotulo descriptum, dirigatur, et procedat.

17. Postquam Celebrans ipse communionem sumpserit, et sanctissimum Sacramentum, in processione deferendum, in tabernaculo incluserit, Dignitates, et Canonici, ac octo Beneficiati supradicti, et si qui alii erunt, qui cum paramentis in processione ire debeant, unusquisque Canonicorum et Dignitatum in loco suo paramenta sacra albi coloris, sibi convenientia, induet; Beneficiati vero prædicti extra chorum capient pluvialia; et discedentibus duobus Diaconis assistentibus, ad se parandum in loco suo, duo ultimi juniores Canonici venient ad assistendum Episcopo, donec primi parati revertantur; quibus reversis, et ipsi ad se parandum ibunt.

18. Finita Missa, et data per Episcopum benedictione, Celebrans, discedens ab altari, ibit in sacristiam, ubi, depositis paramentis Missalibus, induet alia dignitati et ordini suo convenientia, deferenda in processione; et reversus, ibit ad locum suum inter alias Dignitates, seu Canonicos.

19. Interim accedent ad Episcopum duo acolythi cum duobus thuribulis, et ministrante naviculam Presbytero assistente, absque osculo cochlearis, et manus, Episcopus stans cum mitra, sine benedictione, imponet thus in prædictis duobus thuribulis. Quo facto, accedet ad altare, ubi deposita mitra, genuflexus super pulvino ante sanctissimum Sacramentum, accepto e manibus prædicti Presbyteri assistentis uno ex duobus thuribulis, thurificabit triplici ductu sanctissimum Sacramentum.

20. Tum per Magistrum Cæremoniarum imponetur super humeros ejus velum perpulchrum supradictum, quod firmabitur spinulis, ne per viam decidat; et Diaconus assistens a dexteris accedet ad altare, et cum debitis reverentiis accipiet tabernaculum, sive ostensorium cum sanctissimo Sacramento de altari, et illud in manibus Episcopi genuflexi collocabit, cui nec manum osculabitur, nec ullam tunc faciet reverentiam, sed statim atque in ejus manibus ipsum Sacramentum reliquerit, genuflectet: tunc cantores incipient Hymnum *Pange lingua gloriosi, etc.*, et Episcopus cum sanctissimo Sacramento surget, et Diaconi assistentes hinc inde, fimbrias anteriores pluvialis elevabunt; et si contingat aliquos gradus ascendere, et descendere, cæremoniarius, vel aliquis Capellanus extremitates albæ, et vestes interiores ipsius Episcopi a parte anteriori elevabit; et aliquis Princeps, si adsit, vel nobilior laicus sublevabit, et portabit per totam processionem pluviale Episcopi a parte posteriori.

21. Octo vero Beneficiati prædicti, vel Mansionarii ex dignioribus parati, ut supra, accipiant hastas baldachini, quas portabunt per totam ecclesiam, et in porta ecclesiæ illas relinquent in manibus laicorum, qui primo loco Barones, et Nobiliores, seu Magistratus esse debent, deinde alii, ut supra dictum fuit. Ipsi vero Beneficiati præibunt ad locum suum, id est, ante Canonicos paratos.

22. Per viam processionis semper Episcopus aliquos Psalmos, vel Hymnos submissa voce recitabit, respondentibus Diaconis assistentibus: et ordine superius descripto, procedent per totam viam processionis; quæ, si longior fuerit, poterit Episco-

pus in aliqua ecclesia, et super illius altare deponere sanctissimum Sacramentum, et aliquantulum quiescere; et ibidem, antequam discedat, thurificare sanctissimum Sacramentum, et Orationem de Sacramento cantare; quod tamen non passim in singulis Ecclesiis, vel ad singula altaria, quæ forsitan per viam constructa et ornata reperiuntur, faciendum est, sed semel tantum, vel iterum, arbitrio Episcopi.

23. Dum processio erit in fine, id est, prope eamdem ecclesiam, a qua discessit, ante ejusdem ecclesiæ fores, iterum nobiliores laici, vel alii nobilitate eisdem æquales, hastas baldachini capient: et Episcopus sub baldachino ibit usque ad cancellos, vel presbyterium, vel ad gradus altaris, juxta Ecclesiæ structuram, et situationem.

24. Postquam Episcopus pervenerit ad supremum altaris gradum, Diaconus a dextris cum debita reverentia, et genuflexione, ac sine osculo accipiet de manu ipsius Episcopi stantis sanctissimum Sacramentum; et illud super altare collocabit.

25. Interim cantores in cantu pausato, et devoto cantabunt Versiculum *Tantum ergo Sacramentum, etc.*

26. Episcopus vero, deposito velo, genuflectet super pulvino in infimo gradu altaris: mox surget, et imponet incensum in altero ex duobus thuribulis, ministrante naviculam Presbytero assistente, et sine benedictione et osculo, ut supra, et iterum genuflexus sanctissimum Sacramentum triplici ductu, prout fecerat in principio, thurificabit.

27. Quo facto, duo cantores cantabunt Versiculum *Panem de cœlo, etc.*, et chorus Responsorium *Omne delectamentum, etc.* Episcopus surgens, ex libro, quem Diaconi assistentes genuflexi hinc inde sustinebunt, cantabit Orationem *Deus, qui nobis sub Sacramento, etc.*, qua finita, accedat ad altare, et accepto tabernaculo, seu ostensorio cum sanctissimo Sacramento, illud ambabus manibus velatis elevatum tenens, vertens se ad populum, cum illo signum crucis super populum ter faciet, nihil dicens. Quo facto, iterum deponet sanctissimum Sacramentum super altare, deponet velum, et genuflectet, ut supra.

28. Tunc Presbyter assistens in cornu Epistolæ, stans versus populum, facta prius debita reverentia cum genuflexione sanctissimo Sacramento, publicabit Indulgentias, in forma consueta, a Summis Pontificibus, et ab Episcopo concessas omnibus, qui processioni interfuerunt.

29. Et advertatur, ut intorticia, et candelæ, quæ in processione delata fuerunt, non exstinguantur, donec Episcopus cum sanctissimo Sacramento benedictionem, ut supra dictum est, dederit.

30. Omnibus expeditis, Episcopus, facta aliquantulum oratione ante sanctissimum Sacramentum, post debitam genuflexionem, atque accepta mitra extra cancellos, discedet cum Canonicis in sacristiam, ubi paramenta deponet, et solito more associatus ab eis, ad domum suam redibit.

31. Si vero Episcopus voluerit ex sua particulari devotione hac die celebrare, et sanctissimum Sacramentum pro dicta processione conficere, poterit summo mane Missam planam sine cantu le-

gere, omissa pro hac die, propter processionem, ad celeriorem actus expeditionem, et ad evitandum calorem, Missa solemni: et in fine Missæ Canonici, et alii, ut supra, capient paramenta.

32. Episcopus vero, depositis manipulo, et planeta, capiet pluviale; et cetera omnia fient, quæ superius declarata sunt.

33. Et quia solitum est per totam hanc octavam ponere super altare tabernaculum cum sanctissimo Sacramento discooperto, dum Vesperæ, et Officia divina recitantur, ad quæ magna populi frequentia solet accedere, conveniens esset, ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Episcopus, quam Canonici, et omnes præsentes, et in choro assistentes, durante Officio, starent semper capite detecto, et numquam sederent. Quod si ob longitudinem Officii præstare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiæ, detecto capite, existente sanctissimo Sacramento super altari, divinis Officiis assistere.

34. Solitum etiam est octava die hujus festi post Vesperas fieri processionem ad reponendum sanctissimum Sacramentum, quæ non tam solemnis, et longa via, ut prima, sed vel per ecclesiam, vel parum circa extra eam fieri debet, in qua, si Episcopus interesse voluerit, debet cum pluviali sanctissimum Sacramentum portare; et tam in principio, quam in fine processionis illud thurificare, et alia facere, quæ superius expressa sunt; et demum Diaconus debet in fine illud includere, et reponere in tabernaculo, ubi solet continue asservari.

35. Absente Episcopo, et in Collegiatis, Celebrans, finita Missa, et depositis planeta, et manipulo, capiet pluviale, et sanctissimum Sacramentum thurificabit, illudque sub baldachino portabit, et omnia ut supra fient, exceptis iis, quæ ad Episcopum proprie pertinent.

Q. 355. *Quis ordo in Processionibus servandus est ab iis qui ipsis intersunt?*

R. Omnis liturgica Processio semper incipitur a minus dignis, et, subsequentibus successive ordine suo magis dignis, terminatur a Celebrante, qui præ omnibus reliquis dignior est.

Hac in re attendendum est ad modum loquendi in Decretis S. Rituum Congregationis, et apud auctores usitatum: sæpissime enim quæstio est de præcedentia in Processionibus, sed præcedentiæ ratio consideratur tunc a propinquitate versus Celebrantem; etenim, ubi dicitur, ex. gr., quod Clerus sæcularis præcedentiam habet super Regulares, hoc significat ipsum in Processione de facto procedere, non ante, sed post Regulares, propinquiori, seu digniori loco versus Celebrantem, a quo consideratur ordo dignitatis, seu præceden-

tiæ; ita ut in Processione novissimi seu minus digni sunt primi, et primi seu digniores,seu qui præcedentia gaudent sunt novissimi.

Ordo in Processione servandus summatim determinatur sequenti modo : incedunt, incipiendo a minus dignis :

1° Consociationes laicæ, quæ vulgo vocantur : *gilden, ambachten, kringen ; — gildes, métiers, corporations, cercles,* aliæque ejusdem generis, et similis, aut alterius denominationis.

2° Confraternitates laicorum; singulæ habent suum Cappellanum, superpelliceo indutum, qui præest, et post vexillum Confraternitatis incedit; ex consuetudine etiam Cappellanus deferre potest stolam.

3° Regulares.

4° Clerus sæcularis,et Celebrans cum suis ministris.

5° Prælati, in habitu prælatitio.

6° Curiales, et Officiales, seu Magistratus.

Identidem motæ fuerunt, et aliquando adhuc moventur quæstiones circa præcedentiam in Processionibus; non quidem quoad observationem ordinis ut supra describitur, qui per liturgicas leges inconcusso determinatus reperitur ; sed quoad ordinem a diversis sub eodem numero in prædicto ordine assignatis servandum ; ex. gr., quando in una Processione diversæ Confraternitates, vel diversæ Religiosæ Familiæ intersunt.

Difficilius est hac in re ad amussim omnia ex jure determinare; et omnibus Decretis, et auctorum sententiis perpensis, tandem concludendum est, generatim standum esse consuetudini locorum, et possessioni.

Resumpto tamen ordine summatim supra descripto, quædam notare juvat, vel de quibus certo constat per Decreta S. Rituum Congregationis, vel quæ per auctores generatim proponuntur, ad surgentes quæstiones præcedentiæ solvendas.

1. **Consociationes laicæ.** — Si plures in Processione intersunt, possessio præcedentiæ in observantia habeatur, et si novæ superveniunt, prudenter ex circumstantiis judicium feratur ; efflorescentibus hodiedum pluribus hujusmodi Consociationibus, et valde

diversis, difficile regula fixa proponitur aut tenetur.

2° **Confraternitates laicæ.**— Nisi ex consuetudine aliquis inter diversas Confraternitates ordo præcedentiæ servetur, quia tunc illæ quæ in quasi possessione præcedentiæ sunt præcedere debent, servandus est ordo antiquitatis, ita ut recentius erectæ incedant ante antiquiores, seu antiquioribus detur præcedentia. Attamen in omnibus Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum, præcedentia semper debetur Confraternitati SS. Sacramenti, etiamsi recentioris foret institutionis (Decret. S. Rituum Congregationis, 26 Augusti 1752, n. 2421, antiq. 4228, ad 1) ; hæc itaque in casu omnes alias Confraternitates præcedit, seu incedit ultimo et digniori loco; semper tamen ante Clerum, tum sæcularem, tum regularem. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Januarii 1876, n. 3388, antiq. 5650, ad 2). Rescripsit S. Rituum Congregatio, non esse tolerandam consuetudinem in quodam loco existentem, juxta quam Confraternitas SS. Sacramenti incedebat post baldachinum, vel hinc inde ad latus Cleri, in Processionibus SS. Corporis Christi, et quæ singulis mensibus Dominica quadam mensis fieri solent. (Decret. 4 Maji 1882, n. 3549, antiq. 5844, ad 3.)

3° **Regulares.**— Si diversæ Religiosæ Familiæ in una Processione intersunt, incedunt immediate post Confraternitates, sequenti ordine, incipiendo a minus dignis :

a) Congregationes Religiosæ quæ non sunt clericales; quales sunt, ex. gr., Alexiani, Fratres misericordiæ, Fratres doctrinæ christianæ, etc.; incedunt istæ in habitu suæ Congregationis.

b) Mendicantes; ex. gr., Dominicani, Ordines S. Francisci, Carmelitæ, etc. Sed notandum est, quod Dominicani, seu Fratres Prædicatores, præcedentia gaudent super alios omnes Mendicantes; et quod inter diversas Familias Ordinum S. Francisci, Fratres Minores præcedentia gaudent super Minores Conventuales, et reliquos hujus Religionis reformatos. Mendicantes incedunt in habitu sui Ordinis.

c) Monachi; ex. gr., Benedictini, Cistercienses, etc.; incedunt in habitu Ordinis sui.

d) Clerici regulares ; ex. gr., Barnabitæ, Societas Jesu, etc. Isti debent incedere in Processionibus induti superpelliceo. (Decret. S. Rituum Congregationis, 21 Januarii 1769, n. 2485, antiq. 4317, ad 2.)

e) Canonici regulares; ex. gr., Congregatio Lateranensis, Præmonstratenses, etc.; isti gaudent præcedentia super omnes alios Religiosos, ita ut incedant immediate ante Clerum sæcularem.

Quod si in una eademque Regularium serie plures diversæ Familiæ Processioni intersint, ex. gr., si simul adsint Monachi Benedictini et Monachi Cistercienses, tunc præcedentia determinatur sequentibus regulis (firmis manentibus quæ pro Dominicanis et Fratribus Minoribus notata fuerunt) :

I. Primo, loci ubi fit Processio consuetudo, ad præcedentiam quod attinet, omnino sequenda est, et possessio præcedentiæ in observantia habenda est.

II. Si vero ex consuetudine jus præcedentiæ desumi nequeat, illa Familia tunc præcedentia gaudet, seu digniori loco incedit, quæ in loco controversiæ, ubi Processio instituitur, prius fundata fuit et incolat, non vero quæ origine antiquior est.

III. Tandem, si hæc regula non sufficiat, uti si ad aliquam Processionem conveniant multæ diversæ Religiosæ Familiæ ex diversis locis, tunc præcedentia gaudet illa Familia quæ gaudet prioritate temporis institutionis, seu fundationis cum approbatione Apostolica ; in tali casu, ex. gr., præcedentia gaudebunt Benedictini supra Cistercienses, quia Religio antiquior minus antiquæ præferri debet.

Ut ordo in hoc ultimo casu servandus facilius determinari queat, juvare forsan poterit, licet ad aliam materiam pertineat, ille ordo quo in Curia Romana vocantur diversorum Ordinum Religiosi ad primam tonsuram, in Ordinationibus generalibus (cfr. Gasparri, *Tractatus canonicus de Sacra Ordinatione*, Vol. II, n. 1011), qui sequens est, incipiendo a dignioribus :

I. Canonici regulares : 1° Congregationis Lateranensis ; — 2° Præmonstratenses ; — 3° Sancti Spiritus : — 4° Sancti Antonii ; — 5° Sancti Salvatoris.

II. Clerici regulares : 1° Theatini ; — 2° Barnabitæ ; — 3° Societas Jesu ; — 4° Somaschi ; — 5° Ministri infirmorum ; — 6° Minores ; — 7° Matris Dei ; — 8° Pauperes Matris Dei.

III. Monachi : 1° Basiliani ; — 2° Benedictini ; — 3° Cluniacenses ; — 4° Camaldulenses ; — 5° Vallumbrosani ; — 6° Carthusiani ; — 7° Cistercienses ; — 8° Montis Virginis ; — 9° Silvestrini ; — 10° Cœlestini ; — 11° Olivetani ; — 12° Sancti Hieronymi ; — 13° Camaldulenses reformati ; — 14° Cistercienses reformati.

IV. Fratres : 1° Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum ; — 2° Dominicani ; — 3° Minores Sancti Francisci ; sed Familia Fratrum Minorum præcedit Minoribus Conventualibus ; — 4° Carmelitæ ; — 5° Eremitæ Sancti Augustini ; — 6° Beatæ Mariæ de Mercede ; — 7° Servi Beatæ Mariæ Virginis ; — 8° Sancti Pauli primi eremitæ ; — 9° Sanctæ Birgittæ ; — 10° Minimi ; — 11° Tertii Ordinis Sancti Francisci ; — 12° Capuccini ; — 13° Beati Petri de Pisis ; — 14° Sancti Joannis de Deo ; — 15° Carmelitani excalceati ; — 16° Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum discalceati ; — 17° Sancti Augustini discalceati ; — 18° Sanctæ Mariæ de Mercede discalceati.

Remanet locus in Processionibus assignandus Congregationibus Presbyterorum sæcularium, qui vel nulla, vel tantum simplicia emittunt vota ; passim quidem isti Religiosi vocantur, sed vere Regulares non sunt, et medium locum veluti tenent inter Sæculares et Regulares ; tales sunt, ex. gr., Sacerdotes Missionis, Passionistæ, etc. ; variæque Missionariorum Congregationes sub diversis titulis. Nulla authentica hac de re cognita est declaratio, et apud auctores liturgicos nulla reperitur de hujusmodi Congregationibus quoad locum in Processionibus mentio ; quæstio igitur ambigua remanet.

4° **Clerus sæcularis.** — Ex Cæremoniali Episcoporum patet quis locus sit tribuendus Clericis Seminarii, Ecclesiis Collegiatis, et Clero Ecclesiæ Cathedralis (cfr. Q. 354) ; sed quia in nostra Diœcesi in solis Processionibus Ecclesiæ Metropolitanæ intersunt Seminarium et Capitulum, omittitur eorum mentio in sequenti ordine, qui traditur pro Processionibus quæ in aliis Diœcesis Ecclesiis instituuntur.

a) Post Religiosos, primo loco incedit minister deferens Crucem, medius inter duos acolythos portantes candelabra cum candelis accensis.

b) Sequuntur clerici, subdiaconi, diaconi ; dein Sacerdotes qui Ecclesiæ, vel Ecclesiis loci non sunt adscripti, uti sunt Sacerdotes adventitii, Professores Institutorum, etc. ; omnes induti superpelliceo.

c) Sacerdotes Ecclesiæ, vel Ecclesiis loci adscripti, ordine antiquitatis, vel dignitatis Ecclesiarum parochialium ; omnes induti superpelliceo.

d) Curati, seu Parochi Ecclesiarum parochialium loci, si ipsi collegialiter Processioni intersunt ; et incedunt ipsi juxta antiquitatem, et dignitatem Ecclesiarum parochialium, non autem juxta dignitatem ipsorum Parochorum, si forte aliqua dignitate gaudeant ; induti sunt superpelliceo, et etiam stola, ex consuetudine vigente.

e) Celebrans, cum suis ministris sacris ; induti sunt isti sicut dicetur in sequentis Quæstionis responso. Si Celebrans erit Archiepiscopus, in loco habens jurisdictionem, portatur ante ipsum per aliquem Subdiaconum paratum, medium inter duos acolythos deferentes candelabra cum candelis accensis, Crux Archiepiscopalis, cum imagine Crucifixi versus Archiepiscopum.

f) Pro reliquis ministris inferioribus, nempe ceroferariis, thuriferariis, aliisque, conferantur ea quæ exponuntur in Tomo V hujus operis, qui inscribitur « Cæremoniale », in Serie I Instructionum, Capite VI.

g) Cantores ecclesiastici, qui Hymnos, et Psalmos a Clero decantandos inchoant, incedunt eo loco ut ab omnibus de Clero audiri possint, ex. gr., Sacerdotes inter et reliquos Clericos, si numerosus est Clerus ; si pauci tantum de Clero intersunt, Cantores præcedunt Crucem quæ ante Clerum sæcularem portatur.

Nota. Si intersunt Processioni cantores laici, vel musici, incedere isti possunt locis per consuetudinem ipsis assignatis ; sed semper incedant ante utrumque Clerum.

Milites, si Processioni intersunt, incedere possunt non inter Clerum, sed a lateribus.

5° Prælati. — Prælati hic intelliguntur Episcopi extranei, Protonotarii Apostolici, Pontificalis domus Præsules; numquam vero Canonici cujuscumque Capituli.

Prælati induti esse debent habitu ordinario prælatitio, hoc est, Mantelletto supra rochettum ; incedunt eo ordine, ut primo loco Celebrantem sequantur Episcopi, deinde reliqui, juxta dignitatem.

Quid dicendum de facto, quod in quibusdam extraordinariis, et solemnioribus Processionibus, Episcopi extranei, aliique usum Pontificalium habentes, incedant ante Celebrantem, induti pluvialibus, mitram in capite, et baculum manu tenentes? Notare sufficiat, id aliquando fieri.

6° **Curiales, et Officiales.** — Notat Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. 33, n. 5, cfr. Q. 354), post Religiosos, et ante Clerum sæcularem incedere « Curiales, et Officiales portantes intorticia accensa, inter quos ultimo loco ibunt Nobiliores, et Magistratus; » sed consuetudo apud nos habet, ut isti incedant post Celebrantem, aut post Prælatos, si isti adsint.

Q. 356. *Quæ animi dispositio requiritur in eis qui Processionibus intersunt?*

R. « Videant in primis Sacerdotes, aliique ecclesiastici ordinis, ut in his Processionibus ea modestia ac reverentia tum ab ipsis, tum ab aliis adhibeatur, quæ piis et religiosis hujusmodi actionibus maxime debetur. » Ideo « graviter, modeste ac devote bini suo loco procedentes, sacris precibus ita sint intenti, ut remoto risu, mutuoque colloquio, et vago oculorum adspectu, populum etiam ad pie, devoteque precandum invitent. » (Rituale, Tit. IX, Cap. 1, nn. 2 et 3.)

Q. 357. *Quomodo induti esse debent qui Processionibus intersunt?*

R. 1. Laici « omnes decenti habitu, sine galeris, nisi pluvia cogente, induti » esse debent. (Rituale, loco cit., n. 3.)

Pro supplicationibus quæ ducuntur in Festo, et per Octavam SS. Corporis Christi, S. Rituum Congregatio expresse prohibuit, « ne pueri illis in supplicationibus deferant, vel instrumenta Dominicæ passionis, vel aliud repræsentans hujus mysteria, vel Sanctorum martyria, utpote quæ ex sui natura animum avertant ab adoratione SS. Sacramenti, quod unice in iisdem intenditur. » Hæc, jam prohibita per duo Decreta, 5 Martii 1667 (n. 1348, antiq. 2398), et 5 Novembris 1667 (n. 1361, antiq. 2423, ad 7), iterum rescripsit S. Congregatio, 7 Decembris 1844 (n. 2879, antiq. 4994), cum

ei expositum fuisset, in quadam parochia introductam esse consuetudinem, in iis supplicationibus deferendi veteris Testamenti Arcam, Mensam cum propositionis panibus, Candelabrum cum septem luminaribus, et alia id generis, per juvenes instar legis Mosaicæ indutos, decernens ut « supplicationes hujusmodi in posterum, sine ullo accessorio prædicto, et pro sola devotione ducantur. »

In nostra Diœcesi, pluries Archiepiscopi abusus hac in re e medio tollere cordi habuerunt. — Illmus Dnus Alphonsus de Berghes, per Decretum 18 Maji 1674, prohibet repræsentationes in publicis Processionibus. — Illmus Dnus Humbertus a Precipiano, in Epistola pastorali 21 Julii 1700, vetat « ne ulli sæculares vel regulares ad supplicationes admittant parvulos religiosa aut alia indutos veste, quam quotidiana sua aut communi, aut ad summum ornatu angelico, qui tamen ad vanitatem non debet esse compositus. » — Emus Dnus Thomas Philippus de Alsatia de Boussu, per Mandatum 12 Februarii 1753, prohibet in publicis Processionibus, in quibus SS. Sacramentum defertur, admittere pueros ornatu angelico, aut virgineo indutos. (Cfr. Synodicon Belgicum, Archiepiscopatus Mechliniensis, Tom. II, pag. 445, 446, 506.)

Hodiedum introducitur in quibusdam ecclesiis, in diversis liturgicis Officiis, et præsertim in Processionibus, habitus puerorum et juvenum, qui probari aut admitti nequit. Induuntur nempe variis paramentis, necnon insignibus, quæ minime eorum partium sunt; alba scilicet sacerdotali; mozetta, chirothecis violacei coloris, quæ Episcopis sunt propria; vel rubei coloris, superaddito pileolo,et bireto rubro, quæ Cardinalitiæ dignitatis sunt insignia.

His applicari potest quod dicit Illmus Dnus Humbertus a Precipiano, in sua citata Epistola pastorali 21 Julii 1700, de parvulis admissis in supplicationibus, religiosa, aut alia veste quam communi indutis : « Fictus ille habitus, quem contra Decessoris nostri Decretum, editum 18 Maji 1674, conspicamur iterum invalescêre, risum potius quam pietatem, contemptum quam venerationem nostræ Religionis, et divinorum

mysteriorum in animis catholicorum, et multo magis in hæreticorum progignit. » (Synodicon Belgicum, Tom. II, p. 446.)

2. **Clerici** sint induti « superpelliceis, vel aliis sacris vestibus » (Rituale, loco cit., n. 3), quæ propriæ sint, ratione functionum quas in Processionibus implent.

Celebrans sit indutus amictu, alba, cingulo, stola,et pluviali, in Processionibus in quibus defert SS. Sacramentum; in aliis sit indutus iisdem paramentis, aut si pluviale non habeatur, amictu, alba, cingulo et stola; vel tantum superpelliceo et stola; ast tunc non poterunt adesse Ministri sacri parati.

Diaconus sit indutus amictu, alba, cingulo, stola, et dalmatica. Si Celebrans pluviale non induit, abstineat Diaconus a dalmatica; hancque etiam relinquat in iis Processionibus, in quibus dalmatica non admittitur, ex. gr., in Purificatione B. M. V., in Dominica Palmarum, assumpta, ubi poterit adhiberi, et si habeatur, planeta plicata.

Subdiaconus sit indutus amictu, alba, cingulo, et tunicella. Si Celebrans pluviale non induit, abstineat Subdiaconus a tunicella; hancque etiam relinquat,aut assumat planetam plicatam, in iisdem Processionibus, in quibus Diaconus relinquit dalmaticam, et assumit planetam plicatam.

Color istorum paramentorum regulariter erit violaceus, « præterquam in Processionibus Corporis Christi, et quæ fiunt solemnibus diebus, vel in gratiarum actionem »; quibus diebus Celebrans, et Ministri sacri utentur « colore propriæ solemnitati congruente » (Rituale, Tit. IX, Cap. 4, n. 1); in translatione Sacrarum Reliquiarum insignium, vestes sacræ erunt « albi vel rubei coloris, prout Sancti, quorum Reliquiæ transferuntur, exposcunt » (Rituale, Cap. 14).

Cæteri Sacerdotes, et Clerici, in Processionibus sint induti superpelliceis.

Stolam deferre in Processionibus,permittitur ex consuetudine existente Cappellano qui unicuique Sodalitati seu Confraternitati præest; et etiam Parochis conceditur, quando collegialiter incedunt.

Capite detecto incedunt omnes intra Ecclesiam, ex-

ceptis Celebrante Ministrisque sacris, qui, cum sint parati, caput bireto tegunt, modo SS. Sacramentum, aut Lignum S. Crucis in Processione non deferatur. — Extra Ecclesiam, declaravit S.Rituum Congregatio, quod « in Processionibus, in quibus defertur SSmum Christi Corpus, vel SSmæ Crucis Lignum, tam Clerus, quam sæculares detecto capite incedere debeant. In aliis vero Processionibus, in quibus deferuntur Reliquiæ, vel Statuæ Sanctorum, tunc sæculares, et Ecclesiastici, qui eas deferunt, detecto capite ; alii vero Clerici possint incedere tecto capite cum bireto. » (Decret. 2 Septembris 1690, n. 1841, antiq. 3230, ad 1.)

In omni tamen Processione semper detecto capite procedere debent, illi qui portant Crucem, vexilla, statuas, Reliquias; acolythi, thuriferarii, cæremoniarii.

Q. 358.*Quæ notanda sunt circa ea quæ deferuntur in Processionibus?*

R. I. Præferenda semper est Crux hastata cum imagine Crucifixi, inter duos acolythos cum candelabris et candelis accensis. Elevatur veluti regale vexillum, ac signum triumphale.

II. Deferri poterit, « ubi fuerit consuetudo, vexillum sacris imaginibus insignitum, non tamen factum militari seu triangulari forma. » (Rituale, Cap. 1, n. 5.) Vexilla, quæ dici solent Sodalitatum, vel Confraternitatum insignia, sub quibus sodales, vel confratres respective incedunt, vel ab ipsamet cruce pendentia sunt, et aperta, ut sacræ imagines ibidem pictæ videantur, et non valde ampla, ut ab uno valeant levari et portari ; vel etiam ampliora sunt, et duplici hasta elevata deferuntur a duobus.

Christianum vexillum primitus erat pannus, formæ quadratæ speciem præbens; cujus formæ fuisse insigne illud Constantini Imperatoris vexillum, quod Romani labarum dicunt, cruce pretiosa cujus imago cœlitus apparuit intextum, ex antiquis monumentis constat. Pannus sit appensus a parte sua superiori ex hastili ligneo, quod ipsum hastæ crucis subtus crucem fixum sit, ita ut crucis formam cum ipsa hasta efformet. — Forma militaris, quam reprobat Rituale, ea est, in qua

pannus, non a parte sua superiori, sed laterali ipsi hastæ annectitur; quæ forma inde a sæculo nono assumpta fuit pro usu militari, ad distinctionem vexilli religiosi. — Hujus vexilli militaris pannus, primitus quadratus, postea triangularis factus fuit, nuncupatus sæpe auriflamma, seu aurea flamma, ex panni auro intexti pretiosiori materia, et longiori trianguli forma. (Cfr. Bock, *Geschichte der liturgische Gewänder*, Tom. III, p. 211.)

Jam hodie variæ Consociationes laicæ sua vexilla, seu insignia in Processionibus gestant; super quibus attendendum, ea vexilla nullum habere posse emblema reprobatione dignum, imo aliquod Religionis signum præseferant necessarium esse; deinde, ea debere esse benedicta, ut in Ecclesias admitti solemniter possint pro Processione. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 393; et Nouvelle Revue théologique, XX, 1888, pag. 23).

Opportunum videtur, hic loci describere Decretum S. Rituum Congregationis, de vexillis Sodalitatum, seu Consociationum.

« Episcopus Patavinus, exponens in Ecclesiis parochialibus sibi commissæ Diœceseos usum invalescere, ut in Exsequiis, vel quibusdam Festis ecclesiasticis, quibus laicæ Sodalitates intersunt, harum respectiva vexilla in Templum deferantur, etsi mere civilia sint neque benedicta; ad omnem animi sui anxietatem removendam, insequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subjecit, nimirum :

« Dubium I. Licetne in Ecclesiis admittere, occasione Exsequiarum aliarumve solemnitatum, vexilla haud benedicta Sodalitatum quodam modo civili regimini adnexarum; cujusmodi sunt Municipia, Universitates, Gymnasia, aliave Instituta?

« Dubium II. Licetne eadem occasione admittere vexilla haud benedicta Sodalitatum privatarum; utpote quas vocant Reducum e patriis præliis, Voluntariorum anni 1849, Mutui Auxilii inter alicujus ordinis cives; etiam si Sodalitates istæ partem habeant in anticatholicis protestationibus, vulgo *manifestazioni*, sectæ

massonicæ socios virosque irreligiosos extollant, ac vel ipsæ massonicæ sectæ adhærere videantur ? Et quatenus Negative ad utrumque,

« Dubium III. Licetne Parocho illorum vexillorum præsentiam in Ecclesia tolerare, si prudenter vereatur ex illorum exclusione, ac sui oppositione, aditum dari concertationibus, perturbationibus, graviori ac manifestiori contemptui legis divinæ vel ecclesiasticæ ? Et quatenus Negative,

Dubium IV. Tenetur ne Parochus, in casu, post factam inhibitionem, sacras actiones abrumpere, ac sese subducere, quatenus non obtemperetur ?

« Sacra porro Rituum Congregatio,ad relationem sui Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, omnibus mature perpensis, ita propositis dubiis rescribendum censuit; videlicet :

« Ad I. Non licere admittere nisi vexilla religiosa, et pro quibus habetur formula Benedictionis in Rituali Romano.

« Ad II. Provisum in primo.

« Ad III et IV. Intimatione facta antecedenter juxta mentem Sacræ Congregationis, Parochus se abstineat.

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 14 Julii 1887. » (Decret. n. 3679, antiq. 5990.) (Cfr. Nouvelle Revue théologique, XXIII, 1891, pag.528, et sqq.)

III. Lumina accensa deferuntur ab omnibus in Processione SS. Corporis Christi ; item in translatione sacrarum Reliquiarum insignium. In Processione SS. Sacramenti deferri debent, hinc inde circa Celebrantem, quatuor saltem hastatæ laternæ cum candelis intus accensis,ne ob ventum aut imbrem lumina exstinguantur.

IV. Baldachinum albi coloris deferri semper debet in omni Processione SS. Sacramenti, tam intra quam extra Ecclesiam. — « Quia vero et Lignum SSmæ Crucis, et Sacratissimæ Spineæ Coronæ Domini, prout alia quædam Instrumenta Passionis Dominicæ, contactu immediato SSmi Corporis Domini Nostri Jesu Christi sanctificata fuere, ejusque pretiosissimo Sanguine conspersa, proindeque speciali honoranda cultu : insuperque ea fere universali ubique locorum et gentium invecta consuetudine, sub Baldachino deferri obtinue-

rint »; decrevit S. Rituum Congregatio, tolerari posse, et permitti, quod hæc « deferantur sub Baldachino, dummodo tamen id fiat seorsim, et disjunctim a Sanctorum Reliquiis. » (Decret. 27 Maji 1826, n. 2647, antiq. 4620, a.)

Quoad Sanctorum Reliquias, eadem S. Rituum Congregatio dedit Decretum generale, « quo, juxta alias resoluta, caveatur, et per modum regulæ ubique servandæ præfiniatur, ne in posterum alicubi per quoscumque, quolibet sub prætextu solemnitatis, devotionis, pietatis, privilegii, indulti, concessionis, tolerantiæ, consuetudinis licet immemorabilis, quam abusum non ferendum declaravit, liceat umquam Sanctorum Reliquias processionaliter sub Baldachino circumferre ». (Decret. idem.)

V. Ex responso ad præcedentem Quæstionem jam patet, numquam admitti posse in Processionibus, in quibus SS. Sacramentum defertur, repræsentationes, quales sunt : Instrumenta, vel Mysteria Dominicæ Passionis; Sanctorum martyria; vel figuræ ipsius Eucharistiæ, ut sunt : arca Testamenti, mensa cum propositionis panibus, candelabrum cum septem luminaribus, et alia id generis ; utpote quæ ex sui natura animum avertunt ab adoratione SS. Sacramenti, quæ unice in eis intenditur. Ideo præcipit Cæremoniale Episcoporum generatim , quod « removendi erunt a Processionibus ludicri et indecori actus. » (Lib. II, Cap. 32, n. 2.)

VI. Ex veteri instituto, Ecclesiæque Romanæ consuetudine, in Processionibus SS. Sacramenti, illud solum pio religiosoque apparatu, solemnique celebritate est deferendum, quia totus cultus tunc ad Venerabile Sacramentum dirigi debet; et ideo S. Rituum Congregatio pluries prohibuit, deferre Reliquias, vel Imagines B. Mariæ Virginis, et Sanctorum, in Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum ; non solum in Festo, vel per Octavam SS. Corporis Christi, sed etiam in aliis quæ in honorem Sanctorum instituuntur.

Sequentia hac super re dedit Decreta :

A) « In quibusdam locis Diœceseos Basiliensis et Luganensis, exstat inveterata a sæculis consuetudo

circumferendi in Processionibus theophoricis, præsertim die Festo SS. Corporis Christi, statuas vel Reliquias Sanctorum ad majorem solemnitatem. Quum vero hæc consuetudo minime respondeat ritui Romano, Episcopus, die 12 Junii anno elapso, monitum ad Clerum Diœcesanum direxit hujus tenoris : Meminerint RR. Parochi prohibitum esse Decretis Sacræ Rituum Congregationis, ne Instrumenta Passionis Domini, vel Reliquiæ, vel statuæ Sanctorum circumferantur in Processionibus SS. Sacramenti, quia totus cultus in iisdem ad Venerabile Sacramentum dirigi debet.

« Quum vero nonnulli Parochi, et præsertim Capitulum Canonicorum Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Leodegarium Lucernæ, exoptent ut antiqua consuetudo continuari possit, saltem ex Apostolica dispensatione ; idem Episcopus, prædictis votis expositis, solutionem sequentis dubii ab ipsa Sacra Congregatione efflagitavit ; nimirum :

« Utrum in Festo SS. Corporis Christi ejusque Octava, quando fit Processio cum SS. Eucharistiæ Sacramento, et in aliis Processionibus theophoricis, liceat deferre imagines Beatæ Mariæ Virginis ac Sanctorum ?

« Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicæ, reque accurate perpensa, proposito dubio respondendum censuit :

« Negative ; et serventur Decreta, præsertim in una Veneta, diei 17 Junii 1684, et in altera Almerien., diei 31 Januarii 1896. Atque ita rescripsit. Die 1 Julii 1898. » (Decret. n. 3997.)

B) « In Oppido... mos est, ut Dominica secunda mensis Septembris, in honorem Beatæ Mariæ Virginis, vespertinis horis fiat Processio religiosa, in qua imagines sive Reliquiæ ipsius Beatæ Virginis, Sancti Joseph, ac aliorum Sanctorum circumferuntur, una cum Augustissimo Eucharistiæ Sacramento. Hinc Parochus ejusdem Oppidi, dubitans an hujusmodi praxis sit plane conformis Rubricis, ac Decretis, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime flagitavit ; nimirum :

« Num, extra Festum Corporis Christi ejusque Octa-

vam, liceat in honorem Beatæ Mariæ Virginis aut Sanctorum, in vespertinis Processionibus deferre Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ? et insimul Imagines,sive Reliquias,ipsius Beatæ Virginis et Sanctorum ?

« Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicæ, omnibus mature expensis, rescribendum censuit :

« Ad Dubium : Affirmative, de consensu Ordinarii, quoad primam partem; Negative, quoad secundam. Atque ita servari mandavit. Die 31 Januarii 1896. » (Decret. n. 3878.)

C) « An in solemni Processione SSmi Sacramenti Eucharistiæ, tam in die Corporis Christi, quam in majori hebdomada, deferre liceat Instrumenta SSmæ Passionis Salvatoris Nostri Jesu Christi, scilicet fragmentum SSmæ Crucis, vel Spinæ ? Et hoc, stante quod a Gavanto, *De Processionibus*, num. 35, expresse non prohibeantur, asserente tantum : non desumuntur, eo casu, Sanctorum Reliquiæ.

« Et S. Rituum Congregatio respondit : Negative. Et ita declaravit. Die 17 Junii 1684. » (Decret. n. 1731, antiq. 3095, ad 1.)

Stat igitur ex jure præfata regula. Attamen, ex concessione Summi Pontificis Innocentii XI, data per Breve 20 Maji 1682, transmissum ex Urbe Archiepiscopo Mechliniensi, licitum est « Regularibus, gestare in publicis Processionibus cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Reliquias et Imagines Sanctorum, hoc tamen servato, ut dictæ Reliquiæ et Imagines portentur in principio Processionis, inter prima lumina, ita ut inter ipsas, et Sanctissimum Sacramentum sit rationabilis, et competens distantia. » (Synodicon Belgicum, Tom. II, p. 381.) — Illmus Dnus Humbertus a Precipiano, Archiepiscopus Mechliniensis, in Epistola Pastorali 21 Julii 1700, virtute præfatæ concessionis, permisit, « ut, ubi pia hæc et laudabilis viget consuetudo, una cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, Imagines Beatissimæ Dei Matris ejusque Sanctorum, et horum Reliquiæ (non tamen plures quam uniuscujusque una), in supplicationibus circumferantur : sic enim, ut habet Concilium Coloniense II (anni 1549),

significamus, Sanctos nunc cum ipso Domino regnare et triumphare in cœlis, quæ memoria debet piis esse jucunda et læta. » (Ibid. p. 446.) — Apposita ab Innocentio XI conditio, rationabilis et competentis distantiæ Sanctorum Imagines vel Reliquias inter et Sanctissimum Sacramentum, iterum fuit, ut servetur, præscripta in Statutis Diœcesanis (n. 335).

Notandum remanet, per Decretum Alexandri VII, 27 Septembris 1659 (n. 1130, antiq. 2002, ad 11), prohibitum fuisse, et adhuc prohibitum manere, ne Beatorum Reliquiæ in Processionibus circumferantur. Si non Reliquiæ Beatorum deferri possunt, ergo etiam nec eorum Imagines deferre licet.

VII. In Processionibus quæ instituuntur pro translatione SS. Reliquiarum, in quibus non defertur SS. Sacramentum, portare Sacras Reliquias munus est Celebrantis; si plures Reliquiæ deferuntur, ea quæ qualitate magis insignis est (cfr. Q. 363) defertur a Celebrante, reliquæ deferuntur ab aliis qui sacris paramentis induti sunt (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Augusti 1653, n. 950, antiq. 1678); isti incedunt ante Celebrantem, vel soli, vel bini et bini. Si Episcopus Reliquiam portat, modo non sit de Ligno SS. Crucis, incedit cum mitra; alii autem, quavis dignitate fulgentes, nudo capite Reliquias quascumque deferre debent.

Si major theca SS. Reliquiarum circumducitur in Processione a pluribus, deferri debet, quantum fieri potest, a Clericis, et in adjumentum tantum portari potest a laicis viris. Theca defertur post Clerum in Processione præsentem; immediate ante ipsam incedunt duo thuriferarii, ab utroque latere vero plures ceroferarii (quatuor ad minus, vel sex, vel octo); Celebrans vero cum solis suis Ministris incedit post thecam.

Pro Benedictione in fine Processionis cum SS. Reliquiis danda, cfr. Q. 365, IV.

Q. 359. *Quænam cantari debent, quænam cantari possunt in Processionibus ?*

R. I. In Processionibus cantari debent, a Clero Processionis, Litaniæ, Psalmi, Hymni, Cantica, Responsoria, etc., quæ in Missali Romano, et in Rituali Ro-

mano, pro singulis Processionibus præscribuntur; quæ si non sufficiant in longioribus Processionibus, vel eadem repetuntur, vel alii Psalmi, Hymni, etc. adduntur, pro qualitate Processionis, sicut in Rituali suis locis notatur.

II. Præterea, dummodo supradictæ legi liturgicæ de cantu fiat satis per Clerum, nulla lex explicite prohibet, ne, in quibusdam Processionibus lætis, ex. gr., Corporis Christi, gratiarum actionis, translationis Reliquiarum, a cantoribus laicis, qui incedunt ante Clerum suis locis assignatis, cantentur alii cantus, ad laudem SS. Sacramenti vel Sanctorum, etiam lingua vernacula, modo isti cantus sint approbati. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX,1895, pag. 621; XII,1898, pag. 217.)

Q. 360. *Quomodo Processiones salutares effectus producunt, et magna ac divina mysteria continent?*

R. A) **Salutares effectus** producunt Processiones, si pie instituantur; communibus quippe hujusmodi supplicationibus solent averti flagella divinæ iracundiæ; gratiæ copiosæ, et beneficia etiam temporalia a Deo impetrari; præterquam quod fidelium pietas per easdem maxime excitatur.

B) Processiones insuper, juxta verba Ritualis Romani, **magna ac divina mysteria** continent.

Et I. quidem, **Processiones** ipsæ universim : 1° adumbrant nostram peregrinationem ex hoc sæculo in futurum, nempe in patriam cœlestem; et 2° quodammodo repræsentant Ecclesiam militantem, ad cujus similitudinem in Processionibus cœtus ecclesiasticorum, veluti in varias acies distributus, ex clero et laicis componitur; quo jucundum Deo et Angelis exhibetur spectaculum, et non modicum terroris malignis spiritibus incutitur.

II. **Modus**, quo Processiones instituuntur, est norma recta peregrinationis nostræ ad patriam, atque militiæ nostræ super terram. Nimirum: 1° **Præfertur Crux**, quia in Cruce nobis est gloriandum, in Cruce spes nostra reponenda; vexillum Crucis, non Satanæ, fideliter et constanter sequi debemus, ut ad victoriam de hostibus in terra, et ad gloriam in patria cœlesti perveniamus.

— 2° Præferri solent vexilla sacris imaginibus insignita, quibus triumphus Christi, et Sanctorum per ipsum, designatur, ut magna confidentia animati, ambulemus in viam Domini, qua ad patriam pergimus, intrepide dimicantes contra hostes salutis, qui iter nostrum obsident. — 3° **Pulsantur campanæ**, quibus dæmones fugantur; unde monemur, ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus Christo, in sanctitate et justitia, omnibus diebus nostris. — 4° **Certo ordine** omnes post Crucem incedunt; ita pariter recto ordine, Christum spectante, totus vitæ nostræ cursus debet esse dispositus. — 5° **Bini** incedunt, ad commendandam fraternam charitatem, socialem vitam, humilitatem, prout S. Bernardus observat. — 6° **Orantes, et cantantes** incedunt; similiter in progressu vitæ nostræ orare assidue, et cantare Domino, non modo vocibus, sed moribus etiam placitis, veluti bene sonantibus, cantare canticum charitatis tenemur. — 7° Obeuntes Processionem **non otiose morantur**; sic et nos de virtute in virtutem progredi debemus. (Müller. *Theologia moralis*, Lib. VIII, T. II, § 237.)

APPENDIX

De veneratione Sacrarum Reliquiarum

Q. 361. *Quid mandat Sancta Synodus Tridentina de Sacris Reliquiis Sanctorum?*

R. « Sanctorum martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse: per quæ multa beneficia a Deo hominibus præstantur: ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandæ causa Sanctorum memorias frustra frequentari; omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia. » (Sessio XXV, De invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum.)

Q. 362. *Quid intelligitur nomine Sacrarum Reliquiarum ?*

R. Reliquiarum nomine intelligitur, 1° quidquid de Sanctis adhuc in terris superest, uti corpora, et partes ad horum integritatem pertinentes; tales Reliquiæ sunt proprie et rigorose dictæ Reliquiæ. — 2° Ad has proprie dictas Reliquias reduci etiam possunt eæ, quæ licet corporis partes veræ non sint, tamen ad corpus aliqualiter attinent, eo quod ex corpore scaturiunt et effluunt; tales sunt, ex. gr., sanguis, manna, oleum vel liquor, qui quandoque de Sanctorum lipsanis scaturit. — 3° Si nominis etymologiam minus proprie accipiamus, Sacris Reliquiis accenseri possunt omnes res illæ, quæ Sanctorum usu et attactu quamdam sanctificationem receperunt, quales sunt vestes, vela, supellex, instrumenta martyrii. — 4° Imo illa quoque, quæ his Sanctorum exuviis aliqua ratione sunt admota et applicata, et ita sunt sanctificata, veluti imagines, vela, etc. ; quin etiam oleum ex lampade coram iisdem accensa desumptum ; licet hæc posteriora rebus potius benedictis, seu sanctificatis accensenda veniant. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag.7, et sqq.)

Q. 363. *Quæ Reliquiæ dicuntur insignes ?*

R. 1° Reliquiæ Dominicæ Passionis, quales sunt Particulæ Sanctissimæ Crucis, Spinæ vel partes Spinarum Coronæ Domini, pro minima etiam sua parte sunt Reliquiæ insignes ; tales etiam reputantur quæcumque alia Instrumenta Dominicæ Passionis, quæ immediato contactu D. N. Jesu Christi sanctificata fuerunt.

2° Quoad Reliquias Sanctorum, dicendum est quod non omnes,quantumvis notabiles, Sanctorum Reliquiæ habendæ et appellandæ sint insignes, sed illæ dumtaxat, quæ speciatim et nominatim insignes declaratæ sunt.

Per Decretum generale 13 Januarii 1631 (n. 555, antiq. 892), S. Rituum Congregatio « Insignes Reliquias declaravit esse Caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis, in qua passus est Martyr, modo sit

integra, et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata. »

Circa alias partes corporis, sequens Decretum, Urbis et Orbis, recenter fuit datum, die 27 Junii 1899 (n. 4041) :

« Dubium I. Utrum pars anterior brachii, quæ antibrachium dicitur, ab alia parte superiori ejusdem brachii separata, haberi possit ut Reliquia insignis ?

« Dubium II. Utrum idem sit dicendum de eadem parte superiori brachii, quatenus nempe et ipsa uti insignis Reliquia haberi queat ?

« Dubium III. Utrum cor, lingua, manus, si ex miraculo intactæ conserventur, haberi debeant uti Reliquiæ insignes ?

« Et Sacra Rituum Congregatio, re mature perpensa, exquisitoque voto Commissionis Liturgicæ, ad tria proposita dubia rescribendum censuit : Affirmative. Et ita respondit ac declaravit. »

Itaque insignes certo sunt illæ Reliquiæ, quæ per supradicta Decreta ut tales declaratæ fuerunt.

Præter Reliquias insignes habentur et aliæ, quæ sunt, vel notabiles, quæ non modicæ quantitatis sunt, ut manus, pes, tybia, maxilla, etc.; vel minutæ, seu exiguæ, parvæ nempe quantitatis, ut dens, digitus, auris, etc., aut partes Reliquiarum insignium, ut pars aliqua cranii.

Quamvis os princeps cruris sit tybia, nihilominus ad dubium, an tybia sit Reliquia insignis, S. Rituum Congregatio respondit : « Negative ; juxta Rubricas in Missali et Breviario Romano impressas. » (Decret. 3 Junii 1662, n. 1234, antiq. 2170, ad 2.) Rubricæ in Missali et Breviario impressæ intelliguntur Decreta S. Rituum Congregationis in principio horum librorum impressa.

Quare crus debeat esse integrum, quare brachium non debeat esse integrum, sed sufficiat illius medietas pro qualitate insignis Reliquiæ, ratio datur, quia brachium est, inter corporis membra, e nobilioribus ac magis necessariis, unde etsi una pars tantum deficiat, gravissimum sit incommodum ; non ita dicendum de crure. (Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 78.)

Q. 364. *Quæ conditio necessario requiritur, ut Reliquiæ publicæ venerationi exponi possint ?*

R. Certum exploratumque est Reliquias Sanctorum nec processionaliter deferri, nec publicæ venerationi exponi posse, nisi fuerint a loci Ordinario diligenter recognitæ, approbatæ, et ne fraus fiat, ejusdem firmatæ sigillis. Siquidem Concilium Tridentinum decrevit, jussitque, nulla admittenda nova miracula, « nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, et approbante Episcopo. » (Sess. XXV.)

Appellatione autem Episcopi, ad effectum de quo agitur, veniunt tantum Episcopi, qui jurisdictionem ordinariam, aut Prælati inferiores, qui jurisdictionem quasi Episcopalem in loca assequuntur ; nullimodo vero Prælati regulares, nequidem pro Ecclesiis sibi subjectis, utpote qui Ordinarii loci vere non sunt. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 19.)

Imo etiam Reliquiæ a Romano Pontifice approbatæ, recognoscendæ sunt ab Episcopo loci Ordinario, priusquam venerationi exponantur ; non quia denuo ab inferiori approbandæ, sed ut certo constet, Romæ fuisse approbatas, nullaque sit dubitandi ratio de earumdem identitate, integritate, fideli custodia ; omnisque removeatur piæ fraudis, dolique suspicio. Quamobrem Reliquiis, de quarum identitate certo non constet, Ecclesiasticus cultus nullatenus est exhibendus.

Ut autem tamquam veræ et authenticæ Reliquiæ habeantur, et privatim colantur, sufficit recognitio et approbatio facta a quocumque Episcopo, etiam alterius Diœcesis Ordinario.

Reliquiæ Beatorum in iis ecclesiis tantum exponi possunt, in quibus Officium et Missam de iisdem recitare licet. (Decret. S. Rituum Congregationis, 17 Aprilis 1660, n. 1156, antiq. 2046, ad 4.)

De Reliquiarum publica veneratione dicunt nostra Statuta Diœcesana (n. 376) : « Nemo Sanctissimæ Crucis, Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum, aut Beatorum Reliquias publice venerandas exhibeat, nisi prius Ordinarii auctoritate fuerint recognitæ et approbatæ ; ita tamen ut Beatorum Reliquiæ in Processionibus minime circumferantur. »

Q. 365. *Quæ liturgica observanda veniunt pro cultu Sacrarum Reliquiarum?*

R. I. **Pro asservatione.** — Reliquiæ reponi debent et collocari in thecis, ex solida et decenti materia confectis, bene clausis, et filo serico debite colligatis, necnon sigillo Ordinarii in cera hispanica impresso firmiter obsignatis. Thecæ ordinarie crystallo ornantur ab anteriore sua parte.

Plurium Sanctorum Reliquiæ in una theca reponi possunt.

Attamen particulæ SS. Crucis non collocari possunt cum Reliquiis Sanctorum in eadem capsa, et ita venerationi fidelium exponi; ut patet, tum ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum, 22 Februarii 1847 (n. 342), tum ex Decreto S. Congregationis Rituum, 18 Februarii 1843 (n. 2854, antiq. 4956), quo stricte præcipitur Ordinariis, ut « pro viribus adlaborent, ne deinceps cum Sanctorum Reliquiis in eadem theca Lignum Sanctissimæ Crucis occlusum permaneat. » Ratio est, quia cultus Reliquiis Sanctorum exhibendus non est idem ac cultus debitus SSmæ Crucis, vel aliorum Instrumentorum Passionis D. N. J. C. particulis, et ita, aut his minus quam oportet, aut illis nimium tribueretur.

Non officit autem, plures circumferri thecas, etiam Romæ habitas, in quibus cum Sanctorum Reliquiis Crucis Dominicæ Particula reperiatur; etenim thecæ ejusmodi traduntur ad privatorum dumtaxat pietatem fovendam, non autem ut publicæ venerationi exponantur. (Cfr. Acta S. Sedis, Tom, II, p. 577.)

Maxima semper cura habeatur de custodia Sacrarum Reliquiarum; ideo in armario seu fenestella in pariete muri Ecclesiæ, vel saltem in loco decenti in sacristia, sub sera asserventur, cum suis litteris adprobationis et authenticitatis. (Cfr. Statuta Diœcesis, n. 377.)

II. **Pro expositione, et dispositione in Altari.** — « A lateribus Crucis, si haberentur aliquæ Reliquiæ, aut tabernacula cum Sanctorum Reliquiis, congrue exponi possent; quæ quidem sacræ Reliquiæ, disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra; dummodo ipsa

Altaris dispositio et longitudo id patiatur. » (Cæremoniale Episcoporum, Lib, I, Cap. 12, n. 12.) Hujusmodi Reliquiarum expositio, quæ ad congruum Altaris ornatum pertinet, non omni per annum tempore, sed certis tantum solemnioribus diebus Festis convenire dicenda est.

Animadvertendum est, Cæremoniale ad ornatum inter candelabra admittere Reliquias Sanctorum tantum ; non conveniret, ibi exponere particulas SS. Crucis, neque Spineæ Coronæ Domini, quibus dignior locus dari debet, nempe in medio Altaris ante Crucem. (Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 229-237.)

Reliquiæ possunt disponi etiam in medio Altaris, ante ipsam Crucem ; sed numquam Reliquias quascumque ponere licet super Tabernaculum SS. Sacramenti, neque ante ostiolum Tabernaculi. (Cfr. Q. 154, IV, ad 3.)

Numquam etiam exponere licet Reliquias quascumque super Altare, exposito SS. Sacramento.

Cum Reliquiæ SS. Crucis exponuntur extra Altare, convenit ut sub umbella seu baldachino exponantur.

Ne fideles simplices decipiantur, evitandum est, ut Reliquiæ in aliqua monstrantia, eodem prorsus modo, in aliquo Tabernaculo seu Throno exponantur in Altari, adinstar Expositionis SS. Sacramenti.

Cum expositæ sunt Reliquiæ, etiam ad ornatum Altaris inter candelabra, ardeat semper lampas coram eis, et « super Altare saltem ardeant duo lumina ; alias Reliquiæ non exponantur. » (S. Rituum Congregatio, Decret. 22 Januarii 1701, n. 2067, antiq. 3575, ad 9.)

III. **Pro reverentia Reliquiis præstanda.**— Reverentia facienda in transitu ante Reliquias Sanctorum insignes, aut in accessu vel recessu, est capitis inclinatio.

« Si loco principe Reliquia Sanctissimæ Crucis super Altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam, unico genu usque ad terram flexo, venerari debent : diversimodo vero sola capitis inclinatione, si præfata Reliquia recondita erit in custodia. » (S. Rituum Congregatio, 18 Februarii 1843, n. 2854, antiq. 4956.)

In Missa coram S. Crucis Ligno palam exposito, solum est a Sacerdote genuflectendum in accessu et re-

cessu ab Altari, et quoties transit ante medium Altaris, seu de latere ad latus, ut in incensatione. (S. Rituum Congregatio, in eodem Decreto.)

IV. **Pro Benedictione cum Reliquiis danda.** — Post Processionem Reliquiarum, si sunt Reliquiæ Sanctorum, potest cum eis impertiri Benedictio super populum; nulla tamen adest obligatio. (S. Rituum Congregatio, 24 Julii 1683, n. 1711, antiq. 3025, ad 1.)

Sed post aliquam Reliquiæ S. Crucis expositionem, vel Processionem, benedicendus est cum ipsa populus, antequam reponatur. (S. Rituum Congregatio, 15 Septembris 1736, n. 2324, antiq. 4051, ad 1.)

Ritus in hujusmodi Benedictione sequens servatur:

A) **Si sit Reliquia S. Crucis, aut alia Dominicæ Passionis.** — Sacerdos, indutus superpelliceo, et stola rubei coloris (S. Rituum Congregatio, 2 Septembris 1871, n. 3256, antiq. 5494), ante Sacram Reliquiam genuflectit uno genu; surgens imponit mox incensum in thuribulo sine benedictione, et accepto thuribulo, stans Sacram Reliquiam incensat triplici ductu, unum genu flectens ante et post incensationem, et thuribulum reddit. Accipit velum humerale rubei coloris, iterum genuflectit, assumit Sacram Reliquiam, quam manibus velo coopertis tenet sicuti tenetur Ostensorium, et nihil dicens facit cum ea super populum signum Crucis. Interea omnino interdicitur cantus cujuscumque versus vel precis. Data Benedictione, reponit Reliquiam, genuflectit, et deponit velum humerale. — Feria VI in Parasceve color stolæ, et pluvialis si assumitur, erit niger, color veli humeralis violaceus.

B) **Si sit Reliquia alicujus Sancti.** — Sacerdos, indutus superpelliceo, et stola coloris albi, vel rubei, prout requirit qualitas Sancti, eumdem ritum servat, excepto quod loco genuflexionis tantum fiat capitis inclinatio.

V. **Pro veneratione Reliquiarum, cum fidelibus osculandæ traduntur.** — Reliquiæ sacræ numquam nudæ deosculandæ sunt; verum ad hoc sub crystallo, vel solido vitro præparentur. Hoc venerationis testimonium, in Ecclesia antiquissimum, sicut plurimum valet excitandæ fidelium pietati ac devotioni, ita quoque summa honestate ac decentia per Sacerdotes fieri debet.

Sacerdos, superpelliceo, et stola coloris convenientis, vel, Missa expleta, adhuc sacris indutus paramentis (S. Rituum Congregatio, 16 Martii 1833, n. 2704, antiq. 4707, ad 5), deposito tamen manipulo; — vel Diaconus, superpelliceo, et stola diaconali, aut, post Officium, adhuc Sacris paramentis, excepto manipulo, indutus; facta ante Sacram Reliquiam, aut genuflexione, si sit Dominicæ Passionis, aut alias capitis inclinatione, Reliquiæ thecam dextera accipit, sinistra tenens velum, quo post singulum osculum crystallum abstergatur. Ipse eam deosculatur, deinde aliis deosculandam præbet, reverenter et cum gravitate. Omnes Reliquiam osculantur stantes, sed ante osculum, si sit Reliquia S. Crucis aut Dominicæ Passionis, genuflectunt.

Nulla formula specialiter præcribitur, sed sequens generatim dicitur : *Per merita et intercessionem beatæ Mariæ Virginis* (vel *sancti N.*) *concedat vobis* (vel *tibi*) *Dominus salutem et pacem.*

Pro Reliquia S. Crucis dicitur : *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.* Pro alia Reliquia Dominicæ Passionis : *Per Passionem suam concedat vobis Dominus salutem et pacem.*

Pro Reliquia Præsepis Domini dicitur : *Per Nativitatem suam concedat vobis Dominus salutem et pacem.*

TITULUS X

De exorcizandis obsessis a dæmonio

Q. 366. *Quid est exorcismus ; et quotupliciter sumitur ?*

R. Exorcismus est deprecativa vel imperativa alicujus adjuratio, sub divini Nominis obtestatione, aut rei sacræ interpositione, ad aliquid faciendum vel omittendum.

Exorcizare sumitur in duplici sensu.

Primo, ad significandum exorcismum, seu benedictionem aquæ et salis, quæ fit diebus Dominicis ante Aspersionem aquæ benedictæ ; de hoc exorcismo non est sermo in præsenti Titulo.

Secundo, ad exprimendum obtestationem, qua utitur Ecclesia ad expellendum dæmonem, ejusque potentiam, ut fit in cæremoniis quæ Baptismum antecedunt; et speciatim pro obsessis, aut possessis a dæmone ; de qua agitur in hoc Titulo Ritualis.

Q. 367. *Quo sensu aqua, aliæque creaturæ irrationabiles exorcizantur ?*

R. Secundum se exorcizari nequeunt, quia incapaces sunt deprecationis vel imperii suscipiendi; exorcizantur vero, quatenus ab alio moventur, adjurationem dirigendo ad Deum, petendo et obsecrando, ut creaturis ipsis benedicat earumque usibus assistat, expulsis inde dæmonis insidiis, ne nobis per creaturas noceat ; vel etiam eamdem dirigendo ad dæmonem, ei imperando ut a creaturis abscedat, et per eas nocere non præsumat.

Q. 368. *Quare exorcizantur pueri dum baptizantur, et etiam dum, collato Baptismo, solæ cæremoniæ supplentur ?*

R. Exorcizantur baptizandi ad expellendum dæmonem, cujus servituti subjecti omnes nascuntur, ejusque vires frangendas et debilitandas, ne impediat Baptismi susceptionem ejusque effectum. Exorcizantur quoque baptizati, dum collato Baptismo cæremoniæ supplentur, quia sicut impeditur effectus Baptismi, antequam percipiatur, ita impediri potest postquam fuerit perceptus, ut ait S. Thomas (3. p., Q. 71, Art. 3, ad 3) ; dein-

de quia licet in parvulo baptizato peccatum non sit, fomes tamen peccati actualiter remanet, et ideo Exorcismus etiam post Baptismum habet efficaciam reprimendi diabolum, quatenus auxilia confert opportuna contra ejus infestationes, quibus fideles tota vita impugnantur.

Q. 369. *Quid notandum est de exorcismis pro obsessis a dæmonio?*

R. 1° Nemo potest exorcizare sine facultate Ordinarii.

2° Exorcizatio fit in Ecclesia, si commode fieri potest, vel in alio religioso, et honesto loco ; honesta de causa tamen etiam in domo privata fieri potest.

3° Exorcizatio fieri debet post solis ortum et ante ejus occasum, admissis tantum aliquibus probatæ vitæ viris, vel Sacerdotibus, et quatenus exorcizanda sit mulier, coram pluribus ejus consanguineis.

4° Sacerdos superpelliceo, et stola violacea debet esse indutus.

5° Uti omnino debet Instructione Ritualis, non vero precibus aut conjurationibus in Rituali non contentis, et ab Ecclesia non probatis.

INDEX

INTRODUCTIO

PAG.

§ 1. *Cæremoniæ Sacramentorum, earumque pius et salutaris usus* 1
§ 2. *Libri Rituales pro administratione Sacramentorum* . 3
§ 3. *Conspectus rerum quæ in Tractatu exponuntur* . . 7

PARS PRIOR

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM

TITULUS I

DE IIS QUÆ IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM GENERALITER SERVANDA SUNT 9
1. *De auctoritate Rituum in Rituali præscriptorum* . . . 9
2. *De Ministro Sacramentorum ejusque requisitis dispositionibus* 10
3. *De dispositionibus suscipientium Sacramenta* 13
4. *De Libris memorialibus administrationis Sacramentorum et Parochialium functionum* 13

TITULUS II

DE SACRAMENTO BAPTISMI 17

CAPUT I

De Sacramento Baptismi rite administrando 17
Articulus I. De necessitate Baptismi, et de diligentia adhibenda in ejus ministerio. 18
Articulus II. De necessariis ad Baptismum ministrandum 18
§ 1. De materia remota Baptismi 18
§ 2. De forma Baptismi 20
§ 3. De materia proxima Baptismi. . . . 22
§ 4. De ministro Baptismi 25
Articulus III. Quæstiones practicæ de baptizandis parvulis 26
§ 1. De opportuna delatione infantis ad Ecclesiam pro Baptismo 26
§ 2. De Baptismo infantis in utero . . . 26
§ 3. De Baptismo fœtus 28
§ 4. De Baptismo pueri inventi. 28
§ 5. De Baptismo monstri 28

PAG.

Articulus IV. De solemnitatibus accessoriis in collatione Baptismi solemnis 29
§ 1. De Patrinis 29
§ 2. De tempore administrandi Baptismum. 30
§ 3. De loco administrandi Baptismum . . 32
§ 4. De sacris Oleis et de Sale 36
A. De qualitatibus Oleorum 36
B. Regulæ de SS. Oleorum asservatione. 38
C. De Sale, cujus usus est in Baptismo. 41
§ 5. De præparatione ad administrationem Baptismi 42
A. De rebus præparandis 42
B. De servandis in accessu ad Baptismum 43

CAPUT II

Ordo Baptismi Parvulorum 46
Articulus I. Ordo consuetus Baptismi solemnis 46
§ 1. De cæremoniis antecedentibus . . . 46
§ 2. De cæremoniis comitantibus 50
§ 3. De cæremoniis subsequentibus . . . 54
Articulus II. Baptismus Parvuli in periculo 57
Articulus III. Baptismus pluribus simul collatus 59

CAPUT III

De Baptismo Adultorum 60
Openbare belijdenis van het Katholiek geloof, voorgeschreven door de Bulle van Paus Pius IV 65
Profession de la foi Catholique, prescrite par la Bulle du Pape Pie IV 67
Alia formula Professionis, flandrice et gallice 69
Modus excipiendi professionem fidei Catholicæ a neo-conversis 71

CAPUT IV

Ordo Baptismi Adultorum 72

CAPUT V

Ordo supplendi omissa super baptizatum. 80

CAPUT VI

Ritus servandus cum Episcopus baptizat 82

CAPUT VII

Benedictio Fontis Baptismi extra Sabbatum Paschæ et Pentecostes 82

TITULUS III

Pag.
De Sacramento Pœnitentiæ 83
Caput I. De loco in quo confessiones excipiendæ sunt . 83
Caput II. De ordine ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ 86
Caput III. De absolutione ab excommunicatione, a suspensione vel ab interdicto, et de dispensatione super irregularitate 93

TITULUS IV

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento 95

INGRESSIO

De veneratione SS. Eucharistiæ Sacramenti 94

SECTIO I

De cura SS. Eucharistiæ Sacramenti. 96
Caput I. De asservatione Sanctissimi Sacramenti. . . 96
Articulus I. De Tabernaculo SS.Sacramenti. 98
Articulus II. De Altari SS. Sacramenti. . . 110
Articulus III. De Vasis sacris 111
Articulus IV. De lumine requisito coram Tabernaculo 118
Caput II. De renovatione specierum, et de purificatione sacrorum Vasorum 120

SECTIO II

De cultu SS. Eucharistiæ Sacramenti. 126
Caput I. De variis expositionibus SS. Sacramenti. . . 127
Caput II. De apparatu Altaris et Throni in Expositione. 133
Caput III. De ritu Expositionis, Benedictionis, et Repositionis SS. Sacramenti 145
Appendix I. Instructio circa Laudes vespertinas et Expositiones SS. Sacramenti 163
Appendix II. De Expositione SS. Sacramenti solemnissima in Oratione XL Horarum, et Adoratione perpetua 167
Appendix III. Instructio Clementina 171

SECTIO III

De administratione SS. Eucharistiæ Sacramenti 179
Caput I. De tempore dispensandæ SS. Eucharistiæ . . 179
Caput II. De loco dispensandæ SS. Eucharistiæ. . . . 183
Caput III. De ordine administrandi S. Communionem in Ecclesia 190
Caput IV. De modo deferendi SS. Sacramentum ad infirmos. 206

TITULUS V

Pag.
De Sacramento Extremæ Unctionis 218
Caput I. De materia remota ac proxima, et de forma Extremæ Unctionis 218
Articulus I. De materia remota. 218
Articulus II. De materia proxima, seu de Unctionibus 220
Articulus III. De forma Extremæ Unctionis . . 225
Caput II. De ordine ministrandi Sacramentum Extremæ Unctionis 226
Articulus I. Ordo consuetus ministrandi Sacramentum Extremæ Unctionis. 228
Articulus II. Administratio Extremæ Unctionis in casu instantis periculi mortis 233
Articulus III. Administratio Viatici simul cum Extrema Unctione 234
Appendix I. De Visitatione et cura infirmorum . . . 237
Appendix II. De modo juvandi morientes 240
§ 1. De Indulgentiis lucrandis, et præcipue de Benedictione Apostolica in articulo mortis impertienda 240
§ 2. De ordine commendationis animæ . . 245
§ 3. De servandis in exspiratione 246

TITULUS VI

De exsequiis 249
Caput I. Ordo exsequiarum pro adultis præsente corpore 253
Articulus I. De corporis deportatione ad Ecclesiam 253
Articulus II. De Officio Defunctorum 259
Articulus III. De Missa exsequiali 264
Articulus IV. De Absolutione ad feretrum. . . 266
Articulus V. De Sepultura. 274
Caput II. De officio faciendo pro Defunctis, absente corpore 285
Caput III. De Exsequiis parvulorum 302

TITULUS VII

De Sacramento Matrimonii 312
Caput I. De Sponsalibus celebrandis 314
Caput II. De Matrimonii celebratione. 314
Caput III. De Benedictione Nuptiarum 323
§ 1. De Benedictione præscripta per Ritum particularem Pastoralis Mechliniensis. 323
§ 2. De Benedictione Nuptiarum quæ præscribitur in Missali Romano. . . . 327

APPENDIX

Pag.
De Sacramento Confirmationis 334

PARS ALTERA

DE SACRAMENTALIBUS

TITULUS VIII

De Benedictionibus 338
Articulus I. De Benedictionibus in genere 338
Articulus II. De quibusdam Benedictionibus in specie. . 363

TITULUS IX

De Processionibus 401
§ 1. De diversis Processionibus 401
§ 2. Regulæ quædam generales in Processionibus servandæ 409

APPENDIX

De veneratione Sacrarum Reliquiarum. 432

TITULUS X

De exorcismis 440

INDEX ALPHABETICUS

Numerus quæstionem designat.

Abbas. Abbatis Benedictio pertinet ad Episcopum, 325; Papa permittere potest ut fiat Benedictio ab alio Abbate, 326.

Ablutio in Baptismo. Materia proxima Baptismi, 33; quibus modis fieri potest Ablutio, 34; significatio, 40.

Absolutio sacramentalis in Pœnitentiæ Sacramento. Ejus forma, 137; quænam preces aliquando omitti possunt, et in quibus casibus, 138; forma in urgenti gravi necessitate, 139; pœnitens non absolutus quomodo dimittendus, 140.

Absolutio ab excommunicatione, 141, 142, 143; a suspensione, vel ab interdicto, 141, 144.

Absolutio Defunctorum. Quid hoc nomine intelligitur, 264; quotuplex distinguitur, 265.

Absolutio in exsequiis, præsente corpore. Quæ est, 265; quibus partibus constat, 266; casus in quibus potest peragi absente corpore, 266; casus in quibus non potest peragi absente corpore, 266; an de præcepto facienda est, 267; quot Absolutiones fieri possunt in exsequiis, 268; Absolutiones quinque juxta Pontificale Romanum, pro quibus fieri possunt, 268; Absolutiones tres olim in Diœcesi Mechliniensi usitatæ non permittuntur, 268; solus Celebrans Missam potest Absolutionem facere in exsequiis, 269; solus Episcopus Ordinarius potest Absolutionem peragere sine Missa ab ipso celebrata, 269; ordo servandus in Absolutione, 270; locus Celebrantis, et ministrorum in Absolutione pro laico defuncto, 270; pro Sacerdote defuncto, 270; in Oratione *Non intres etc.*, nulla umquam variatio facienda, 270; ritus aspersionis et incensationis feretri, 270; de repetitione ritus Absolutionis in quibusdam casibus, 274, Nota II; Absolutio facta sine Officio Defunctorum, et sine Missa, 276; Diaconus et Subdiaconus tunc non possunt adhiberi, 276.

Absolutio extra exsequias, absente corpore. Fit ad tumulum, vel super pannum nigrum, 282; quomodo disponitur tumulus pro laico, 282; pro Sacerdote, 282, 287; quot partibus constat in casu Absolutio, 282; an de præcepto fieri debet, 283; solus Celebrans Missam potest Absolutionem facere, 284; solus Episcopus Ordinarius potest Absolutionem facere sine Missa ab ipso celebrata, 284; quibus diebus permittitur Absolutio, 285; non permittitur post Missam quæ non est de *Requiem*, 286; ordo servandus in Absolutione ad tumulum, 287; quomodo intelligendum: *ad pedes tumuli*, et *in capite loci*, pro loco Celebrantis, et Subdiaconi, 287; quæ Oratio dicenda est in fine Absolutionis, 287; Versus *Anima ejus, etc.*, et preces dicendæ post Absolutionem, 287; omittuntur

hæc in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, 287; ratio harum precum, 287; Absolutio super pannum nigrum, 282, 288; ordo servandus pro hac Absolutione, 288; preces dicendæ in regressu ad sacristiam, 288.

Absolutio super tumulum Defuncti. Describitur in recentioribus editionibus Missalis pro Defunctis, quid de ea dicendum, 288, Nota.

Accipe, frater, etc. Formula specialis pro S. Communione in Viatico administranda, 207.

Administratio SS Eucharistiæ. Vide *Eucharistia.*

Adoratio perpetua SS. Sacramenti. Cultus SS. Eucharistiæ, 169; imagines Sanctorum an velandæ in Adoratione, 176; instructio, et historia Adorationis perpetuæ in Diœcesi Mechliniensi, 187; Missa in Adoratione perpetua, 187, 188.

Adultorum Baptismus. Vide *Baptismus.*

Ægrotus. Si non, aut difficile potest deglutire S. Hostiam, quid faciendum, 209.

Agnus Dei. Cerea forma a Papa benedicta, 324, II; notitia, 324, II.

Alapa, in Confirmationis ritu, 316.

Alleluja. Addendum ad ℣. *Panem de cœlo, etc.*, in distributione S. Communionis tempore Paschali, 199; non additur si distributio fit in paramentis nigris, 200.

Altare. Altaris consecratio pertinet ad Episcopum, 325, 326; in Dedicatione Ecclesiæ consecrari debet Altare majus, 342, V; in Ecclesiæ Benedictione, si sequitur Altaris consecratio, quod Altare tunc consecrari debet, 342, V; Altaris Crux, vide *Crux;* Altaris mappæ, vide *Mappæ;* Altaris ornamenta, vide *Ornamenta Ecclesiæ;* sepulturæ prope Altare, 255; Altaris ornamenta pro ornatu feretri non permittuntur, 258; super Altare nihil indecens potest poni pro Benedictionibus, 382.

Altare SS. Sacramenti. Debet esse dignius Ecclesiæ, 155; non licet dormire, aut habitare super Altare, 155; ciborium super Altare, 155; ejus structura summopere curanda, 155.

Altare Expositionis SS. Sacramenti. Vide *Expositio.*

Angelorum Missa, in exsequis parvulorum. De Missa votiva de SS. Angelis, 293.

Anima. Animæ commendatio, vide *Morientes.*

Anima ejus, etc. Hic Versus post Orationem in Absolutione ad tumulum, vel super pannum dici debet, 287; omittitur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, 287.

Animarum status. Liber parochialis, 20.

Anniversarium. Est dies privilegiata seu solemnis pro defunctis, 279; Anniversarium fundatum cum Officio Defunctorum, nulla clausula expressa de integro Officio, requirit unum Nocturnum tantum cum Laudibus, 279.

Annulus. Annulus sponsæ, 302; cui digito, et quomodo imponitur, 302; ejus materia 303; de ejus Benedictione casus di-

versi, 303 ; annuli significatio, 303 ; annulus pro sponso in celebratione Matrimonii, 303.

Apostolica Benedictio. Vide *Benedictio Apostolica*.

Appendix Ritualis. Continet multas et varias Benedictiones, 328, nota; 347.

Approbatio Imaginum, 340.

Approbatio SS. Reliquiarum, 364.

Aqua materia Baptismi. Quæ aqua est materia valida, 22 ; licita, 23, 24; aqua quæ superest, quando nova benedici debet, 25 ; aqua in fonte imminuta, 26 ; aqua corrupta, aut deficiens, 26 ; aqua congelata, 27; significatio aquæ ut materia Baptismi, 28 ; ubi effundi debet aqua quæ diffluit e capite Baptizati in Baptismo, 39; aquæ mundities curanda, 63.

Aqua benedicta. Aqua quæ inservit diversis functionibus liturgicis benedici debet, 330; requiritur pro plerisque Benedictionibus, 334; quando facienda, ubi, a quo, et quo ritu, 337 ; aquæ benedictio in Sabbato Sancto, et in Vigilia Pentecostes, 337 ; distributio ejusdem fidelibus, 337 ; quomodo provideri potest ut sufficiens sit quantitas, 337.

Aqua, quacum Sacerdos digitos abluit post distributionem S. Communionis, 202.

Armarium. Armarium Baptisterii, 62 ; armarium pro Sacris Oleis, 70, 216 ; armarium pro SS. Eucharistia conservanda, 152, 153.

Aspergillum ex hyssopo, 342 V.

Aspersio. Aspersio Altaris et populi, quando fit, 337 ; a quo facienda est, 337; quomodo fit, 337; ubinam de præcepto est facienda, 337; Aspersio, ut modus conferendi Baptismum, 34; Aspersio feretri, vel tumuli, quomodo facienda, 270; Aspersio rerum in earum Benedictione, quomodo fit, 334; an aliquid interea dicendum est, 334.

Assecuratio, in Baptismo, 32, 45.

Asservatio. SS. Eucharistiæ, vide *Eucharistia* ; tuta vasorum sacrorum, 157 ; Sacrorum Oleorum, 70, 216; Sacrarum Reliquiarum, 365, I.

Aures. Earum tactus saliva in Baptismo, 94 ; earum unctio in Extrema Unctione, 217, 218, 219.

Avaritia. Ejus suspicio vitanda in administratione Sacramentorum, 16; in visitatione infirmorum, 239.

Baldachinum. Deferendum super SS. Sacramentum quando portatur ab uno Altare ad aliud, 181 ; quando portatur ad infirmos, 205; in Processione SS. Sacramenti, 358, IV ; sub baldachino deferri possunt Reliquiæ SS. Crucis, et Dominicæ Passionis, disjunctim a Sanctorum Reliquiis, 358, IV; Sanctorum Reliquiæ numquam sub baldachino deferri possunt, 358, IV.

Balsamum. Ex eo et ex oleo conficitur Chrisma, 100 ; ejus significatio in Baptismo, 100; in Confirmatione, 316.

Baptismus. De ejus necessitate, et de diligentia in ejus admini-

stratione, 21; materia remota, vide *Aqua materia Baptismi;* forma, vide *Forma Baptismi;* materia proxima est ablutio corporalis, 33; quibus modis fieri potest ablutio, 34; conditiones pro debita aquæ infusione, 35; vasculum pro aquæ infusione, 76; in qua capitis parte facienda est infusio, 36, 37; tres ablutiones fiant sub formæ pronuntiatione, 38; ubi effundi debet aqua e capite diffluens, 39; ablutionis significatio, 40; minister Baptismi solemnis olim, 41; hodie, 42; minister in necessitate, 43, 45; de assecuratione, 32, 45; patrini in Baptismo; quot adhibendi 52; eorum qualitates, 52, 53; eorum officia, 53; dum ablutio fit, 98; quid si indignus se præsentet, 56; tempus ministrandi Baptismum solemnem olim, 57; quid de antiqua disciplina superest, 57; hodierna disciplina, 57, 58; locus administrandi Baptismum, disciplina antiqua, 59; disciplina hodierna, 60, 61, vide insuper *Baptisterium*, *Fons baptismalis;* Olea sacra in Baptismo, vide *Olea sacra;* Sal in Baptismo, vide *Sal;* Baptizatorum Liber, 20.

Baptismi administratio. De parvulis baptizandis quæstiones practicæ, vide *Parvuli baptizandi;* Baptismus monstri, 51; res præparandæ pro Baptismi administratione, 75; vestes sacræ, 75; stolæ, 77, servanda in accessu ad Baptismum, 78; interrogationes primo faciendæ, 79; interrogationes in Baptismi administratione, 86; admonitiones faciendæ, 79; nomina baptizando imponenda, 80; quot et quæ nomina exprimenda in administratione Baptismi, 104.

Ordo Baptismi parvulorum, 81; cæremoniæ antecedentes, 82 ad 91; finis cæremoniarum, 83; ubi peragitur prima pars functionis, 83; catechismus, 85; exsufflatio, 87; Crucis signa facienda, 88; quid significent Crucis signa, 89; manus impositio super caput, 90; ratio hujus impositionis, 90; Benedictio et impositio salis, 91; significatio Salis ejusque impositionis, 91; cæremoniæ comitantes, 92; introductio baptizandi in Ecclesiam, 93; exorcismus, 93; tactus aurium et narium saliva, ejusque significatio, 94; unctio Oleo Catechumenorum, modus et ratio, 95; mutatio coloris stolæ, 96; ingressus ad fontem, 97; Baptismi collatio, 98; patrini et matrinæ officium, 98; cæremoniæ subsequentes, 99; unctio S. Chrismate, origo, ratio, et modus, 100, 117; Sacramentum Confirmationis olim collatum post Baptismum, 100, 117; vestis albæ ratio, et traditio, 101; cereus accensus traditur Baptizato, 102; nomina plura, an semper omnia dicenda, 103; variatio generis in precibus, 104; observanda post collatum Baptismum, 105; descriptio in Libro Baptizatorum, 105; Baptismus parvuli in periculo, 106; Baptismus parvuli, qui ob præsens periculum non potest ad Ecclesiam deferri, 106; ordo supplendi omissa, 120; in quibus casibus, quando, et ubi suppleri debent omissa, 120; ratio, 121; in quibus differt Ordo a consueto; casus diversi, 123, 124; Baptismus pluribus simul collatus, liceitas 107; modus, 108.

Ordo Baptismi adultorum, 109; de consensu Episcopi fiat, 109; quis adultus intelligitur, 110; triplex ejus præparatio, 111; dispositio corporalis, 112; qua diei parte conferri debet Baptismus adulto, 113; Baptismus conferendus amenti, furioso, et lethargo laboranti, 114; quomodo procedendum cum hæreticis conversis, 115; professio fidei (flandrice et gallice), 115; cæremoniæ speciales Baptismi adultorum, 116; motivum specialis Ordinis Baptismi, 117; disciplina et ratio Catechumenatus antiqui, 117; scrutinia, 117; redditio Symboli, 117; Baptismus in fonte olim, 117; Confirmatio olim, 117; Baptismus adulti non hæretici, 118; suppletio Cæremoniarum pro adulto catholico, 123; pro adulto ab hæresi converso, 124.

Baptisterium. Ita vocabatur olim liber ritualis pro Baptismi administratione, 6; locus pro administratione Baptismi, 59; origo, 59; præscriptiones liturgicæ, 62; forma, 62; fons, vide *Fons baptimalis*; armarium Baptisterii, 62; sacrarium Baptisterii, 62.

Baptizatorum Liber. Liber parochialis, 20; inscriptio Baptismatis, 105.

Beatus. Imagines, vide *Imagines*; Reliquiæ, vide *Reliquiæ*.

Benedictio. Quid significat vox, 318; in sensu liturgico, 319; benedicuntur personæ, et res, 320; quomodo distinguuntur Benedictiones sub respectu status qui ex eis consequitur, 321; constitutivæ, invocativæ, intermediæ, 321; Sacerdos est minister Benedictionis, 322; Diaconus peragit Benedictionem cerei paschalis, 322; notanda circa ministerium Benedictionum, 323; quomodo distinguuntur Benedictiones sub respectu ministerii, 323; Benedictiones Summo Pontifici reservatæ: Agnus Dei, Pallium, Rosa aurea, Ensis, 324; Benedictiones quæ pertinent ad Episcopum, 325; pro quibusnam Episcopus delegare potest, 326; Benedictiones quædam in Appendice Ritualis dicuntur *reservatæ*: quo sensu, 326, nota II; Benedictiones quæ sunt de jure Parochi, 327; Benedictiones quæ a quocumque Sacerdote fieri possunt, 328; servandæ tamen pro eis conventiones et consuetudines, 328; enumeratio variarum Benedictionum personarum et rerum, ex Rituali et Appendice, 328, Nota; Benedictiones propriæ Ordinum Regularium, 329; facultas pro ipsis datur a Summo Pontifice, vel a Superioribus Ordinum, 329; Episcopus sine Indulto pro ipsis delegare non potest, 329; res quæ de præcepto sunt benedicendæ, 330; quid de aliis dicendum est, 330; quinam libri adhibendi sunt pro Benedictionibus, 331; quid de aliis formulis Benedictionum, 331; quæ formula sumitur, si specialis non habetur in Rituali, 331; Benedictio ad omnia, 331; in quo loco faciendæ sunt Benedictiones, 332; de valore Benedictionis Candelarum, et Palmarum, quæ a fidelibus tenentur in Ecclesia, 332; nihil indecens pro Benedictione super Altare poni potest, 332; vestes sacræ adhibendæ pro Benedictio-

nibus, 333; cujus coloris, 333; ritus servandus in Benedictionibus, 334; quomodo fit aspersio, 334; an aliquid interea dicendum est, 334.

De Benedictionibus quibusdam in specie, 335.

Apostolica super populum, 345, I; quid est, 345, II; a quibus potest dari, 345, II; ritus præscriptus, 345, III; quare dicitur servandus a Regularibus, 345, III; ritus ad amussim servari debet, 345, III.

Apostolica in articulo mortis, 242; conditiones ex parte Sacerdotis ad eam impertiendam, 242; ritus servandus in ea impertienda, 243; SS. Nominis Jesu invocatio, 243; adhortationis exemplum per modum orationis, 243; *Misereatur*, et *Indulgentiam* dicuntur in singulari, 243; notanda, si Benedictio datur post Viaticum et Extremam Unctionem, 244; quæ preces jam dictæ pro Viatico et Extrema Unctione repetendæ sunt, 244; quid si infirmus est morti proximus, 245; formula brevior, si mors proxime urgeat, 246.

Aquæ. Vide *Aqua*.

Candelarum in Festo Purificationis B. M. V. Vide *Candelæ*.

Cinerum. Vide *Cineres*.

Cœmeterii. Vide *Cœmeterium*.

Crucis novæ. Vide *Crux*.

Ecclesiæ, vel Oratorii publici. Vide *Ecclesia*.

Fontis baptismalis. Vide *Fons baptismalis*.

Imaginum. Vide *Imagines*.

Lapidis primarii pro Ecclesia ædificanda. Vide *Lapis primarius*.

Mulieris post partum. Vide *Mulier*.

Nuptiarum. Duplex in Diœcesi Mechliniensi Nuptiarum Benedictio 297; quænam in mente Ecclesiæ vera et sola est, 297; non datur in Matrimoniis mixtis, 300; est de jure Parochi, 327.

Nuptiarum Benedictio præscripta per Ritum particularem Pastoralis Mechliniensis, 305; notanda de natura hujus Benedictionis, 305; datur immediate post contractum Matrimonium, 305; etiamsi ista detur, non ideo licet omittere Benedictionem solemnem Missalis, 305; etiamsi detur Benedictio solemnis Missalis, ideo hæc particularis non est omittenda, 305; numquam dari potest intra Missam, 305; licita est etiam tempore clauso, si ex dispensatione hoc tempore contrahitur Matrimonium, 305; ritus hujus Benedictionis, 306; de imagine Crucifixi osculanda, 306; omittitur hæc Benedictio, si sponsa est vidua, jam in præcedenti Matrimonio benedicta, 307; quid tunc ejus loco faciendum, 307; de Missa celebranda post Matrimonium quid dicat Ritus particularis, 308; de Missa celebranda, si sponsi, quorum Nuptiæ benedici non possunt, exposcunt tamen Missam celebrari occasione Matrimonii, 311.

Nuptiarum Benedictio præscripta in Missali Romano, 309; notanda de natura hujus Benedictionis, 305; Episcopus non potest concedere ut detur hæc Benedictio tempore clauso, 301; describitur in Missa Votiva *pro sponso et sponsa*, 309; numquam extra Missam potest dari, 309; dari potest pluribus Nuptiis simul, 309; ideo tamen nihil mutandum est in Orationibus, 309; Parochus est minister de jure hujus Benedictionis, 310, 327; qui Missam celebrat Benedictionem impertitur, 310; quænam Nuptiæ debent benedici, 311; quænam non possunt benedici, 311; Decretum S. Congregationis Inquisitionis de Nuptiarum Benedictione, 312; de Missa celebranda, si conjuges quorum Nuptiæ benedici non possunt, exposcunt tamen Missam celebrari occasione Matrimonii, 311; Ritus hujus Benedictionis, 313; de Communione sponsorum, 313.

Palmarum. Vide *Palmæ*.

Sepulchri. Fit, si fieri debet, in Sepultura defuncti, 271; fovea parata in Cœmeterio benedicto non est benedicenda, 271; conditorium, seu crypta in Cœmeterio pro prima Sepultura benedici debet, 271; conditorium in Ecclesia paratum benedici debet, 271; Benedictio foveæ in cœmeterio non benedicto, vel profanato, 271; Ritus Benedictionis Sepulchri, 273; in cœmeterio non benedicto, vel profanato, 274; de Benedictione Sepulchri in Sepultura parvulorum, 292.

Supellectilis sacræ. Vide *Supellex*.

Tabernaculi SS. Sacramenti. Fieri debet, 154, 338. Vide insuper *Tabernaculum*.

Vasorum sacrorum pro SS. Eucharistia, 157, 159. Vide insuper *Vasa sacra*.

Benedictio et Repositio SS. Sacramenti. Ritus servandus, 184, 185; unica tantum potest dari, 185; in fine functionis dari debet, 185; sub silentio Chori dari debet, 185; Incensatio tempore Benedictionis, 185; ante Benedictionem semper cantatur *Tantum ergo, etc.*, *Genitori, etc.*, Versus, et Oratio SS. Sacramenti, 184; modus dandi Benedictionem, 184, 185.

Benedictio in delatione S. Communionis ad infirmos. Quoties, et ubi danda est, 211.

Benedictio cum Sacris Reliquiis. Quomodo datur, si sit Reliquia SS. Crucis, aut Dominicæ Passionis, 365, IV; si sit Reliquia Sancti, 365, IV.

Benedictio post distributionem S. Communionis. Quomodo datur, 199; non omittitur in distributione facta immediate ante, vel post Missam, 200; omittitur Benedictio, si Sacerdos est in paramentis nigris, 200.

Benedictus XIV. Auxit, et castigavit Rituale Romanum, 7.

Bombacium. In vasculis SS. Oleorum ponitur, ne SS. Olea effluant, 69, 216; præparandum pro administratione Baptismi, 75; quid de eo post Baptismum faciendum est, 105; septem

globuli præparandi pro administratione Extremæ Unctionis, 218, 228; quid de globulis faciendum est, 231.

Bursa. Pro delatione SS. Sacramenti ad infirmos, 157, 205, 210; serica esse debet, 157, 210; albi coloris, 205, 210; quomodo portatur, si simul bursa S. Olei Infirmorum ab eodem Sacerdote defertur, 234; pro delatione S. Olei Infirmorum, 216, 229; serica esse debet, 216, 229; violacei coloris, 216, 229; quomodo portatur ad infirmum, 216, 229; quomodo, si simul bursa cum S. Hostia ab eodem Sacerdote defertur, 234; omnino in casu duplex bursa deferri debet, 234.

Cæremoniæ Sacramentorum. In quibus consistunt, 2; earum utilitates, 3; explicandæ populo, 4, 16; earum origo, 5.

Calix. Calicis et patenæ Consecratio pertinet ad Episcopum, 325; permittitur Abbatibus ex privilegio, pro usu Ecclesiarum sibi subjectarum, 326; consecrari debent, 330; Calix cum patena positus in manibus cadaveris Sacerdotis, 273, Nota; calix ex cera cum vino et aqua depositus in feretro Sacerdotis, 273, Nota.

Campana. Campanæ Benedictio pertinet ad Episcopum, 325; vi specialis Indulti, Archiepiscopus Mechliniensis potest subdelegare qualificatos Sacerdotes, 326; campana dandum est signum obitus defuncti, pro loci consuetudine, 250.

Candelæ. Ritus Benedictionis die 2 Februarii, 346; Benedictio extra diem 2 Februarii, 330; Benedictio solemnis die 2 Februarii, a quo facienda, 327, nota; in quibus Ecclesiis hæc Benedictio fieri debet, 330; de valore Benedictionis Candelarum quæ a fidelibus in Ecclesia tenentur, 332; Processio post Benedictionem Candelarum, 353; candelæ requisitæ pro Expositione SS. Sacramenti, quæ, 180; quot, 180; candela quæ accenditur ad preces commendationis animæ, 248; vide insuper *Cereus*.

Cantus. Tempore Expositionis SS. Sacramenti, 182; in vulgari idiomate, 182; Hymni *Te Deum*, 182; cantus in Processione, quæ debent cantari, quæ possunt cantari, 359.

Capsæ Reliquiarum. Benedicuntur ab Episcopo, 325; vi facultatis potest delegare Sacerdotem, 326; formula Benedictionis, 338, III.

Caput loci, in Absolutione ad tumulum, quomodo intelligendum, 287.

Catechismus, in Baptismo parvulorum, 85,

Catechumenatus. Ejus disciplina, et ritus, 117.

Catechumenorum Oleum, in Baptismo, vide *Olea sacra*.

Cautelæ adhibendæ in distributione S. Communionis, 198.

Celebrans. Celebrans Missam potest solus et debet facere Absolutionem post Missam de *Requiem*, nisi eam faciat Episcopus loci Ordinarius, 269, 284.

Cereus. Cereus baptizato tradendus, 75; cerei ardeant circa fe-

retrum depositum in Ecclesia, 258; cerei ficti ex metallo, cum cereo introducto, 180.

Chrisma, in Baptismo, vide *Olea sacra;* ex quibus conficitur Chrisma 100, 316; confectio pertinet ad Episcopum, 325, 326; unctionis in Baptismo origo, ratio, et modus, 100; Chrisma in Confirmatione, 316.

Chrismale Altaris, non benedicitur, 338.

Ciborium. Vas pro asservandæ SS. Eucharistia, quid est, 156; pyxis et parva custodia, repositorium, 156, 157; materia, 157; forma, 157; ornatur velo serico, 157; numerus, 157; Benedictio, 157; vide insuper *Vasa sacra;* a quo benedicitur, 325, 326; nitor, 157; asservatio tuta, 157; bursa serica pro delatione, 157; a quibus potest tangi, 161.

Ciborium super Altare SS. Sacramenti, 155.

Cineres. Benedictio solemnis a quo facienda, 327, nota; in quibus Ecclesiis hæc Benedictio fieri debet, 330; ritus Benedictionis, 346; data causa rationabili, Cineres privatim possunt benedici, 330.

Claves Tabernaculi. Præscriptæ, 154; a quo servandæ, 154.

Clerici, Quomodo defunctorum Clericorum corpora induenda sunt, 251; ubi Clerici in Ecclesia communicant, 191.

Clerus. Cleri sæcularis locus in Processionibus, 355.

Cœmeterium. Locus sepulturæ fidelium, 255; sepultura in Ecclesia, 255; sepultura prope Altare, 255; locus distinctus pro Episcopis et Ecclesiasticis, 255; pro laicis, 355; pro parvulis baptizatis, 255, 291; custodia, et cura Cœmeterii, 255, quomodo disponuntur cadavera in locis sepulturæ, 256; Cœmeterii Benedictio fit ab Episcopo, 325, 344; Episcopus delegare potest Sacerdotem, 326, 344; de præcepto benedici debet, 330, 344; si amplificatur, pars nova addita benedici debet, 344; crux pridie ponenda 344; paxillus in summitate tridens pridie ponendus, 344; ritus Benedictionis, 344.

Collatio Baptismi, 98; vide *Baptismus.*

Color. Color ornatus in Expositione SS. Sacramenti, 177; color paramentorum in distributione S. Communionis, vide *Communio;* color vestium sacrarum in Benedictionibus, 333.

Columba. Antiquitus in usu pro asservatione SS. Sacramenti, 152.

Commendationis animæ ordo, vide *Morientes.*

Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. Est dies privilegiata, seu solemnis pro Defunctis, 277; Officium Defunctorum in ea persolvi debet, 279; in ea omittuntur quædam preces alias dicendæ post Absolutionem super tumulum, 287.

Communio in Ecclesia, seu administratio, seu dispensatio SS. Eucharistiæ fidelibus, pertinet ad cultum SS. Eucharistiæ, 169; quibus diebus dari potest fidelibus in Ecclesia, 189; an Sabbato Sancto, 189; an a Regularibus diebus omnibus anni, 189; qua diei parte dari potest in Ecclesia, 189; an in Nocte Nativitatis Domini, 189; Communio distribuenda ad Com-

munionem Celebrantis, 189; ante Missam, post Missam, 189; ante, vel post, vel intra Missam de *Requiem*, 190; a quo dispensanda est S. Communio, 191; a Sacerdote, a Diacono, 191; locus dispensandæ Communionis, disciplina olim, 191; disciplina hodie, 191; an in Oratorio privato potest Communio dari, 191; in quo Ecclesiæ loco communicant Clerici, 191; ubi communicat laicus qui Missæ inservit, 191; Communio distributa ad Altare ubi alius Sacerdos celebrat Missam, 192, quid observandum a Celebrante, 192; quid a distribuente Communionem, 192; Communio distributa ad Altare ubi puplice expositum est SS. Sacramentum, 193; linteum ante communicandos extendendum, 194; quale esse debet, 194; patena major, vel palla major loco lintei, 194; patena supposita mento, 194; ritus distributionis S. Communionis olim, 195; extra Missam Sacerdos prius manus lavat, 190; induit superpelliceum et stolam, 196; quis color stolæ, 196; ordo cæremoniarum ante distributionem, 197; corporale super mensam Altaris extendendum, 197; deficiente Ministro, ipse Sacerdos dicit *Confiteor*, 197; observanda in ipsa distributione, 198; formula ab Episcopo dicenda in Ordinatione, 198; cautelæ adhibendæ in distributione, 198; vinum et aqua communicatis data, 198; ordo cæremoniarum post distributionem, 199; quo momento abluuntur digiti, 199; preces dicendæ, 199, 200; genuflexiones præscriptæ, 199; Communio distributa immediate ante, vel post Missam, 200; Benedictio non omittitur, nisi Sacerdos sit in paramentis nigris, 200; Communio distributa in transitu, cum postea celebratur Missa ad aliud Altare, 200; Communio distributa intra Missam, 201; Communio distributa Religiosis ad fenestellam, 201; ordo, si simul fideles communicant in Ecclesia, 201; de aqua, quacum Sacerdos digitos abluit, 202; congruitas, et significatio ritus distributionis S. Communionis, 203.

Communio in diversis casibus. In Baptismo solemni adultorum olim, 117; hodie, 119; Sponsorum in Matrimonii Benedictione, 313; Religiosorum in professione, et in renovatione votorum, 201.

Communio infirmorum. In quibus casibus defertur S. Communio ad infirmos, 204; pro Viatico, 204; ob devotionem, 204; delatio S. Communionis ad infirmos, 205; qualis habitus, 205; detecto capite, 205; an pileolus potest indulgeri, 205; color stolæ est albus, 205, 207; delatio sit manifesta, 205; delatio in parva Custodia in bursa albi coloris, 205, 210; delatio honorifica, 205; delatio cum stola sine superpelliceo prohibita, et consuetudo eliminanda, 205; signum campana laudabiliter datur, 205; præparanda, tum in Ecclesia, tum apud infirmum, 206; umbella, 205, 206; ordo cæremoniarum, 207; aspersio, 207; *Misereatur* et *Indulgentiam* dicuntur in singulari pro Viatico, in plurali pro Communione ex devotione, 207; formula specialis *Accipe etc.*, in Viatico tantum adhibenda,

207; Indulgentiæ concessæ comitantibus, 207; quid faciendum si mors immineat, 208; quid, si ægrotus non, aut difficulter deglutire potest S. Hostiam, 209; quomodo functio terminatur, si una tantum Particula delata fuit ad ægrotum, 210; delatio S. Communionis in Triduo Sacro Majoris Hebdomadæ, 212; delatio de nocte, 212; delatio in locis ubi manifeste deferri nequit, 212; Benedictio in delatione ad infirmum, quoties, et ubi danda est, 211; delatio solemnis ad plures infirmos aliquoties per annum, 204, 213; observanda in casu pro precibus apud infirmos dicendis, 213; observanda si plures infirmi simul communicant, in nosocomiis et valetudinariis, 213; administratio Viatici simul cum Extrema Unctione, vide *Extrema Unctio.*

Concilium Tridentinum. Quid decrevit de auctoritate rituum in Sacramentorum administratione, 12; quid pro ritu Matrimonii optat, 10, 295; quid mandat de Sacris Reliquiis Sanctorum, 301.

Conciones, tempore Expositionis SS. Sacramenti, 183.

Conditorium. In Cœmeterio paratum pro Sepultura prima benedici debet, 271; etiam si in Ecclesia consecrata paratur, 217.

Confessio. Vide *Pœnitentia.*

Confirmatio. Confirmatorum liber a Parocho tenendus, 20; Confirmationis Sacramentum olim collatum post Baptismum, 100, 117, 119, 316; quid de ejus administratione habetur in Appendice Ritualis Romani, 314; notanda quædam de ritibus Confirmationis, 316; de puerorum præparatione, 316; significatio rituum et cæremoniarum Confirmationis, 316.

Confiteor. In distributione S. Communionis in Ecclesia, deficiente ministro, dicitur a Sacerdote, 197; dictum pro administratione Viatici, repetitur pro Extrema Unctione, et pro Benedictione Apostolica, 235, 244.

Confraternitates. Confraternitas SS. Sacramenti instituta pro cultu SS. Eucharistiæ, 169; gaudet præcedentia supra reliquas in Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum, 355; quem locum occupare non potest, 355; Confraternitates laicæ, eorum locus et ordo in Processionibus, 355.

Conopæum Tabernaculi, 154.

Consecratio, seu Dedicatio Ecclesiæ, vel Altaris, vide *Ecclesia, Altare.*

Consociationes laicæ. Quem locum et quo ordine occupant in Processionibus, 355.

Constitutivæ Benedictiones, 321.

Constructiones quæ ad tempus inserviunt pro Missæ celebratione, non possunt benedici solemni Benedictione Ecclesiæ, vel Oratorii, 330, 342.

Cor Jesu. Imago Cordis in ostiolo Tabernaculi SS. Sacramenti, 154; Oratio de SS. Corde Jesu in Laudibus vespertinis, 182; Litaniæ SS. Cordis Jesu tempore Expositionis SS. Sacramenti, 182.

Coronæ florum, in exsequiis ad ornatum feretri, 258; corona florum ad honorandum defuncti parvuli corpusculum, 291.
Corporale. Benedicendum ab Episcopo, 325; vi facultatis Episcopus potest delegare Sacerdotem, 326; quinam, et ubi delegantur in Archidiœcesi Mechliniensi, 326; Abbates possunt benedicere pro suis Ecclesiis, 326; debet benedici, 330, 338; qua formula utendum, 338, III; Corporale super mensam Altaris extendi debet pro distributione S. Communionis, 197.
Corpus Christi. Festum, 169; vide *Eucharistia.*
Corpus. Corpus recenter defuncti quomodo componendum, 251; quomodo induendum est corpus defuncti Clerici, 251.
Crates perforatæ in sede confessionali, 131.
Crux. Benedictio solemnis Crucis pertinet ad Episcopum, 325; vi facultatis Episcopus potest delegare Sacerdotem, 326; Benedictio privata Crucis a quocumque Sacerdote fieri potest, 328; Benedictio solemnis Crucis, 339; duplex Benedictio describitur una in Rituali, altera in Appendice Ritualis, 339; delegatio requiritur, 339; prior Benedictio inservit pro Cruce sine imagine Crucifixi, 339; adoratio quomodo fiat, et quare, 339; altera, solemnis, Benedictio est Crucis, seu tabulæ in qua Crucifixus sit depictus, 339; Benedictionis ritus, 339; Crux Altaris non debet benedici, 330, 338; si benedicitur, quæ Benedictio est adhibenda, 339; Crux Altaris pro celebratione Missæ ad Altare Expositionis, 179; Crux in summitate Tabernaculi, 154, 159; qualis esse debet ut sufficiat etiam pro celebratione Missæ, 154; Crux in summitate sacrorum Vasorum, 157; Crux non potest collocari ad caput feretri in exsequiis, 258; Crux in exsequiis parvulorum defertur sine hasta, ratio, 292; SS. Crucis Reliquiæ, vide *Reliquiæ.* Crucis signa super baptizandum, 88; quid significent, 89.
Crypta. In Cœmeterio parata debet pro prima Sepultura benedici, 271; etiam si in Ecclesia consecrata paratur, 217.
Cura infirmorum, et visitatio, Vide *Infirmi.*
Custodia parva, Vide *Ciborium.*
Custodia tuta Tabernaculi, 154; SS. Sacramenti de nocte, 154; Sacrorum Oleorum, vide *Olea sacra;* Sacrarum Reliquiarum, 365.

Dedicatio, seu Consecratio Ecclesiæ, vel Altaris, vide *Ecclesia, Altare.*
Defunctorum liber parochialis, 20; exsequiæ, vide *Exsequiæ;* Officium, vide *Officium Defunctorum;* Memorialia, 252; delectus imaginum, 252; elogium defuncti, 252; preces adjunctæ et indulgentiæ, 252.
Delatio corporis defuncti adulti ad Ecclesiam, 257; Processio ordinanda pro delatione corporis ad Ecclesiam, 257; agenda in accessu ad domum defuncti, 257; maxime convenit ut functio fiat a Parocho, 257; quomodo indutus esse debet Parochus, 257; non admittuntur ministri induti dalmatica et tunicella, 257; ordo Processionis de domo ad Ecclesiam, 257; quæ

cantanda sunt, 257; dispositio in Ecclesia, 258; quid si depositio corpore non statim sequitur officium exsequiale, 257; delatio feretri quomodo fiat, 258; delatio super currum, 258; clerici ne deferant cadaver laici, 258; clerici ne teneant panni fimbrias, 258; delatio corporis parvuli, vide *Exsequiæ parvulorum.*

De profundis. In Officio Defunctorum in fine Laudum non dicitur hic Psalmus in Officio pro depositione defuncti, 261; non dicitur in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, 280; dicitur in aliis Officiis pro defunctis, 280.

Diaconus. Est minister extraordinarius pro dispensanda S. Communione, 191; communicans assumit stolam diaconalem, 191; peragit Benedictionem Cerei Paschalis, 322.

Dies. Quibus diebus dari potest fidelibus S. Communio in Ecclesia, 189; qua diei parte dari potest fidelibus S. Communio in Ecclesia, 189; quid de S. Communione in nocte Nativitatis Domini, 189; dies privilegiati pro defunctis, qui sunt, 277.

Digiti. Quo momento abluuntur post distributionem S. Communionis in Ecclesia, 199.

Dispensatio super irregularitate, 141, 145.

Dispensatio, seu distributio S. Communionis, vide *Communio.*

Dispositio SS. Reliquiarum in Altari, 365, II.

Distributio S. Communionis, vide *Communio.*

Domorum Benedictio, an sit de jure Parochi, 327.

Ecclesia. Ecclesiæ Dedicatio seu Consecratio pertinet ad Episcopum, 325, 326; Ecclesia proprie dedicatur seu consecratur, 342; an sit obligatio Consecrationis, 342; aliquando, prolatando Consecrationem, interea benedicitur, 342; Ecclesiæ, vel Oratorii publici Benedictio pertinet ad Episcopum, 326, 342; delegare potest Episcopus Sacerdotem, 326, 342; de præcepto, saltem benedici debent, 330, 342; ob quas rationes benedicuntur, 342; Oratoria publica benedicuntur, 342; sunt capacia Consecrationis, 342; effectus hujus solemnis Benedictionis, 342; hæc Benedictio est constitutiva, 342; constructiones ad modum provisionis erectæ, non possunt hac solemni Benedictione benedici, 342; Oratoria privata non hac solemni Benedictione possunt benedici, 342; sufficit pro eis Benedictio loci, 342; ritus Benedictionis, 342; quid, si Ecclesia undique non potest circumiri, 342; Missa celebranda post Benedictionem, 342; quid, si sequitur immediate Consecratio Altaris, 342; quod Altare tunc est consecrandum, 342; quæ Missa tunc celebrari debet, 342; Ecclesiæ ornamenta, vide *Ornamenta;* Ecclesia locus est excipiendi Confessiones, 126; causa debet esse rationabilis, ut Confessiones excipiantur extra Ecclesiam, 127; Ecclesia, ut locus sepulturæ Fidelium Defunctorum, 255.

Effectus salutares Processionum, 360.

Electrica lux in Ecclesiis, 180.

Elogium defuncti in memorialibus Defunctorum, 252.

Ensis, seu gladius, a Papa benedicitur, 324, IV; notitia de ense, 324, IV.

Episcopus. Benedictiones quæ pertinent ad Episcopum, 325; Episcopus in Ordinatione distribuens S. Communionem ordinatis, mutat formulam, 198; communicans osculatur Episcopi manum, 198; Episcopus Ordinarius solus potest Absolutionem defunctorum peragere post Missam quam alius celebravit, 269, 284.

Eucharistia (SS. Sacramentum Eucharistiæ). De ejus veneratione, 146; quare summa cura de ea haberi debet, 146; studium pro ejus veneratione et cura, 147; quid docet Concilium Tridentinum de asservatione SS. Eucharistiæ, 148; quare asservatur, 149; in quibus Ecclesiis asservari potest, 150; an in pluribus locis ejusdem Ecclesiæ asservari potest, 151; asservatio temporaria, 151; locus asservationis olim, 152; pastophoria, 152; columbæ, 152; turres, 152, 153; Tabernaculum SS. Sacramenti, vide *Tabernaculum;* Altare SS. Sacramenti debet esse dignius Ecclesiæ, 155; structura ejus summopere curanda, 155; non licet dormire vel habitare supra Altare, 155; ciborium super Altare, 155; vasa sacra SS. Eucharistiæ, quæ sunt, 156; pro Communione fidelium, 156; Ciborium, vide *Ciborium;* pro Expositione, 156; Ostensorium, vide *Ostensorium;* lumina coram Tabernaculo, vide *Lumen;* renovatio Particularum, vide *Renovatio;* cultus SS. Eucharistiæ, qualis, 169; visitatio et adoratio, 169; Communio, 169, vide *Communio;* Expositio, 169, vide *Expositio;* Processio, 169, vide *Processio;* Confraternitas SS. Sacramenti, et Sodalitium perpetuæ Adorationis, 169; administratio, seu dispensatio SS. Eucharistiæ, vide *Communio;* Festum SS. Corporis Christi, ejus institutio, 342, V; institutio Processionis, 342, V; finis hujus Processionis, 342, V; ritus hujus Processionis ex Cæremoniali Episcoporum describitur, 354; præcedentia Confraternitatis SS. Sacramenti in Processionibus in quibus SS. Sacramentum defertur, 355.

Excommunicatio. Ejus absolutio, 141, 142, 143.

Exorcismus. Quid est, 366; quotuplici sensu sumitur, 366; quo sensu creaturæ irrationales exorcizantur, 367; quare exorcizantur pueri in Baptismo, 368; quid notandum de exorcismis pro obsessis a dæmonio, 369; exorcismi varii in Baptismo, vide *Baptismus.*

Expositio SS. Sacramenti. Forma cultus SS. Eucharistiæ, 169; quotuplex distinguitur, 170; publica, 170; privata, 170; num frequentia convenit, 171; an pro publica Expositione Pyxis exponi potest, 173; Expositio privata quid proprie est, 174; ejus conditiones, 174; velo coopertum sit Ciborium, 174; ad quod Altare facienda est Expositio, 175; an ibi permittuntur Imagines et Reliquiæ Sanctorum, 176; color ornatus Altaris, 177; color paramentorum Celebrantis et Ministrorum in Expositione, 177; dispositio et structura throni Expositionis, vide *Thronus;* Missæ

celebratio ad Altare Expositionis, 179; an Crux requiritur pro Missa celebrata ad Altare Expositionis, 179; tabellæ ad Altare Expositionis, 179; quot lumina requiruntur in Expositione, et quæ, 180; quomodo lumina disposita esse debent, 180; candelæ ex cera requiruntur, 180; quid de aliis luminibus, 180; lumen ex gaz, 180; lux electrica, 180; cerei ficti ex metallo, cum cereo intus introducto, 180; de ministro qui curam habet luminis tempore Expositionis, 180; ritus servandus in Expositione, 181; genuflexio tempore Expositionis, 181; cantus et Orationes tempore Expositionis, 182; preces aut cantus in vulgari idiomate, 182; quæ Orationes cantari debent a Celebrante, 182; hymnus *Te Deum* coram SS. Sacramento exposito, 182; Oratio SS. Cordis Jesu, 182; quæ Litaniæ cantari possunt, 182; conciones tempore Expositionis, 183; ritus servandus in Benedictione SS. Sacramenti, vide *Benedictio SS. Sacramenti;* Instructio circa Expositiones et Laudes vespertinas in Diœcesi Mechliniensi, 186; historia Adorationis seu Orationis XL Horarum; et Adorationis perpetuæ in Diœcesi Mechliniensi, 187; Instructio Clementina pro Oratione XL Horarum, 188; quid pro Exsequiis observandam, exposito SS. Sacramento, 254.

Expositio Sacrarum Reliquiarum, vide *Reliquiæ.*

Exsequiæ Defunctorum. — Exsequiæ adultorum. Quid sunt, 253; quomodo etiam vocantur, 253; de tempore quo fidelium corpora sunt sepelienda, 254; numquam de nocte fiat sepultura, 254; sepultura fiat cum Missa, 254; quando omitti potest Missa, 254; quid in Triduo Sacro, 254; quid exposito SS. Sacramento, 254; locus sepulturæ, vide *Cœmeterium.*

Ordo exsequiarum pro adultis, præsente corpore, 257; delatio corporis ad Ecclesiam, vide *Delatio;* feretri ornatus, delatio, et dispositio, vide *Feretrum;* dispositio feretri in Ecclesia, si sit corpus laici, 258; si sit corpus Sacerdotis, 258; in quibus casibus corpus censetur moraliter præsens, 258, 266 Nota II; Crux processionalis non potest poni ad caput feretri, 258; cerei ardeant circa feretrum, 258; Officium Defunctorum in Exsequiis, vide *Officium Defunctorum;* Missa exsequialis, Ecclesiæ votum, 262; celebratio Missæ servanda et retinenda, 262; Parochi summo nitantur studio, ne negligatur Missa exsequialis, 262; oratio funebris in exsequiis, 263; quando dicenda, 263; quo habitu dicenda, 263; quid, si præsens est Episcopus Ordinarius, 263; laudes defuncti dictæ in domo ante delationem, 263; Absolutio ad feretrum in exsequiis præsente corpore, vide *Absolutio Defunctorum;* sepultura defuncti, vide *Sepultura.*

Exsequiæ pro adultis, absente corpore defuncti, 277; dies in quibus fieri possunt, præter exsequias stricte dictas, Officia propria pro Defunctis, 277; quæ Officia peraguntur his diebus pro Defunctis, 278; Officium Defunctorum extra exsequias stricte dictas, vide *Officium Defunctorum;* Missa de *Requiem*

extra exsequias sumitur ex quatuor ea quæ convenit, 281; Absolutio ad tumulum, vide *Absolutio Defunctorum;* Absolutio super pannum nigrum, vide *Absolutio Defunctorum.*

Exsequiæ parvulorum. Quinam intelliguntur parvuli, 289; differentia ritus exsequiarum pro parvulis a ritu pro adultis, 290; ratio ritus specialis pro parvulis, 290; quomodo honorandum est in sepultura parvuli corpus, 291; quomodo ornatur, 291; pannus albi coloris feretro imponitur, 291; sepeliendus est parvulus in loco separato cœmeterii, 291; exsequiæ permittuntur iisdem diebus, et eodem tempore, sicut exsequiæ adultorum, 292; ritus servandus in exsequiis parvulorum, 292; delatio corporis ad Ecclesiam, 292; quid, si corpus defertur ad Ecclesiam sine processione, 292; Crux defertur sine hasta, ratio, 292; ritus servandus in Ecclesia, 292; ritus servandus in deportatione ad cœmeterium, 292; quid de Benedictione sepulchri parvulorum, 292; ritus sepulturæ parvuli, 292; ritus si plura parvulorum corpora simul sepeliuntur, 292; ritus in regressu ad Ecclesiam, 292; ritus servandus in cœmeterio non benedicto, vel profanato, 292; de Missa in exsequiis parvulorum, 292; de Missa Votiva de Angelis, 293; de Missa in exsequiis illius qui septennium complevit, 294.

Exspiratio. Servanda in exspiratione morientis, vide *Morientes.*

Exsufflatio in faciem baptizandi, 87.

Extrema Unctio. Materia remota est Oleum Infirmorum, 214; qualitates Olei, 214; Benedictio Olei, 214; quid, si infra annum deficiat, 215; Olei asservatio, 216; vasculum Olei sacri, 216; bursa violacei coloris, 216, 219; bombacium in vasculo, 216; asservatio vasculi, 216; armarium, 216; numquam asservari potest in Tabernaculo SS. Sacramenti, 216; Oleum domi a Sacerdote retentum, 216; quomodo, 216; significatio Olei Infirmorum, 223; vide insuper *Olea sacra in Baptismo;* materia proxima, seu unctiones, 217; quænam corporis partes ungendæ sunt, et quo ordine, 217; unctiones fiant pollice, 218; de usu virgulæ, 218; modus faciendi unctiones, 218; membra paria quomodo ungenda, 218; locus inunctus mox bombacio tergendus, 218; membra mutilata, 218; ubi et quomodo diversæ unctiones sunt faciendæ, 219; unctio renum, 219, 220; forma, quæ est, 221; quare est deprecativa, 222; significatio unctionum, 223.

Ordo ministrandi ultima Sacramenta, 224; minister ordinarius Extremæ Unctionis, 225; quid de vicariis, 225; quid de Religiosis, 225; opportune administrari debet Extrema Unctio, 226; cur tot preces dicuntur in ejus administratione, 227; ordo consuetus administrandi Extremam Unctionem, 228; præparanda in cubiculo infirmi, 228; habitus Sacerdotis, quando se confert ad domum infirmi, et redit ad Ecclesiam, 229; quomodo defert vasculum S. Olei, 229; habitus Sacerdotis in administratione Sacramenti, 230; aspersio ægroti, cir-

cumstantium et cubiculi, 230; brevis admonitio, 230; *Misereatur*, et *Indulgentiam* dicuntur in singulari numero, 230; impositio manuum, 230, B, Nota; distributio verborum formæ sub diversis unctionibus, 230; variatio generis in diversis precibus, 230; quid faciendum de globulis bombacii, 231; administratio in instante periculo mortis, 232; an, et quomodo suppleri debent Orationes et unctiones omissæ, 233; administratio Viatici simul cum Extrema Unctione, 234; a quo et quomodo defertur S. Oleum in casu, 234; si Viaticum defertur in bursa, quid tunc de bursa S. Olei, 234; ordo cæremoniarum, 235; quænam preces, dictæ jam pro Viatico, repetuntur tamen pro Extrema Unctione, 235.

Feminarum confessio extra sedem confessionalem, 129.

Feretrum. Feretrum defuncti adulti, ejusque ornatus, 258; ornatus non admittitur nisi niger, 258; prohibetur pannus albi coloris, 258; insignia admissa pro ornatu feretri, 258; prohibetur defuncti imago ad ornatum feretri, 258; quid de floribus et coronis, 258; Altaris ornamenta adhibere ad feretri ornatum non licet, 258; delatio feretri quomodo fiat, 258; delatio super currum, 258; Clerici ne deferant feretrum laici, 258; Clerici ne teneant fimbrias panni feretri, 258; dispositio feretri in Ecclesia, si sit corpus laici, 258; si sit corpus Sacerdotis, 258; Crux processionalis non potest collocari ad caput feretri, 258; dispositio tumuli, absente corpore, quando tamen censeri potest moraliter præsens, 258; feretrum defuncti parvuli, vide *Exsequiæ parvulorum*.

Festum SS. Corporis Christi. Vide *Eucharistia*.

Flores. Flores et coronæ in exsequiis adultorum ad ornatum feretri, 258; flores ad honorandum parvuli defuncti corpusculum, 291.

Fons baptismalis. Ejus Benedictio est de jure Parochi, 327; sed debet celebrare Missam quæ sequitur Benedictionem, 327; ejus Benedictio in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes, 57; locus fontis, 62; conditiones fontis, 63; forma, 63; materia, 63; obseratio, 63; ornatus, 63; in quibus Ecclesiis benedici debet, 330; Benedictionis ritus, 335; observanda pro Benedictione quæ fit extra Sabbatum Sanctum et Vigiliam Pentecostes, 125.

Forma Sacramentorum. Quomodo pronuntianda, 16.

Forma Baptismi, quæ est, 29; quomodo pronuntianda, 29; forma conditionalis, 30; quando licet uti forma conditionali 31, 32; forma in Baptismo infantis in utero, 46; qui caput emisit, 46; qui aliud membrum emisit, 46; si iterum tunc baptizatur, 46; forma, quando de vita infantis dubitatur, 48; forma in Baptismo fœtus, 49; forma in Baptismo monstri, 51.

Forma Extremæ Unctionis, quæ est, 221; quare est deprecativa, 222; distributio verborum formæ pro diversis unctionibus, 230.

Forma Tabernaculi SS. Sacramenti, 154.
Forma Imaginum Sanctorum, 340.
Formula Benedictionis sacrorum vasorum et aliorum ornamentorum in genere, 338, III.
Formulæ Benedictionum, quæ non habentur in Missali, aut Rituali, et non sunt approbatæ, prohibentur, 331.
Fovea. Fovea parata pro sepultura in cœmeterio benedicto, non est benedicenda in ritu sepulturæ, 271; de Benedictione foveæ in cœmeterio non benedicto, vel profanato, 271; ritus Benedictionis foveæ, 273; ritus sepulturæ, in hoc casu, 274.
Frequens Expositio SS. Sacramenti. An convenit, 171.
Frons inungitur in Confirmatione, vertex capitis autem in Baptismo, 100, 117.
Fundamentum. Quid intelligitur per fundamentum in ædificio, 341; aspersio fundamentorum in Benedictione primi lapidis, 341; aspersio fundamentorum in Benedictione Ecclesiæ vel Oratorii, 342, V.

Gaz. De ejus lumine in Ecclesia, 180.
Generis variatio. De variatione generis in diversis ritibus Baptismi, 104; in administratione Extremæ Unctionis, 230; numquam est facienda in Oratione *Non intres etc.*, in Absolutione Defuncti, 270.
Genuflexio. Genuflexiones faciendæ ad Altare, post distributionem S. Communionis in Ecclesia, 199.
Gladius, seu ensis, a Papa benedicitur, 324, IV; notitia de gladio, 324, IV.
Globuli Bombacii, in administratione Extremæ Unctionis, vide *Bombacium*.
Gossypium. Vide *Bombacium*.

Habitus Sacerdotis ad excipiendas Confessiones, 133.
Habitus Imaginum Sanctorum, 340.
Hæretici conversi. De eorum Baptismo, 115.
Honorifica delatio S. Communionis ad infirmos, 205.
Hostiæ consecrandæ. Quales esse debent, 166; forma, 166; recens confectio, 166.
Hymni cantandi tempore Expositionis SS. Sacramenti, 182; cantandi in Processionibus, 359.
Hyssopus. Aspergillum ex herba hyssopi, 342, V.

Imagines Domini Nostri, B. Mariæ V., et Sanctorum. Earum Benedictio solemnis pertinet ad Episcopum, 325; vi facultatis potest Episcopus delegare Sacerdotes, 326; Benedictio privata a quocumque Sacerdote fieri potest, 328; Benedictio solemnis, 340; Imaginum conditiones, 340; quæ Imagines possunt benedici, 340; ubi possunt exponi, 340; materia ex qua conficiuntur Imagines, 340; forma et habitus Imaginum, 340; insignia Imaginum, 340; approbatio Imaginum, 340; ritus Be-

nedictionis solemnis, 340; Oratio hujus Benedictionis quomodo dicenda, 340; Benedictio quarumdam Imaginum B. Mariæ V., 340, Nota I; ritus Pontificalis pro Benedictione Imaginum B. Mariæ V. non potest usurpari a Sacerdote delegato, 340, Nota II.

Imagines Beatorum. Non possunt exponi sine Indulto, 340; non possunt benedici absque speciali Indulto, 340; concessio expositionis data uni loco non extendi potest ad alium locum, 340; locus expositionis Imaginum Beatorum est ad parietem, 340; non possunt exponi super Altare, nisi indulta fuerit in loco celebratio Missæ Beati, 340; non possunt repræsentari Beati cum diademate, seu circulo, 340; Imagines Beatorum, et Reliquiæ non possunt circumferri in Processione, 358, VI.

Imaginum usus. Imagines in sede confessionali, 131; Imagines Sanctorum sunt prohibitæ supra Tabernaculum SS. Sacramenti, 154; Imagines Sanctorum in Ostensorio, 159; Imagines Sanctorum in Altari tempore Expositionis SS. Sacramenti, 176; Imagines Sanctorum in Altari tempore Expositionis pro Adoratione perpetua, 176; an Imagines Sanctorum deferri possunt in Processione SS. Sacramenti, 358, VI; Imagines Beatorum, et Reliquiæ non possunt circumferri in Processione, 358, VI; Imaginum delectus pro memorialibus defunctorum, 252.

Immersio. Modus conferendi Baptismum, 34.

Incensatio. Incensatio feretri in Absolutione Defunctorum, 270; incensatio præscribitur in quibusdam Benedictionibus, 334.

Indulgentiæ. Parochus ægroto ad mentem reducat Indulgentias lucrandas, 241; Indulgentiæ concessæ comitantibus SS. Sacramentum delatum ad infirmos, 207; Indulgentiæ quæ referuntur in memorialibus defunctorum, 252.

Indulgentiam, etc. Vide *Misereatur*.

Indumenta sacra. Benedicuntur ab Episcopo, 325; vi facultatis Episcopus delegare potest Sacerdotes, 326; Abbates benedicere possunt pro servitio suarum Ecclesiarum, 326; quinam et pro quibus locis delegati sunt in Diœcesi Mechliniensi, 326; qua formula debent uti Sacerdotes delegati, 338, III; quænam benedici debent, 330, 338, I.

Infirmi. Infirmorum visitatio et cura, 236; quinam ad eam tenentur, 236; quid sit præscriptum de cura infirmorum, 238; cura infirmorum pauperum, 237; regulæ et media pro decenti et fructuosa ægrotorum cura et visitatione, 239; modus visitandi ægrotos, 240; preces dicendæ in visitatione infirmorum, 240; Benedictiones quæ dari possunt, 240; modus juvandi morientes, vide *Morientes;* infirmorum Communio, vide *Communio;* Infirmorum Oleum, vide *Extrema Unctio;* solemnis delatio aliquoties per annum S. Communionis ad infirmos, 204, 213; observanda pro precibus dicendis apud sin-

gulos infirmos, 213; si infirmi plures simul communicandi sunt in nosocomiis et valetudinariis, quid tunc observandum, 213.

Infusio. Modus conferendi Baptismum per infusionem, 34; conditiones requisitæ pro debita aquæ infusione, 35; in qua capitis parte infusio est facienda, 36, 37; infusio fiat dum pronuntiatur forma, 38; infusionis significatio, 40.

Ingressus ad fontem in Baptismo, 97.

In paradisum, etc. Responsorium in ritu sepulturæ defuncti, 274; an repeti potest in quibusdam casibus, 274.

Insignes Reliquiæ. Quæ sunt, 363.

Insignia. Insignia Imaginum Sanctorum, 340; insignia admissa pro ornatu feretri alicujus defuncti, 258.

Instructio circa Expositiones SS. Sacramenti et Laudes vespertinas, in Diœcesi Mechliniensi, 186.

Instructio Clementina pro Oratione XL Horarum, 188.

Instrumenta Dominicæ Passionis. Reputantur Reliquiæ insignes, 363; disjunctim a Sanctorum Reliquiis in Processione sub baldachino deferri possunt, 358, IV.

Interdictum. Ejus absolutio, 141, 144.

Intermediæ Benedictiones. Quæ sint, 321.

Interrogationes in Baptismo faciendæ, 79, 86.

Introductio baptizandi in Ecclesiam. Ritus, 93.

Invocativæ Benedictiones. Quæ sint, 321.

Jesu SS. Nomen. Nominis invocatio pro Benedictione Apostolica in articulo mortis, 243; Litaniæ SS. Nominis cantari possunt tempore Expositionis SS. Sacramenti, 182.

Laici. Laicus Missæ inserviens communicat ante alios, 191, 200; laicorum consociationes, eorum locus in Processione, 355; laicorum confraternitates, eorum locus in Processione, 355.

Lampas. Lampades coram Tabernaculo, vide *Lumen*; lampades coram Reliquiis expositis, 365, II.

Lapis primarius pro Ecclesia ædificanda, ab Episcopo benedicitur, 325; Episcopus potest delegare Sacerdotem, 326; an debet benedici, 330; quare benedicitur, 341; quando benedici debet, 341; ubi ponitur, 341; fundamentum, quid sit, 341; qualitates lapidis, 341; ritus Benedictionis, 341; Crux ponenda pridie in loco Altaris majoris, 341.

Lauda anima, etc. Psalmus in fine Vesperarum Officii Defunctorum, non dicitur in Officio exsequiali pro Depositione, 261.

Laudes in Officio Defunctorum. In Officio exsequiali pro Depositione, 261; Psalmus *De profundis* non dicitur in fine Laudum, in Depositione, 261; Laudes in Officio extra exsequias pro Depositione, 280; quando in fine Laudum Psalmus *De profundis* dicitur, 280.

Laudes vespertinæ. Ita vocatur Expositio SS. Sacramenti apud nos usitata, 181; ritus hujus functionis, 181; quæ sint in eis

cantanda, 182; quæ Orationes in eis sint dicendæ, 182; conciones in Laudibus vespertinis, 183; Instructio circa Laudes vespertinas et Expositiones SS. Sacramenti, data ad Clerum Diœcesis Mechliniensis, 186.

Lauretanæ Litaniæ. Cantari possunt tempore Expositionis SS. Sacramenti, 182.

Leo XIII. Recognovit Rituale Romanum, 7.

Libri Rituales. Libri Rituales pro Sacramentorum administratione quinam olim erant, 6; Libri Rituales in Diœcesi Mechliniensi, 10; Libri adhibendi pro Benedictionibus, 331; Libri memoriales administrationis Sacramentorum, et Parochialium functionum, 19; Liber Baptizatorum, 20; inscriptio Baptismi quando facienda, 105; Liber Confirmatorum, 20; Liber Matrimoniorum, 20; Liber status animarum, 20; Liber Defunctorum, 20.

Linteolum subtus frontem infantis in ablutione, quando baptizatur, 98.

Linteum ante Communicandos extendendum, 194; quale esse debet, 194; patena major, vel palla major loco lintei, 194; patena supposita mento, 194.

Litaniæ. Litaniæ Omnium Sanctorum antiquissimæ sunt, 342, IV; quibus partibus constant, 342, IV; quæ Litaniæ cantari possunt tempore Expositionis SS. Sacramenti, 182; Litaniæ SS. Nominis Jesu, 182; Litaniæ de SS. Corde Jesu, 182; Litaniæ Lauretanæ, 182; Litaniæ Majores, quando fuerunt institutæ, 352, III; qua die fit hæc Processio Litaniarum Majorum, 352, III; quare vocantur Litaniæ Majores, 352, III; Litania septiformis, finis hujus institutionis, 352, III; origo Litaniarum Majorum, 352, III; de translatione hujus Processionis, 352, III; ritus hujus Processionis, 353; Litaniæ Minores, quando, a quo, et ubi fuerunt institutæ, 352, IV; quare vocantur Litaniæ Minores, 352, IV; finis hujus institutionis, 352, IV; ritus hujus Processionis, 353.

Locus administrationis Baptismi. Vide *Baptismus. Baptisterium*, *Fons baptismalis.*

Lumbi. Eorum unctio in administratione Extremæ Unctionis. 217, 218, 219, 220.

Lumen. Lumen coram Tabernaculo SS. Sacramenti; præscriptiones, 162; quot lampades, 162; ratio, 163; quo oleo utendum, 164.

Lumen tempore Expositionis SS. Sacramenti; quot lumina requiruntur, 180; quomodo disponenda lumina, 180; lumen ex cera requiritur, 180; quid de alio lumine, 180; lumen ex gaz, 180; lux electrica, 180; cerei ficti ex metallo cum introducto lumine ex cera, 180; minister qui curam habet de lumine coram SS. Sacramento exposito, quid observare debet, 180.

Lumen in Processionibus; in quibus Processionibus lumina accensa deferri debent, 358, III.

Lumen coram Sacris Reliquiis expositis, 365, II.
Lunula Ostensorii. Vide *Ostensórium.*
Lux electrica. An, et ad quid permittitur, 180.

Manifesta delatio S. Communionis ad infirmos, 205.
Manus. Manus impositio super caput baptizandi, quomodo fit, 90; ratio hujus impositionis, 90.

Manuum lotio ante distributionem S.Communionis requiritur, 196.

Manuum unctio in administratione Extremæ Unctionis, 217, 218, 219.
Mappæ Altaris. Benedicuntur ab Episcopo, 325; vi facultatis Episcopus ad hoc delegare potest Sacerdotes, 326; quinam, et ubi, delegati sunt in Diœcesi Mechliniensi, 326; Abbates possunt Mappas benedicere pro servitio suarum ecclesiarum, 326; Mappæ benedici debent, 330, 338; qua formula utendum pro earum Benedictione, 338, III.
Materia. Materia Baptismi, vide *Baptismus;* Materia Extremæ Unctionis, vide *Extrema Unctio.*

Materia ex qua confici debent Imagines, 340.
Matrimonium. Notanda de ritu quo celebratur Sacramentum Matrimonii, 10, 205; quid optat Concilium Tridentinum quoad ritum celebrationis Matrimonii, 10, 295; ritus Matrimonii quem exhibet Pastorale Mechliniense, 10, 295; ubi iste ritus particularis est observandus in Diœcesi Mechliniensi, 10, 295, 296.

Examen et instructio sponsorum, 297; sponsalia, 297; proclamationes faciendæ, 297; sponsalia celebranda, aut prætermittenda, 298; coram quo, quando, et ubi celebranda sunt sponsalia, 299.

Matrimonium contrahitur coram parocho sponsæ, 300; testes præsentes, 300; celebratur in ecclesia ad Altare, 300; Matrimonium mixtum non potest celebrari in loco sacro, 300; Missa non celebratur pro Matrimonio mixto, 300; permissio tamen a S. Sede in casu particulari datur, 300; quando celebrari potest Matrimonium, 301; ante meridiem celebratur, 301; quo anni tempore celebrari potest, 301; tempus clausum quid sit, 301; contrahere Matrimonium tempore clauso permittere potest Episcopus, 301; item dispensare pro tempore clauso possunt in Diœcesi Mechliniensi Decani, ex delegata facultate Episcopi, 301.

Cæremoniæ Matrimonii juxta ritum Pastoralis Mechliniensis,302; Benedictio annuli sponsæ,302; quomodo annulus imponitur digito, 302; cui digito imponitur annulus, 302; annuli materia, 303; de ejus Benedictione casus diversi, 303; significatio annuli, 303; annulus pro sponso, 303.

Cæremoniæ Matrimonii juxta Rituale Romanum, 304; annulus sponsæ quomodo imponitur, et cui digito, 304.

Matrimonii Benedictio, vide *Benedictio Nuptiarum.*

Matrimoniorum liber, a Parocho tenendus, 20.

Matutinum Officii Defunctorum. Dicendum in exsequiis pro depositione Defuncti, 261; si unus Nocturnus tantum dicitur, dicitur primus, 261; dicendum in exsequiis extra diem depositionis, 280; si unus Nocturnus tantum dicitur, quis in casu dicendus 280.

Medulla panis. Præparanda pro Baptismo, 75; quid de ea faciendum post collatum Baptismum, 105.

Memorialia defunctorum. Delectus imaginum, 252; elogium defuncti, 252; preces adjunctæ, 252; indulgentiæ annuntiatæ, 252.

Minister. Minister Sacramentorum, 14; dispositiones in Ministro requisitæ, 14; quænam ab ipso sunt curanda pro administratione Sacramentorum, 15; quænam ab ipso sunt observanda in administratione Sacramentorum, 16; quis est legitimus Minister Sacramentorum, 17; Minister Baptismi solemnis olim, 41; Minister Baptismi solemnis in præsenti disciplina, 42; Minister Baptismi in necessitate, 45, 46; Minister ordinarius pro SS. Eucharistiæ in ecclesia distributione est Sacerdos, 191; Minister extraordinarius est Diaconus, 191; Minister ordinarius Extremæ Unctionis quis est, 225; quid de Vicariis, 225; quid de Religiosis, 225.

Minister Benedictionis Nuptialis quis est, 310; qui Missam pro Benedictione Nuptiarum celebrat, Benedictionem impertitur, 310.

Minister Benedictionum, vide *Benedictio*.

Minister laicus Missæ inserviens communicat ante alios, 191, 200.

Misereatur, et Indulgentiam. Semper dicuntur in plurali pro distributione S. Communionis in ecclesia, 197; dicuntur in singulari in administratione Viatici, 207; dicuntur in plurali, quando S. Communio datur infirmo qui communicat ex devotione, 207; dicuntur in singulari pro administratione Extremæ Unctionis infirmo, 230; dicuntur in singulari pro Benedictione Apostolica infirmo in articulo mortis impertienda, 243.

Missa. Missa Catechumenorum, quæ ita vocatur, 117.

Missa ad Altare ubi expositum est SS. Sacramentum, 179; an Crux requiritur pro Missæ celebratione, 179; Missa ad Altare ubi distribuitur S. Communio, 192; quid observandum in casu a Celebrante, quid a Sacerdote S. Communionem distribuente, 192.

Missa de *Requiem*, Missa exsequialis præsente corpore, 262; Ecclesiæ votum de hac Missa celebranda, 262; ejus celebratio servanda et retinenda, 262; Parochi nitantur summo studio ne hæc Missa negligatur, 262; Missa de *Requiem*, extra exsequias præsente corpore, sumitur ex quatuor Missis quæ in Missali prostant illa quæ convenit, 281.

Missa in exsequiis parvulorum, 293; de Missa Votiva de

SS. Angelis in exsequiis parvulorum, 293; de Missa in exsequiis illius qui septennium complevit, 294.

Missa in Nuptiis non celebranda pro Matrimoniis mixtis, 300; permissio tamen a S. Sede in casu particulari datur, 300; Missa votiva pro sponso et sponsa, 309; continet preces et ritus Benedictionis Matrimonii, 309; Missæ pro Benedictione Nuptiarum qualitas, ritus, et applicatio, 310; de Missa celebranda, *si* conjuges quorum Nuptiæ benedici non possunt, exposcunt tamen Missam in eorum Matrimonio celebrari, 311.

Missa in Benedictione mulieris post partum, 336.

Missa celebranda in Benedictione Ecclesiæ, vel Oratorii publici, 342, V; si sequitur Altaris Consecratio, quæ Missa tunc celebranda, 342, V.

Modus juvandi morientes. Vide *Morientes*.

Monstrantia. Vide *Ostensorium*.

Moralis præsentia cadaveris in exsequiis, 266, Nota II; 258, 3°; 275.

Morientes. Modus juvandi morientes, 241 ad 251; indulgentiæ lucrandæ, 241; conditiones ad lucrandum indulgentias, 241; Benedictio Apostolica in articulo mortis, vide *Benedictio Apostolica in articulo mortis;* ordo commendationis animæ, 247; obligatio Parochi, 247; quomodo indutus assistit Parochus morienti, 247; ordo precum, 247; candela quæ accenditur ad preces commendationis, 248; quæ servanda sunt in exspiratione morientis, 249; orationes morienti suggerendæ, 249; quid, egressa anima, de corpore faciendum est. 250; Responsorium *Subvenite*, 250; signum transitus campana dandum, 250; quomodo induitur corpus defunctorum Clericorum, 251.

Mulieris Benedictio post partum. An est de jure Parochi, 327; ex quo motivo fit hæc Benedictio, 336; quibus mulieribus datur, 336; a quo datur, 336; ubi danda est, 336; quando datur, 336; quo ritu datur, 336; quid de Missa, si mulier petat Missam hac occasione celebrari, 336.

Nares. Narium tactus saliva in Baptismo, 94; narium unctio in Extremæ Unctionis administratione, 217, 218, 219.

Nativitas Domini. De distributione S. Communione fidelibus in nocte hujus Festi, 189.

Nitor sacrorum vasorum pro asservanda SS. Eucharistia, 157.

Nocturnus. Nocturnus Officii Defunctorum, in exsequiis pro depositione defuncti, si unus dicitur, semper dicitur primus, 261; in aliis casibus, quisnam dicitur Nocturnus, 280.

Nomen. Nomina baptizandis imponenda, 80; quot nomina, et quæ exprimenda sunt nomina, si plura dantur, in diversis ritibus Baptismi, 103.

Non intres. Ad Absolutionem defuncti, in hac Oratione nulla variatio umquam est facienda, 270.

Nosocomium. Observanda quando plures infirmi in nosocomio morantes simul communicantur, 213.

Nox. De distributione S. Communionis fidelibus in nocte Nativitatis Domini, 189 ; de delatione SS. Eucharistiæ ad infirmos de nocte, 212.

Nuntium de alicujus obitu. Prima die libera post acceptum nuntium de alicujus obitu in loco dissito, est privilegiata pro defuncto, 277.

Nuptiæ. Vide *Matrimonium, Benedictio Nuptiarum.*

Obstetrices. Quales esse debent, 45.

Oculi. Oculorum unctio in administratione Extremæ Unctionis, 217, 218, 219.

Officium Defunctorum. Officium Defunctorum in exsequiis præsente corpore, 259; quid dicendum de ejus obligatione, 259; si persolvendum est ex justitia, non sufficit sola assistentia, 259; quando dicendum est occasione exsequiarum, 260; quomodo dicendum est in depositione, 261; ritus est duplex, 261; quid de Vesperis, 261; Matutinum et Laudes quomodo dicuntur, 261; cæremoniæ hujus Officii, 261.

Officium Defunctorum in exsequiis absente corpore, 279; dici debet in generali Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, 279; aliis diebus dici non debet, nisi ex justitia, 279; Anniversarium fundatum cum Officio Defunctorum, omissa clausula Officii integri, requirit tantum unum Nocturnum cum Laudibus, 279; quibus diebus persolvi potest Officium Defunctorum, 279; quomodo dicendum est extra exsequias pro depositione, 280; ritus est duplex in diebus priviligiatis, 280; ritus est semiduplex extra dies privilegiatos, 280; Matutinum quomodo dicitur, 280; quis Nocturnus dicendus, si unicus tantum dicitur, 280; Laudes quomodo dicendæ, 280; Psalmus *De profundis* ante Orationem, 280.

Olea sacra. Quæ Olea sacra adhibentur in Baptismo, 64; eorum Benedictio, 65; renovatio, 66; Olea vetera, 66; quid si deficiant, 67; asservatio, 68; vascula majora et minora, 68; materia vasculorum, 68; distinctio vasculorum, 68; coopercula vasculorum, 68; bombacium in vasculis, 69; ubi asservanda sunt vascula, 70; quomodo asservanda sunt vascula, 70; quis potest sacra Olea deferre, 71; Benedictio sacrorum Oleorum pertinet ad Episcopum, 325, 326; Benedictio vasculorum, a quo facienda, 325, 326; an vascula sacrorum Oleorum debent benedici, 338, I; qua formula benedicuntur vascula, 338, III.

Oleum Catechumenorum in Baptismo; ejus unctio, 95; modus unctionis, 95; ratio hujus unctionis, 95.

Chrisma; vide *Chrisma.*

Oleum Infirmorum; vide *Extrema Unctio.*

Oleum. Oleum in lampade coram Tabernaculo SS. Sacramenti, 164; quo oleo est utendum, 164; quid de petroleo, 164.

Omissa. Ordo supplendi omissa super baptizatum, vide *Baptismus.*

Oratio. Oratio fiat ante administrationem Sacramentorum, 14.

Orationes tempore Expositionis SS. Sacramenti a Celebrante dicendæ, 182; quo tono cantari debent, 182; Oratio SS. Cordis Jesu in nostris Laudibus vespertinis, 182; an precationes possunt dici in vulgari idiomate coram SS. Sacramento exposito, 182.

Oratio dicenda post distributionem S. Communionis, 199; quæ dicenda Tempore Paschali, 199.

Oratio dicenda in Absolutione ad tumulum; quæ dici debet, 287.

Oratio funebris in exsequiis, 263; quando dicenda est, 263; quo habitu dicenda est, 263; quomodo faciendum præsente Episcopo, 263; laudes defuncti dictæ in domo, 263.

Oratio quadraginta horarum, et Adoratio perpetua, 169; historia Orationis XL horarum, 187; Instructio dicta Clementina pro Oratione XL horarum, 188.

Oratorium. Oratorii publici Benedictio, vide *Ecclesiæ Benedictio;* Oratorium semipublicum quid est, 342, IV; an benedicendum est solemni Benedictione Oratorii publici, 342, IV; adesse debet certitudo destinationis perpetuæ ad Dei cultum, 342, IV; Oratorium privatum quid est, 342, IV; an de præcepto benedicendum est, 330, 342, IV; sufficit pro Oratorio privato Benedictio loci, 342, IV.

In Oratorio privato non dari potest S. Communio sine licentia Episcopi, 191.

Ordines Religiosi. Eorum locus in Processionibus, 355; Benedictiones quæ propriæ sunt nonnullorum Ordinum Religiosorum, 329.

Ordines sacri. De ordinibus conferendis, 314, 315.

Ordo commendationis animæ. Vide *Morientes.*

Ordo servandus in Processionibus ab iis qui ipsis intersunt, 355.

Ornamenta. Ornamenta Ecclesiæ benedicuntur ab Episcopo, 325; vi facultatis delegare potest Episcopus Sacerdotes, 326; quinam, et ubi, delegati sunt in Diœcesi Mechliniensi, 326; quæ Ecclesiæ et Altarium ornamenta benedici debent, quæ non, 338; qua formula utendum est, 338, III; ornamenta Altarium non licet adhibere ad ornatum feretri, 258; insuper vide *Supellex sacra.*

Ornatus. Ornatus Tabernaculi SS. Sacramenti, interior et exterior, 154; ornatus sacrorum Vasorum SS. Eucharistiæ, 157, 158.

Os. Oris unctio in administratione Extremæ Unctionis, 217, 218, 219.

Ostensorium. Ejus diversa nomina, 158; quando fuit introductum pro cultu SS. Eucharistiæ, 158; materia ex qua confici debet, 159; ejus partes, 159; lunula qualis esse debet 159; qualis non esse potest, 159; Crux in summitate ostensorii, 159;

imagines Sanctorum in Ostensorio, 159 ; Benedictio Ostensorii, 159; an in Tabernaculo reponi potest, 160 ; repositorium, 160 ; quinam possunt tangere Ostensorium, 161 ; an est benedicendum, 330, 338, II ; a quo benedicendum est, 325, 326 ; formula Benedictionis Ostensorii, 338, III.

Palla. Palla benedicitur eadem Benedictione qua Corporale, 338, III ; vide *Corporale*.

Pallium. Pallium benedicitur a Papa, 324, I ; nota de Pallio, 324, I.

Palmæ. Palmarum Benedictio, a quo facienda, 327 ; in quibus ecclesiis benedici debent Palmæ, 330; ritus Benedictionis Palmarum, 346; de valore Benedictionis Palmarum quæ in ecclesia a fidelibus tenentur, 332 ; Palmarum Dominica, unde nomen habet, 352, II ; alia ejusdem Dominicæ nomina, 352, II ; origo et finis Processionis Palmarum, 352, II ; ritus Processionis Palmarum, 353.

Panis. Panis in administratione Baptismi ; vide *Medulla panis*.

Pannus. Pannus niger ponitur super feretrum defuncti adulti, 258 ; pannus albi coloris pro quocumque adulto prohibetur, 258 ; pannus albi coloris ponitur super feretrum defuncti parvuli, 291 ; pannus niger pro Absolutione defunctorum extra exsequias depositionis, loco tumuli, 282 ; ordo servandus pro Absolutione super pannum nigrum, 288; preces dicendæ post hujusmodi Absolutionem in regressu ad sacristiam, 288.

Papa. Benedictiones Papæ reservatæ, 324.

Papalis Benedictio. Vide *Benedictio Apostolica*.

Paramenta. Sacra Paramenta quæ Missæ inserviunt, vide *Indumenta sacra*.

Parochus. Generatim Parochus est legitimus Minister Sacramentorum, 17 ; Benedictiones quæ sunt de jure Parochi, 327 ; Parochi obligatio ad visitationem et curam infirmorum, 236 ; Parochi obligatio juvandi morientes, 247 ; Parochi cura de cœmeterii custodia, 255 ; an obligatur ad exsequias defunctorum, 257, 272 ; Parochus Minister Matrimonii, vide *Matrimonium*.

Parvuli. Parvuli baptizandi opportuno tempore deferendi sunt ad ecclesiam, 44 ; de assecuratione, 32, 45 ; Baptismus infantis in utero, 46 ; Baptismus infantis qui caput, aut aliud membrum emisit, 46 ; iteratio Baptismi in his casibus, 47 ; Baptismus infantis de cujus vita dubitatur, 48 ; Baptismus fœtus, 49 ; de parvulis expositis et inventis, 50 ; Baptismus monstri, 51 ; Baptismus parvuli in periculo, 106 ; Baptismus parvuli qui ad ecclesiam deferri non potest ob præsens periculum, 106.

Parvuli exsequiæ, vide *Exsequiæ parvulorum*.

Pastophoria, pro asservatione SS. Eucharistiæ, 152.

Pastorale Mechliniense. De ejus usu, 10 ; ejus ritus pro Sacramento Matrimonii retinendus, 10, 295, 296.

Patena. Vide *Calix*.
Patrini. Patrini in Baptismo, quot adhibendi sunt, 52 ; eorum qualitates, 52, 53 ; eorum officium, 53, 98 ; quinam non adhibendi sunt ad hoc munus, 54, 55 ; quid si indignus se præsentet, 56.
Patrini in Confirmatione, 316.
Paulus V. Edidit Rituale Romanum, 7.
Pedes. Pedum unctio in administratione Extremæ Unctionis, 217, 218, 219.
Pedes tumuli. Quomodo intelligendus hic locus in Absolutione ad tumulum, 287.
Pelvis. Pelvis pro recipienda defluente aqua in administratione Baptismi, 39, 62, 75, 98.
Pentecostes. Collatio Baptismi in Sabbato ante Pentecosten, olim, 57 ; Benedictio Fontis baptismalis in hoc Sabbato, 57.
Petroleum. De ejus usu pro lumine coram Tabernaculo SS. Sacramenti, 164.
Pileolus. Ejus usus in delatione S. Communionis ad infirmos, 204.
Pœnitentiæ Sacramentum. Quo loco administrandum est, 126 ; causa rationabilis esse debet, ut fiat extra ecclesiam, 127 ; in sacristia, 128, 129 ; cautelæ adhibendæ pro confessione feminarum, 129 ; sedes confessionalis, vide *Sedes confessionalis* ; disciplina antiqua, 130 ; ordo ministrandi Pœnitentiam, 132 ; præparatio Sacerdotis, 132 ; habitus Sacerdotis, vestes sacræ in administranda Pœnitentia, 15, 134 ; situs Sacerdotis, 134 ; dispositiones requisitæ in pœnitente, 135 ; cæremoniæ in administratione Pœnitentiæ, 136 ; absolutio sacramentalis, 137 ; quænam aliquando, et in quibus casibus omitti possunt, 138 ; forma in urgenti necessitate, 139 ; quomodo dimittendus est pœnitens non absolutus, 140.
Pœnitentialis Liber. Erat olim unus ex Libris Ritualibus, 6.
Pontificalis Benedictio. Vide *Benedictio Apostolica*.
Populus. Populo explicari debent ritus et cæremoniæ Sacramentorum, 4, 16.
Præcedentia. Præcedentia in Processionibus : quomodo intelligendus modus loquendi, 355.
Præsentia. Præsentia moralis cadaveris in exsequiis depositionis : quid pro ipsa requiritur, et quod est ejus privilegium, 258, 3° ; 266, nota II ; 275.
Præstantia. Præstantia Ritualis Romani supra reliquos Libros Rituales, 8.
Preces. Quæ preces dici possunt coram SS. Sacramento exposito, 182 ; an dici possunt in vulgari idiomate, 182.
Preces dicendæ post sepulturam defuncti, dum Processio revertitur ad ecclesiam ; 273 ; preces dicendæ post Absolutionem ad tumulum, in regressu ad sacristiam, 287 ; omittuntur istæ preces in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, 287 ; ratio harum precum, 287 ; preces dicendæ post

Absolutionem super pannum nigrum, in regressu ad sacristiam, 288.

Primarius lapis pro ecclesia ædificanda. Vide *Lapis*.

Privata Expositio SS. Sacramenti. Vide *Expositio*.

Privilegiati dies pro defunctis, qui sunt, 277.

Probitas vitæ. Requiritur pro administratione Sacramentorum, 14.

Processio. Quæ liturgica functio vocatur Processio, 348 ; quo fine institutæ fuerunt Processiones, 348 ; Processiones ordinariæ, 349 ; — extraordinariæ, 349 ; — generales, 350 ; — particulares, 350 ; pro quibus Processionibus requiritur licentia, 351 ; cujus requiritur licentia, 351 ; origo et scopus Processionis in Festo Purificationis B. M. V., 352, I ; — in Dominica Palmarum, 352, II ; — Litaniarum majorum, 352, III ; — Litaniarum minorum, 352, IV ; — in Festo SS. Corporis Christi, 352, V ; Processio SS. Sacramenti, modus colendi SS. Eucharistiam, 169 ; de translatione Processionis Litaniarum majorum, 352, III.

Ordo in Processionibus servandus ab iis qui ipsis intersunt, 355 ; præcedentia in Processionibus, quomodo intelligendus modus loquendi, 355 ; ordo Processionum summatim descriptus, 355 ; ordo Processionum longius expositus, 355 ; de præcedentia Confraternitatis SS. Sacramenti in Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum, 355 ; consociationes laicæ, confraternitates laicæ, Regulares, Clerus sæcularis, 355 ; Seminarium, si interest, 355 ; Curati, seu Parochi ecclesiarum, 355 ; cantores, 355 ; cantores laici, musici, milites, 355 ; Prælati, 355 ; quomodo isti induti sunt, 355 ; Curiales, et officiales, Magistratus, 355.

Ritus in Processionibus servandi. Ritus Processionum in Festo Purificationis, in Dominica Palmarum, in Litaniis majoribus et minoribus, in Festo SS. Corporis Christi, 353 ; animi dispositio requisita in eis qui Processioni intersunt, 356 ; habitus laicorum, 357 ; non sunt deferenda ea quæ animum avertunt ab adoratione SS. Sacramenti, 357 ; repræsentationes prohibitæ in Processionibus SS. Sacramenti, 357, 358, V ; insignia quæ non conveniunt ; religiosæ vestes prohibitæ, 357, 358, V ; quomodo induti esse debent Clerici, 357 ; a quibus potest ex consuetudine deferri stola super superpelliceum, 357 ; quinam debent detecto capite procedere, 357 ; quænam deferri debent et possunt in Processionibus, 358 ; vexilla sacris imaginibus insignita possunt deferri, 358, II ; vexilla consociationum laicarum possunt deferri, si aliquod religiosum signum habent, et si benedicta sunt, 358, II ; quænam vexilla prohibentur, 358, II ; vexilla formæ militaris prohibentur, 358, II ; in quibus Processionibus deferri debent lumina accensa, 358, III ; baldachinum defertur in Processione SS. Sacramenti, 358, IV ; sub baldachino deferri possunt Reliquiæ SS. Crucis et Dominicæ Passionis, disjunctive a

Reliquiis Sanctorum, 358, IV; Sanctorum Reliquiæ quæcumque numquam sub baldachino deferri possunt, 358, IV; an in Processione SS. Sacramenti deferri possunt Imagines B. Mariæ V. et Sanctorum, 358, VI; non possunt circumferri in Processionibus Beatorum Imagines, neque eorum Reliquiæ, 358, VI; Processiones in translatione sacrarum Reliquiarum, 358, VII; quænam cantari debent, et quænam cantari possunt in Processionibus, 359; salutares effectus Processionum, 360; Processiones continent magna ac divina mysteria, 360.

Processionale. Liber Ritualis pro processionibus, 6.

Procumbere. Adultus in Baptismo debet procumbere, quid sit, 116.

Professio Fidei Catholicæ. Describitur flandrice et gallice, 115.

Professio Religiosorum. Observanda pro S. Communione Religiosis in Professione data, 201.

Promptitudo. Requiritur a Sacerdotibus pro administratione Sacramentorum, 14.

Prosternere. Adultus in Baptismo debet se prosternere, quid sit, 116.

Publica Expositio SS. Sacramenti. Vide *Expositio*.

Purificatio B. Mariæ V. De Benedictione candelarum in hoc Festo, vide *Candela*; de Processione in hoc Festo, 352, I; origo et scopus hujus Processionis, 352, I; ritus hujus Processionis, 353.

Purificatio pyxidis, vel ciborii, 168.

Purificatorium. Non debet benedici, 338.

Pyxis pro asservanda SS. Eucharistiæ. Vide *Ciborium*.

Recognitio sacrarum Reliquiarum, 364.

Reconciliatio Ecclesiæ violatæ. Ritus hujus reconciliationis, 343.

Regulares. Quibus diebus possunt in suis ecclesiis fidelibus distribuere S. Communionem, 189; Benedictiones propriæ Ordinum Religiosorum, 329; eorum locus in Processionibus, 355; vide insuper *Religiosi*.

Religiosi. Non possunt administrare ultima Sacramenta fidelibus, absque Parochi licentia, 224; Religiosæ communicantes ad fenestellam, observanda, 201; ordo servandus, si simul fideles in Ecclesia communicandi sunt, 201; ordo Communionis in professione, et in renovatione votorum Religiosorum, 201.

Reliquiæ. Quid mandat Concilium Tridentinum de Sacris Reliquiis, 361, quid intelligitur nomine Sacrarum Reliquiarum, 362; quæ Reliquiæ dicuntur insignes, 363; Reliquiæ S. Crucis et Dominicæ Passionis sunt insignes, 363; quæ Reliquiæ Sanctorum sunt insignes, 363; Reliquiarum recognitio et approbatio, 364; quænam Reliquiæ possunt exhiberi publicæ

venerationi, 364; an exponi possunt Reliquiæ Beatorum, 364; Reliquiarum asservatio, 365, I; Reliquiæ S. Crucis non simul cum Reliquiis Sanctorum in una theca exponi possunt, 365, I; custodia SS. Reliquiarum, 365, II; capsæ Reliquiarum benedicuntur ab Episcopo, 325; vi facultatis Episcopus delegare potest Sacerdotes pro hac Benedictione, 325; Reliquiarum expositio et dispositio in Altari, 365, II; dispositio Reliquiarum coram ostiolo Tabernaculi SS. Sacramenti est prohibita, 154; non exponi possunt in Altari, in quo SS. Sacramentum est expositum, 181; Reliquiæ SS. Crucis sub umbella exponuntur, 365, II; lampas ardeat, et lumina ardeant coram Reliquiis expositis, 365, II; Reliquiæ SS. Crucis et Dominicæ Passionis disjunctive a Sanctorum Reliquiis in Processione deferri possunt sub baldachino. 358, IV; Sanctorum Reliquiæ numquam sub baldachino possunt deferri, 358, IV; Reliquiæ Beatorum in Processionibus circumferri non possunt, 358, VI; Sacrarum Reliquiarum translatio in Processionibus, 358, VII; reverentia præstanda Reliquiis S. Crucis, 365, III; reverentia præstanda Reliquiis Sanctorum, 365, III; de Benedictione danda cum Sacris Reliquiis, 365, IV; veneratio Reliquiarum cum osculandæ traduntur fidelibus, 365, V; formula quæ usuvenit in hac Reliquiarum veneratione, 365, V.

Renes. Renum unctio in administratione Extremæ Unctionis, 217, 218, 219, 220.

Renovatio. Renovatio particularum SS. Eucharistiæ, quoties fieri debet, 165; quales debent esse hostiæ consecrandæ 166; hostiarum forma, 166; sint recenter confectæ, 166; motiva hujus præscriptionis, 167; pyxis seu ciborium purificari debet, 168.

Renovatio sacrorum Oleorum, 85, 204.

Renovatio votorum. Observanda pro ritu S. Communionis Religiosis dandæ cum vota sua renovant, 201.

Repositio SS Sacramenti. Vide *Benedictio SS. Sacramenti*.

Repositorium pro custodienda S. Hostia Ostensorii. Vide *Ciborium*.

Repræsentationes. Quæ repræsentationes prohibitæ sunt in Processione SS. Sacramenti, 357, 358, V.

Reservatæ Benedictiones. Quænam Benedictiones reservatæ dicuntur, 323; quo sensu intelliguntur reservatæ quædam Benedictiones quæ in Ritualis Appendice describuntur, 326, nota II.

Reverentia Sacris Reliquiis præstanda, 365, III.

Rituale Romanum. A quo Summo Pontifice editum, 7; auctum et castigatum, 7; recognitum, 7; ejus præstantia supra reliquos Libros Rituales, 8; ejus obligatio, 9; in Diœcesi Mechliniensi acceptum, 10; exceptio facta pro ritu Sacramenti Matrimonii, 10, 295; auctoritas rituum in Rituali præscriptorum, 12; obligatio rubricarum Ritualis, 13; formulæ Be-

nedictionum adhibendæ sunt illæ quæ prostant in Rituali Romano, 331.

Rituales Libri. Quinam olim erant pro administratione Sacramentorum, 6.

Ritus. Ritus in Rituali Romano præscripti populo explicari debent, 4, 16.

Rochettum. Prohibetur pro administratione Sacramentorum, 15.

Rosa aurea. Benedicitur a Papa, 324, III ; notitia de Rosa aurea, 324, III.

Rosarium. De Benedictionibus variorum Rosariorum, propriis quibusdam Religiosis Ordinibus, 329.

Rubricæ. Rubricæ in Rituali Romano præscriptæ : earum auctoritas, 12 ; earum obligatio, 13.

Sabbatum Sanctum. Collatio Baptismi in Sabbato Sancto olim, 57, 117 ; Benedictio Fontis baptismalis in Sabbato Sancto, vide *Fons baptismalis*; an S. Communio fidelibus dari potest in Sabbato Sancto, 189.

Sacerdos. Dispositiones in Sacerdote requisitæ pro administratione Sacramentorum, 14, 15, 16; Sacerdos Minister Sacramentorum, vide *Minister;* Sacerdos S. Communionem accipiens assumit stolam, 190 ; Sacerdos est minister Benedictionum, 322 ; Sacerdos delegatus pro Benedictione sacræ supellectilis non potest uti Pontificali Romano, sed debet uti Rituali Romano, 326, nota I, 338, III ; item pro Benedictione Imaginis B. Mariæ V., 340, nota II ; Sacerdotes facile se præbeant pro Benedictionibus diversis, cum prudentia tamen, et judicio, 328 ; quæ Benedictiones a quocumque Sacerdote fieri possunt, 328 ; Benedictionum quarumdam usus in visitatione infirmorum a Sacerdotibus facta, 240 ; dispositio feretri in ecclesia in exsequiis Sacerdotis præsente corpore, 258 ; dispositio tumuli pro Sacerdote eadem est quam pro laico, in Absolutione facta corpore absente, 282 ; de consuetudine deponendi in feretro Sacerdotis, ante sepulturam, calicem ex cera cum vino et aqua, et hostiam, ac lumina accensa, 273, Nota.

Sacerdotale. Liber Ritualis olim, 6.

Sacramenta. Sacramentorum ritus et cæremoniæ, in quibus consistunt, 2 ; cæremoniarum utilitates, 3 ; cæremoniæ Sacramentorum explicari debent populo, 4 ; cæremoniarum et rituum origo, 5 ; Sacramentorum Minister, vide *Minister;* dispositiones requisitæ in eis qui Sacramenta suscipiunt, 18.

Sacramentalia. Quid sunt, 317 ; quæ sunt Sacramentalia, 317.

Sacramentarium. Liber Liturgicus olim, 6.

SS. Sacramentum Eucharistiæ. Vide *Eucharistia.*

Sacrarium. Sacrarium Baptisterii, 62.

Sacristia. De confessionibus excipiendis in sacristia, 128, 129.

Sal. Salis usus in Baptismo, 72 ; salis Benedictio, 72 ; —qualita-

tes, 73 ; — asservatio, 73 ; nemini tradendus, 74 ; salis Benedictio et impositio, 91 ; ritus significatio, 91.

Scapularia. Eorum Benedictiones propriæ diversis Religiosis Ordinibus, 329.

Scrinium. Scrinium ferreum pro asservatione SS. Eucharistiæ in Tabernaculo, 154.

Scrutinia. Scrutinia olim habita ante Baptismi collationem, 117.

Sedes confessionalis. Est locus ad excipiendum confessiones 126 ; in ecclesia disponenda, 126 ; quid de sacristia, 128 ; cautelæ pro confessione feminarum excipienda, 129 ; antiqua disciplina, 130 ; conditiones sedis confessionalis, 131 ; locus patens et conspicuus, 131 ; locus aptus, 131 ; crates perforata qualis sit oportet, 131 ; sedes sit ligneis tabulis septa, 131 ; de velis appensis, 131 ; de imaginibus in confessionali. 131.

Septima dies ab obitu vel depositione. Est dies privilegiata et solemnis pro defunctis, 277.

Sepulchrum. Paratur in cœmeterio, 255 ; sepulchra ecclesiasticorum separata sint a sepulchris laicorum, 255 ; sepulchra pro baptizatis parvulis ab aliis sint separata, 255 ; dispositio sepulchri, 256 ; sepulchri Benedictio, vide *Benedictio sepulchri* ; vide insuper *Cœmeterium*.

Sepultura. Sepulturæ tempus, 254 ; numquam fiat de nocte, 254 ; sepultura fiat cum Missa, 254 ; quando Missa omitti potest, 254 ; sepultura in Triduo Sacro, 254 ; sepultura exposito in ecclesia SS. Sacramento, 254 ; sepulturæ locus, vide *Cœmeterium, Sepulchrum* ; sepulturæ ritus, 271 ; notanda de Benedictione sepulchri, vide *Benedictio sepulchri* ; in Diœcesi Mechliniensi pro omnibus fidelibus debet peragi ritus ecclesiasticæ sepulturæ, 271 ; an ritus sepulturæ de præcepto peragi debet, 272 ; a quo peragi debet, 272 ; quid in casu longioris distantiæ, 272 ; ritus sepulturæ si hæc fit immediate post Absolutionem, 273 ; Benedictio sepulchri in quo casu fiat, 273 ; preces dicendæ dum revertitur Processio post sepulturam ad ecclesiam, 273 ; de consuetudine deponendi, ante sepulturam, in feretro Sacerdotis, calicem ex cera cum vino et aqua, et hostiam, et lumina accensa, 273, Nota ; ritus sepulturæ si hæc non fit immediate post Absolutionem, 274 ; de repetitione Responsorii *In paradisum*, 274 ; ritus sepulturæ si hæc fit in cœmeterio alterius ecclesiæ, 274 ; de repetitione in casu totius ritus Absolutionis et sepulturæ in ecclesia in cujus cœmeterio sepultura fit, 275, Nota II ; ritus sepulturæ in cœmeterio non benedicto, vel profanato, cum Benedictione foveæ, 274 ; ritus sepulturæ post Absolutionem peragi non potest absente corpore defuncti, 275 ; peragitur tamen si corpus censetur moraliter præsens, 275 ; de sepultura sine Missa, 276 ; in casu non potest sepultura fieri cum assistentia Diaconi et Subdiaconi, 276.

Simonia. Omnis simoniæ suspicio vitanda est in administratione Sacramentorum, 16.

Sponsalia. Sponsalia non recensentur in Rituali Romano, sed in ritu particulari Mechliniensi, 297 ; de sponsalibus celebrandis aut prætermittendis, 298 ; coram quo, ubi, et quando celebranda sunt sponsalia, 299.

Stationes Viæ Crucis. Earum Benedictio propria est Ordinis Minorum S. Francisci, 329.

Statuæ. Vide *Imagines*.

Status animarum. Liber parochialis a Parocho tenendus, 20.

Stola. Stola adhibenda in administratione Sacramentorum, 15 ; stolæ duæ in administratione Baptismi, 75 ; an permittitur stola bicolor, ab una parte albi, ab altera violacei coloris, 77 ; stolæ color in distributione S. Communionis in ecclesia extra Missam, 196 ; stolæ color in delatione S. Communionis ad infirmos, 205, 207 ; stolæ usus in administratione Extremæ Unctionis, 229, 230 ; si administrantur simul Viaticum et Extrema Unctio, duæ stolæ adhibentur, 235 ; quomodo stola involvuntur dextræ nubentium, in ritu particulari Mechliniensi pro Matrimonio, 302 ; quomodo traditur sponsæ fimbria stolæ pro Benedictione Matrimonii juxta ritum particularem Mechliniensem, 306 ; quomodo traditur fimbria stolæ mulieri in ejus Benedictione post partum, 336, VI.

Subvenite, etc. Responsorium dicendum ad egressum animæ, 250 ; quando cantatur Responsorium *Subvenite etc.*, in ecclesia, in exsequiis defuncti, 257, D.

Supellex. Supellex adhibenda in administratione Sacramentorum, 15 ; quæ supellex ecclesiæ benedici debet, 338, I ; quæ supellex non debet benedici, 338, I ; Benedictio fieri debet ante usum, 338, I, Nota ; non benedicitur supellex usu, 338, I, Nota; benedici debet ab Episcopo,325 ; quæ supellex benedici potest a Sacerdotibus vi facultatis ab Episcopo delegatis, 338, I ; qua formula Benedictionis uti debent Sacerdotes delegati, 338, III ; non possunt adhibere Pontificale Romanum, 326, Nota I, 338, III ; quo ritu fit supellectilis Benedictio, 338, IV ; ante Benedictionem examinanda est supellex, utrum conditiones debitas habeat, 338, IV.

Superpelliceum. Adhibendum in administratione Sacramentorum, 15 ; usus rochetti prohibetur, 15 ; omnino induendum pro administratione Extremæ Unctionis, 230; quando Sacerdos induit superpelliceum pro administratione Extremæ Unctionis, 229, 230 ; an superpelliceum ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ requiritur, 133.

Supplenda omissa in administratione Sacramentorum. Ordo Supplendi omissa super baptizatum, vide *Baptismus* ; an, et quomodo suppleri debent omissa in administratione Extremæ Unctionis facta instante mortis periculo, 233.

Suspensio. Absolutio a suspensione, 141, 144.

Symbolum. De recitatione Symboli, quando introducitur bapti-

zandus in ecclesiam, quomodo et a quibus recitatur, 93, 116; Symboli redditio olim usitata in Baptismo, 117.

Tabellæ super Altare positæ tempore Expositionis SS. Sacramenti, 179.

Tabernaculum pro SS. Eucharistia asservanda. Antiqua disciplina, 152; debet super Altare esse dispositum, 153; Altare debet esse vel majus, vel aliud dignius ecclesiæ, 153; armarium, aut turris pro Tabernaculo, 152, 153; Tabernaculum inter chorum monialium et ecclesiæ sanctuarium, 153, Nota; Tabernaculi materia, 154;— forma, 154;— dispositio in Altari, 154;— ornatus interior, 154;— exterior, 154; Crux in summitate Tabernaculi posita, 154; ornatus imaginis SS. Cordis in ostiolo, 154; imagines Sanctorum, aut Reliquiæ super Tabernaculum, 154; Tabernaculi custodia, 154; Tabernaculi claves a quo debent servari, 154; scrinium ferreum, 154; locus tutus de nocte pro asservatione SS. Eucharistia, 154; Tabernaculi conopæum, 154; Benedictio Tabernaculi, 154; hæc Benedictio requiritur, 338; a quo fieri debet Tabernaculi Benedictio, 325, 326; quæ est formula Benedictionis Tabernaculi, 338, III.

Te Deum laudamus. De cantu hujus Hymni, 182; coram SS. Sacramento exposito, 182.

Tempus. Tempus Baptismi solemnis olim, 57; disciplina hodierna, 56, 58; quo tempore in ecclesia fidelibus distribui potest S. Communio, 189; de tempore quo defunctorum corpora sepelienda sunt, 254; numquam de nocte fiat sepultura, 254; tempus clausum pro solemnitatibus Matrimonii, 301.

Tertia dies ab obitu vel depositione. Est privilegiata, seu solemnis pro defunctis, 277.

Thecæ SS. Reliquiarum. Vide *Vascula SS. Reliquiarum.*

Thronus Expositionis SS. Sacramenti. Throni dispositio, 178; structura, 178; ornatus, 178; thronus fixus, vel amovibilis, 178.

Tractatus argumentum, 1; — divisio, 11.

Tridentinum Concilium. Vide *Concilium Tridentinum.*

Triduum Sacrum. Delatio S. Communionis ad infirmos in Triduo Sacro, 212; exsequiæ defunctorum in Triduo Sacro, 254.

Trigesima dies ab obitu vel depositione. Est privilegiata, seu solemnis pro defunctis, 277.

Tumulus. Exigitur pro defunctorum Absolutione extra exsequias, cum corpus est absens, 265, 282; Absolutio ad tumulum, vide *Absolutio Defunctorum;* tumuli dispositio pro Absolutione, 282; tumuli dispositio si Officium fit pro Sacerdote, 282; tumuli pedes, quomodo intelligendus est hic locus in Absolutione quæ fit ad tumulum, 287; Absolutio super tumulum defuncti, quæ describitur in recentioribus editionibus Missalis pro Defunctis, 288, Nota.

Turris pro asservatione SS. Eucharistiæ, 152, 153.

Umbella. Umbella pro delatione SS. Sacramenti ab Altari Tabernaculi ad Altare Expositionis, 181 ; umbella pro delatione SS. Eucharistiæ ad infirmos, 205, 206 ; vide ulterius *Baldachinum.*

Unctio. Unctio Oleo Catechumenorum in Baptismo, 95; modus et ratio hujus unctionis, 95 ; unctio Chrismate in Baptismo, 100 ; ortus, modus et ratio hujus unctionis, 100, 117 ; unctio Chrismate in Confirmatione, 100, 117, 316 ; unctio Oleo Infirmorum in Extrema Unctione, 217 ; ordo unctionum, 217 ; modus faciendi unctiones, 218 ; membra paria quomodo ungenda, 218 ; ubi, et quo modo diversæ unctiones sunt faciendæ, 218 ; unctio renum, 219, 220 ; de unctione cum virgula, 95, 217 ; in quibus casibus potest fieri, et quomodo facienda tunc est, 95, 217; unctionum in Extrema Unctione significatio, 220 ; distributio verborum formæ sub diversis unctionibus in Extrema Unctione, 230.

Valetudinarium. Observanda, quando in valetudinario plures simul infirmi sunt communicandi, 213.

Variatio generis in diversis precibus. Variatio generis in diversis ritibus Baptismi, 104; — in administratione Extremæ Unctionis, 230 ; — in Oratione *Non intres etc.*, in Absolutione defuncti numquam fieri potest, 270.

Vasa sacra. Quæ sunt vasa sacra ad asservandum, et ad exponendum SS. Sacramentum, 156 ; vide insuper *Ciborium*, *Ostensorium ;* quibus licet vasa sacra tangere, 161 ; benedici debent, 330 ; a quo benedici debent, 338 ; benedicuntur ab Episcopo, 325 ; Episcopus vi facultatis delegare potest Sacerdotes, 326 ; quinam, et ubi, delegati sunt in Diœcesi Mechliniensi, 326 ; Abbates possunt vasa sacra benedicere pro suis ecclesiis, 326 ; qua formula utendum est in eorum Benedictione, 338, III ; Calix et patena consecrantur, 330 ; vide insuper *Calix.*

Vascula SS. Oleorum. Vide *Olea sacra*, *Baptismus*, *Extrema Unctio.*

Vascula SS. Reliquiarum. Quomodo paranda sunt, 363; eorum Benedictio, 338, II, III.

Vasculum in ritu Baptismi. De usu vasculi ad infundendum aquam in collatione Baptismi, 76 ; vasculum ad recipiendum aquam quæ effluit e capite baptizandi, 39, 62, 75, 98.

Velum. Velum requiritur super Vasa sacra, dum SS. Eucharistiam continent, 157 ; velum super Pyxidem retinetur in Expositione privata SS. Sacramenti, 174 ; velum in delatione S. Communionis ad infirmos, 205, 207 ; velum humerale pro delatione S. Communionis ad infirmos, 206, 207 ; velum humerale in Expositione, et pro Benedictione SS. Sacramenti, vide *Expositio*, *Benedictio SS. Sacramenti.*

Veneratio publica SS. Reliquiarum. Conditiones requisitæ, 364; modus præbendi sacras Reliquias ad osculandum, 365, IV.

Vertex. Vertex capitis inungitur collato Baptismo, frons vero in Confirmatione, 100, 117, 306.

Vesperæ. Vesperæ in Officio Defunctorum in exsequiis, 261.

Vestes sacræ. Vestes sacræ assumendæ in administratione Sacramentorum, 15; vestes sacræ in Benedictionibus, 330; earum Benedictio, vide *Indumenta sacra*.

Vestis alba. Vestis alba qua induitur baptizatus, 75; ritus antiquus eam assumendi, 117; ratio hujus ritus, 101; modus eam imponendi, 101.

Vexilla in Processionibus. Admittenda tantum ea quæ sacris imaginibus insignita sunt, 358, II; vexilla consociationum laicarum possunt deferri, modo aliquod Religionis signum præseferant, et sint benedicta, 358, II; vexilla facta forma militari sunt prohibita, 358, II; vexillum Christianum quale est, 358, II; vexilla alia prohibita, 358, II; Decretum S. Rituum Congregationis de vexillis admittendis in ecclesia, 358, II.

Via Crucis. Stationum Viæ Crucis Benedictio propria est Ordinis Minorum S. Francisci, 329.

Viaticum. Nomen datum S. Communioni quæ ultimo datur alicui infirmo, 204; formula specialis dicenda quando S. Hostia datur infirmo pro Viatico, 207; *Misereatur* et *Indulgentiam* dicuntur in singulari, quando S. Communio datur infirmo pro Viatico, 207; vide ulterius *Communio infirmorum*.

Vigilia Pentecostes. Collatio Baptismi olim in Vigilia Pentecostes, 57; fontis baptismalis Benedictio in Vigilia Pentecostes, vide *Fons baptismalis*.

Vigiliæ. Nomen vulgo datum Officio Defunctorum, quod persolvitur in exsequiis, 260; et in aliis diebus qui solemnes sunt pro defunctis, 279.

Virgines. Virginum Consecratio, seu Benedictio pertinet ad Episcopum, 325; apud nos Episcopus delegare potest Sacerdotes ad impositionem habitus, et ad professionem monialium, 326.

Virgula. De usu virgulæ pro unctionibus in administratione Baptismi, 95; in administratione Extremæ Unctionis, 218.

Visitatio et cura infirmorum. Vide *Infirmi*.

Votiva Missa. Votiva Missa de SS. Sacramento, in die Adorationis perpetuæ, 187; Votiva Missa *pro sponso et sponsa*, in Benedictione Matrimonii, 297, 305, 308, 309, 313; Votiva Missa de SS. Angelis, in exsequiis parvulorum, 293.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1970.S7 C001 V004
SACRA LITURGIA ED. 2. MECHELEN
3 0311 00046 0332
WITHDRAWN

BX 38529
1970
.S73 Stappen, J. F. van der
AUTHOR
1900 v.4 SACRA LITURGIA
TITLE

DATE DUE	BORROWER'S NAME